

**PHILOSOPHIA
CHRISTIANA DE
CREATIONE, &
RECREATIONE
HOMINIS: EX...**

Bernard Bogdanowicz



6

LIBRERIA NAZIONALE
VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA

12

22 K

534

14-22-67

PHILOSOPHIA CHRISTIANA

De creatione, & recreatione hominis :

Ex Theodidactis Operibus Mellissui Ecclesie Doctoris,

S. P. N. BERNARDI ABBATIS CLARAVALLENSIS,
Sacri Ordinis Cisterciensis propagatione Patriarchæ,
Fideliter desumpta, & concinnè disposita.

In qua continentur quatuordecim Partes,
Quarum quælibet decem Capitibus constat :

IN TRES TOMOS DIVISA.

TOMUS PRIMUS,

In quo continentur tres Partes.



In I. agitur de creatione, & prævaricatione primi hominis:
In II. De exordio crucis, quam Christus sustinuit per 33. annos :
In III. De institutione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.

*Opus tam ipsis Concionatoribus, quàm quibusvis Chri-
stianis ad inflammandum frigescentia corda sua
in salutem propriam, nec non in amorem Dei,
& in dilectionem Jesu Crucifixi,
perutile ac necessarium:*



Compactum studio, & labore

R. P. FR. BERNARDI BOGDANOVITZ POLONIB
Copriunicensis, Sacerdotis, S. Th. D. Monachi Monasterii
Andreovien. Ordinis Cisterciensis, & Procuratoris
Generalis substituti in Urbe.

ROMÆ, M. DC. XC. VII.

Ex Typographia Joannis Jacobi Komarek Bohemi, apud
Sanctos Vincentium & Anastasium, in Trivio.

SUPERIORUM PERMISSU.

DEDICATORIA.

SERENISSIMÆ
MARIÆ CASIMIRÆ,
REGINÆ POLONIÆ,
Olim Joannis Regis III. Sobieski,
Die 17. Junii anno 1696. defuncti
Conforti lectissimæ,

Romam ex piæ devotionis affectu properanti
Ad venerandum thesaurum Deiparæ charissimum,
Et adorandum Crucifixum miraculis coruscantem,
Ad lustrandū vias SS. Martyrum sanguine coloratas,
Et lucrandū ingentem Indulgentiarum thesaurum,
Ad honorandum locum S. Petri, & ejus Successorem,
Ad auscultandum encomia Joannis Regis Poloniæ,
Et videndū vexilla, vera testimonia utriusq; victoriae,
Ad discendū doctrinā Melliflui Doctoris S. Bernardi,
Et legendum revelationem factam Sanctæ Brigittæ:
Porro ad recipiendum tria Opuscula jã typis evulgata;

Romam, inquam, festinanti Reginae
Fr. Bernardus Bogdanovitz Polonus Ordinis Cisterciensis
Prosperitatem viæ, & salutem vitæ.

Quanta inest Vrbi & Orbi admiratio,
Regina Serenissima, ex tua non mi-
nus illustri, quàm laudabili peregrinatio-
ne devotè præconcepta, ipse jam quidem
miratur Orbis vniuersus; sed eò ampliùs

EPISTOLA

mirabitur tunc, dum ad exolvendum vota tua accesseris Romam, divinis thesauris locupletatam singulariter. Unde meritò vocatur à Divo Bernardo in epistola 242. *Domina gentium, Princeps provinciarum.* Habet siquidē Roma in primis thesaurum Deiparæ charissimum, id est, Carnem præputii cum Sanguine Salvatoris nostri, prout constat ex revelatione S. Brigittæ libro 6. cap. 112. ubi Virgo Mater sic illam alloquitur: *Cum Filius meus circumcideretur, ego membranam illam in maximo honore servabam, ubi ibam. Quomodò enim ego illam traderem terræ, quæ de me sine peccato fuerat generata? Cum autem tempus vocationis meæ de hoc mundo instaret, ego ipsam commendavi Sancto Joanni custodi meo, cum Sanguine illo benedicto qui remansit in vulneribus ejus, quando deposuimus eum de Cruce. Post hoc, Sancto Joanne & successoribus ejus sublati de mundo, crescente malitia & perfidia, Fideles qui tunc supererant, absconderunt illa in loco mundissimo sub terra; & diu fuerunt incognita, donec Angelus Dei illa amicis Dei revelavit. Et adjicit Deipara Virgo ibidem sic dicens: O Roma, ô Roma si scires gauderes*

DEDICATORIA.

deres utique : imò si scires flere , fleres incessanter , quia habes thesaurum mibi charissimum , & non honoras illum ! Hic tam pretiosus thesaurus nunc conservatur Romæ apud Basilicam Lateranensem , repositus in illa Capella quæ communiter nuncupatur *Sancta Sanctorum* , cum sequenti inscriptione exarata in Frontispitio ejusdem Capellæ : *Non est in toto sanctior Orbe locus .* De hac autem Sacrosancta Carne præputii Christi attestantur gravissimi authores in Notis ad Revelationem supracitatum .

Præter hunc thesaurum , habet etiam Roma Imaginem Sanctissimi Crucifixi in Basilica Sancti Pauli miraculis coruscantem , ex arbore buxea ante annum 1300. sculptam , Crucisque ligno nuceo affixam . Quæ licet formata esset cum bucca & oculis clausis , capiteque inclinato ad instar mortui , prout apparet ex lateris ejus dextri apertura : divinitus tamen elevato capite , buccaque & oculis apertis , pluries locuta est Sanctæ Brigittæ Viduæ oranti genuflexæ à latere ejus dextro , atque illi secreta cælestia revelavit , uti constat tam ex antiquis , quàm ex

EPISTOLA

modernis authoribus fide dignis, quos citat Pater Guillelmus Burlamaccus in Vita S. Brigittæ, edita Neapoli anno 1692. libro 2. cap. 148. & lib. 3. cap. 8.

Denique habet Roma innumeros Martyres, terramquæ sanguine eorum dealbatam, & plateas ossibus contextas. De hac innumerabili multitudine Sanctorum præstat audire revelationem Sanctæ Brigittæ in libro 3. cap. 27. Cum enim hæc Sancta Vidua Deiparam deprecaretur pro Vrbe Romana, his verbis loquens: *Video corporaliter quòd quædam Ecclesie, in quibus ossa Sanctorum quiescunt, desolatae sunt; quædam verò habitantur, sed corda & mores Rectorum earum longè sunt à Deo. Impetra ergo eis charitatem: quia audiui ex Scripturis, quòd Romæ quælibet dies in anno septem millia continet Sanctorum Martyrum. Et idèd quamvis Anima non minorem honorem obtinent in cælo, licet ossa eorū contineantur in terris: tamen rogo te, ô Maria, vt Sanctis tuis, & Sanctorum tuorum Reliquiis amplior honor exhibeatur in terris, & sic devoti populi excitetur. Respondit ei Mater Virgo: Si mensurares terram centum pedum*

DEDICATORIA.

pedum in longitudine & totidem in latitudine, & seminares eam plenam puris granis tritici ita expresse, quod non esset distantia inter granum & granum, nisi quasi articulus digiti unius, quodlibet verò granum tritici daret fructum centuplum; adhuc essent plures Martyres & Confessores Romæ à tempore illo, quo Petrus venit Romam cum humilitate, usquequò Celestinus discessit à Sede, & reversus est ad suam solitariam vitam, &c. De plateis autem in hac Urbe stratis sanguine Sanctorum Christus in libro 6. Revelationum cap. 63. loquitur ad Sanctam Brigittam his verbis: Scribe ex parte mea Papæ Clementi hæc verba: Ego exaltavi te, & ascendere te feci super omnes gradus honoris: surge igitur ad faciendam pacem inter Reges Franciæ, & Angliæ, &c. Veni deinde in Italiam, & prædica ibi verbum, & annum salutis, & dilectionis divinæ: & vide plateas stratas Sanctorum meorum sanguine: & dabo tibi mercedem illam, quæ non finietur, &c. Porrò de terra urbis Romanæ colorata sanguine, Deipara in libro 3. Revelationum cap. 27. sic alloquitur Sanctam Brigittam: Si Roma cognosceret dies

EPISTOLA

suos, fletet utique, & non gauderet. Roma quippè in diebus antiquis erat quasi tela colorata omni colore pulcherrimo, & contexta nobilissimo filo. Terra quoque ejus colorata erat colore rubeo, id est sanguine Martyrum; & contexta, id est commixta ossibus Sanctorum, &c.

Item de Indulgentiis Christus in libro 6. Revelationum cap. 102. ad Sanctam Brigittam his verbis ait: *Indulgentie Ecclesiarum urbis Romæ majores sunt apud Deum, quàm homines credant: quia omnes hi, qui perfectò corde veniunt ad lucrandum istas Indulgentias, non solum remissionem peccatorum habebunt, sed etiam gloriam æternam possidebunt. Nam homo etiam si millies se occideret pro Deo, non tamen esset condignus ad minimam gloriam, quæ datur Sanctis. Et licet homo non sufficit vivere ad tot millia annorum, tamen quia pro infinitis peccatis infinita debentur supplicia, quæ homini impossibile est satisfacere & adimplere in hac vita: ideò propter Indulgentias relaxantur multa peccata, & gravissima pœna & longissima commutatur in minimã. Et hi omnes, qui habitis Indulgentiis cū charitate perfectâ & contritione vera*

dece-

DEDICATORIA.

decedunt de mundo, solvuntur non solum à peccatis, sed etiam à pœnis. &c. De hoc etiam Deipara in eodem libro 6. Revelationum cap. 105. confortans S. Brigittam advisitandum septem Ecclesias urbis Romæ, sic ad illam inquit: *Permittitur tibi visitare loca ista cum humilitate & devota reverentia: quia in hac Roma majores sunt Indulgentiæ, quàm homines credere possunt; quas Sancti Dei glorioso sanguine suo, & precibus à Filio meo impetrare promeruerunt.* Festina igitur venire Romam, Princeps Serenissima, ad venerandum thesaurum Deiparæ charissimum, ad adorandum Sanctissimum Crucifixum, ad lustrandum vias Sanctorum Martyrum sanguine coloratas, & ad lucrandum thesaurum Indulgentiarum, septem Ecclesiis urbis Romæ concessarum.

Roma secundum Sancti Bernardi doctrinam locus Petri est, locus Principis Apostolorum, ubi steterunt pedes ejus. Et ideò sicut Sedes Apostolica, ita & Caput Imperii Roma est. Quis namque vel novissimus Christianorum in toto sit Orbe, qui non gloriatur hoc Capite, quod ambo illi gloriosi Principes terræ,

EPISTOLA

terræ, (Petrum loquor & Paulum) alter amisso, alter submisso in cruce capite, suo triumpho extulerunt, suo sanguine ornaverunt? In hoc Petri loco nunc sedet feliciter Sanctissimus Dominus noster Innocentius XII. Papa, Sacerdos Altissimi, Vicarius Christi, Successor Petri, Romanus Pontifex sacræ & Apostolicæ Sedis, Sacerdos magnus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matris & magistræ omnium Ecclesiarum. Ipse est Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyse, iudicatu Samuël, potestate Petrus, vntione Christus. Parem super terram non habet. Siquidem ex privilegio Sedis Apostolicæ constat Summam rerum ad Romani Pontificis potestatem respicere summam auctoritatem, & plenariam potestatem. Ipse est cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli janitores, & gregum Pastores: sed Romanus Pontifex tantò gloriosius, quantò & differentius nomē hæreditavit. Alij in partem sollicitudinis, ipse in plenitu-

DEDICATORIA.

nitudinem potestatis vocatus est. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: Romani autem Pontificis potestas extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Lego in Epistola Apostoli ad Romanos capite 13. quod *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita est.* Quæ quidem sententia (ait S. Bernardus in sua Epistola 183.) debet à Regibus omnimodè custodiri, in exhibenda reverentia Apostolicæ Sedi & Beati Petri Vicario: sicut ipsam sibi volunt Reges ab vniverso seruari imperio. Soli Romano Pontifici commissa est Ecclesia à solis ortu vsque ad occasum. Ipse est Pastor & Episcopus animarum. Meritò proinde properas Regina Serenissima ad hunc Beatissimum Patrem, quondam Antonium Pignatellium, Archiepiscopum Larissenum, & Nuncium Apostolicum in Regnò Poloniae, nunc verò Innocentium XII. Summum Pontificem: quia ipso benedicente olim Joannes Sobieski, antequam esset electus Rex, Te in sponsam lectissimam matrimonio sibi ritè associaverat. Quanta esset jam tum, arctiorquè in dies futura venerabundæ filiae

EPISTOLA

filix in Parentem Maximum, & amantissimi Patris in obsequentissimam filiam amoris vicissitudo, nemo eruditorum dubitat. Festina ergo, ut videas eum esse formam justitiæ, sanctimonix speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum ducem, Pastorem animarum, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum refugium, tutorem pupillorum, judicem viduarum, Regum Patrem.

Hoc quoque Christianus Orbis reposit à Te, Princeps Serenissima, ut in tuo felici adventu representes Romæ vivam imaginem tui olim Consortis gloriosissimi Regis. Tunc enim illum, dum Te aspiciant, clarè in sua imagine cõtemplabuntur universi, tanquam ætatis nostræ ænigma, Europæ paradoxon, Orbis miraculum. Memoriam quippè suæ fortitudinis reliquit posteris, quam nulla retrò sæcula repræsentant. Hic est Joannes Magnus Rex Sobieski, qui animi pietate, pectoris robore, bellica fortitudine fidem Orthodoxam, Ecclesiam Catholicam, Rem Christianam universam strenuè

DEDICATORIA.

nuè semper sustinuit, asseruit, & confirmavit, velut acerrimus & invictissimus Defensor. Hic est invictissimus Rex, qui anno 1673. cùm esset adhuc Dux totius exercitus Polonorû, Turcas simul cû Tartaris apud Chocimum in ipsis Castris ad Tyram annem debellavit, Polonam Rempublicam propugnavit, & sic Sceptrum & Coronam sibi demeruit. De hac insigni victoria luculentum testimonium perhibet vexillum illud, quod pendet supra portam Basilicæ Sancti Petri in Vrbe Romana. Hic est Christianissimus Rex, qui anno 1680. in suæ intemeratæ fidei, ac filialis obedientiæ luculentissimum testimonium, Ducem Radzivilium affinem suum (scilicet sororis suæ maritum,) celebri Legatione insignitum misit ad Christi Vicarium Innocentium XI. Papam, Sedemquè Apostolicam. Hic est Defensor acerrimus Sacri Imperij Romani, qui anno 1683. Austriacam Urbem Viennam, innumeris circumvallatam vndiquè gentibus Turcarum & Tartarum in excidium Europæ, ab obsidione liberavit, Mustaphum Visirium Turcarum Ducem fugavit, & Rempublicam Chri-

EPISTOLA

Christianam in tuto posuit portu. Insuper, ne quid suæ magnanimitati Regiæ deesset ad gloriam, se quoque victorem superavit. Nam obruncato in tabernaculo Visirij signifero, raptum vexillum proximiori tradens: *Fatale, inquit, Bizantii palladium Romam præstò defer, ut ibi signa triumphi effulgeant, unde victoria nostra profluxit.* Deinde Rex prosperis instandum ratus, Visirio fugato, everfis direptisque Castris, persequendo fugientes per deserta & pervia barbaros, eorum exercitum ad Barkanum delevit. Cæterum nihil æquè Romanorum animos exhilaravit, quàm cum ad Basilicam Vaticanam Principis Apostolorum supra valvas defixum suspicerent vexillum militare, quod ex ipsius Visirij prætorio, Regia manu evulsum atque direptum, perpetuum esse voluit monumentum, in testimonium sui obsequij filialis erga Sedem Apostolicam. Nec etiam dicta victoria luculentissimo pietatis testimonio caruit: siquidē alterum vexillum ex editiore vallo castrorum detractum, Deiparæ addictissimus Rex ad ejusdem Sacram Domum Lauretanam transmittendum curavit,

DEDICATORIA.

curavit, vt tam singularis victorię monumento magis niteat Lauretana Ecclesia.

Ad hanc autem tam insignem victoriam multum contribuiffe creditur Regis Patronus singularis, nempè Beatus Vincentius de Rosis Kadlubek, quondam Episcopus Cracoviensis gloriosus, deinde Ordinis Cisterciensis Monachus humilis, qui ab anno 1223. obitus sui hucusque coruscat miraculis in Monasterio Andreoviensi eiusdem Ordinis. Nam Rex cùm de fabricatione Processûs super sanctitate vitæ & miraculis eiusdem Beati, pro introducenda ejus causa Canonizationis, autoritate Ordinaria in Urbe anno 1680. peracta, accepisset notitiam à Radzivilio suo Oratore Extraordinario apud Sedem Apostolicam tunc commorante; statim anno sequenti 1681. motus tam suâ propriâ quàm populi devotione erga dictum Beatum, scripsit ad Sanctissimum Pontificem Innocentium XI. supplicavitq; illi pro Canonizatione eiusdem Beati, quem sibi elegerat in Patronum singularem, vaticinando, quòd auxiliantibus eiusdem Beati meritis triumphaturus foret de Christiani nominis hostibus,

EPISTOLA

hostibus, prout cōstat ex ejus epistola Regia, cujus sunt hæc verba: *Post oscula pedum S. V. mei, Regni què mei humillimam recommendationem. Mens illa per ima summaquè diffusa, (quæ suo incomprehensibili judicio me voluit gubernare Regnum Poloniae in hoc tempore calamitoso,) cum in Divinis scripturis Viros gloriosos & sanctos laudari, eorumquè sapientiam & virtutem narrari à populis, & ab Ecclesia nunciari præcipiat; movet me, ut votis meis prosequar negotium Canonizationis Beati Vincentii Kadlubek Episcopi Cracoviensis. Qui quatuor abhinc sæculis & amplius cum profunda & inaudita humilitate, renunciato Episcopatu, professus Regulam Cisterciensium, sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis clarere non cessat: adeò ut ejus opinione & fama sanctitatis, frequentiâquè miraculorum ac devotione populi ad ipsum moti Episcopi istius Regni, in Synodo annis abhinc quinquaginta congregati censuerint supplicare fel. rec. Urbano Papæ VIII. pro negotio Canonizationis dicti Beati. Quod cum propter imperscrutabile judicium Dei hucusque dilatum, sed hoc tempore inceptum esse intellexerimus,*

ad

DEDICATORIA.

ad supplicationem felicis memoriae Michaelis Ducis Radzivilii, Oratoris mei ad Sanctitatem Vestram nomine meo & totius Regni porrectam ad præmissum effectum. Unde gratulor Ecclesie Catholicæ, & præsertim Regno meo, quòd eidem inter tot pericula belli Othomanici, quibus perturbatur regnum meum, Divina bonitas providere dignata sit novum fidejussorem. Quem etiam mihi in Patronum singularem eligo, & exinde bonum omen concipio, quòd ejusdem Beati meritis & intercessione triumphabimus de hostibus Christiani nominis, & pacem à multis annis exoptatam obtinebimus. Ut autem ejusdem Beati Viri nomen & gloria ubique gentium innotescant, humiliter supplico Sanctitati Vestræ, quatenus ad prosecutionem causæ Canonizationis dicti Beati dignetur Sanctitas Vestra procedere: ut pio Fidelium cultu & honore palàm in univèrsali Ecclesia celebretur, tendentibus in id ipsum piis precibus Præsulum, & subditorum omnium, &c. Varsavia die prima Februarii, anno 1681. Joannes Rex Poloniæ. Ad formam ejusmodi epistolæ continentis votum Regis, vaticinium impletum extitit post elapsos tri-

X X

ginta

EPISTOLA

ginta & unum menses : nam die secunda Septembris anni 1683. insignem victoriam, licet exiguo instructus Polonorum exercitu, de innumerabilibus Turcarum turmis, sub præsidio Sanctissimæ Virginis Mariæ specialis Advocatæ Ordinis nostri, & patrocinio Beati Vincentii reportavit, Viennamquæ ab arctissima & diutina obsidione eripuit, cum inenarrabili Urbis & Orbis lætitia & applausu. Et ideo, Regina Serenissima, universi præstolantur adventum tuum Romam, & præstolando sic augurantur ac præconitant, dicentes : *Tanquam verè illa Regina Saba festinat à finibus terræ audire sapientiam Salamonis.*

Hinc est, quòd in adventū tuum occurrit hæc mea Philosophia Christiana Dogmaticarū Veritatum de creatione & recreatione hominis, ex Sententiis Mellitani Ecclesiæ Doctoris Sanctissimi Patris nostri Bernardi compacta, tribus Tomis comprehensa. Quam Vestræ Majestati lubens consecro, & dedico hocce sermone latino. Siquidem etiam Divus Bernardus stylo latino sæpè scribere solebat ad Mulieres, generis æquæ ac virtutis splen-

DEDICATORIA.

splendore supra sexum inclytas. Ad *Richeram* Imperatricem Romanorum: cui nunciat *Sanctus Bernardus*, quòd suâ operâ *Mediolanenses* non antè receptos fuisset in gratiam *Innocentii Papæ II.* quousquè palàm *Conrado* refutato & abnegato, *Lotharium* Imperatorem in suum Regem & Dominum recognoverant. Epist. 137. Ad *Melusinam* Reginam Hierosolymorum: cui commendat quendam consanguineum suum proficiscentem Hierosolymam, & paucis verbis monet eam ita vivere, ut regnet perpetuò. De cetero cavete, inquit, ne voluptas carnis & gloria temporalis impediant vobis iter regni caelestis. Nam quid prodest paucis diebus regnare super terram, & regno calorum aeternò privari? Epist. 206. Ad *Melisendam* Hierosolymitanam Reginam, filiam *Balduini* Hierosolymorum Secundi & *Latini* Regis, cui successit *Fulco* gener ejus, maritus hujus *Melisendis*: cui præscribit monita probæ viduitatis, his verbis: *Audivimus, fateor, nescio quæ sinistra: quæ etsi non pro certo credimus, doluimus tamen, sive veritate, sive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem. Sanè inter-*

EPISTOLA.

*tervenit Andreas charissimus avunculus
 meus, cui in nullo de credere possumus, scri-
 pto suo nobis significans meliora: quod sci-
 licet pacificè & mansuetè te habeas, sapien-
 ter & consilio Sapientium te & tua regas,
 Fratres de Templo diligas, & familiares
 habeas; periculis imminuentibus Terræ se-
 cundum sapientiam tibi à Deo datam sa-
 lutaribus consiliis & auxiliis provide &
 sapienter occurras. Talia prorsus talia
 decent opera mulierem fortem, humilem vi-
 duam, sublimem Reginam. Neq; enim quia
 Regina es, indignum tibi viduam esse: quod
 si voluisses, non esses. Puto quod & gloria
 tibi est præcipuè inter Christianos, non mi-
 nus vivere viduam, quàm Reginam: illud
 successionis est, hoc virtutis. Illud tibi ex
 genere, istud ex munere Dei. Illud feliciter
 nata es, hoc viriliter nata es. Duplex hõor:
 alter secundum seculũ, alter secundum Deũ.
 uterq; à Deo. Nec parvus tibi videatur ho-
 nor viduitatis, de quo Apostolus: Honora,
 inquit, viduas, quæ verè viduæ sunt. Ha-
 bes certè penes te ipsam familiare commo-
 torium Apostolicæ iterum salutaris senten-
 tiæ, quâ doceris ab eo providere bona non
 tantum coram Deo, sed etiam coram ho-
 mini-*

DEDICATORIA.

minibus. *Coram Deo, ut vidua: coram hominibus, ut Regina. Attende Reginam, cujus digna indignavè non possunt latere sub modio: super candelabrum sunt, ut appareant omnibus. Memento viduam, cui jam non est quòd velit placere viro: ut soli possit placere Deo.* Epist. 289. Ad *Matildem Anglorum Reginam*: quam rogat Sanctus Bernardus, ut suæ petitioni annuat pro Decima aliàs insinuatae tunc dū ei loqueretur Bononiæ, promittens ei divinā gratiam de pariendo filium. Postquàm tem peperit filium, sic ad illam scribit: *De cætero benè servate mihi filium quem nunc peperistis: quia & ego quoque (si Regi non displicet) in eo mihi vendico portionem.* Ep. 344. & lib. 4. de vita S. Bern. cap. 1. Ad *Gertrudem Lotharingiæ Ducissam*: cui gratias quidem agit pro vestigalibus; sed ca veri cupit ne gratia ipsius intervertatur operâ ministrorum. Epist. 119. Item ad *eandem Lotharingiæ Ducissam*: cui gratias agit pro loco oblato ad fundandum Monasterium, eamquè deterret ab iniquo bello. Epist. 120. & lib. 1. de vita S. Bern. cap. 14. Ad *Matildem Burgundiæ Ducissam*: quam nimis offensam Hugoni

EPISTOLA

goni de Besua placare nititur: & ab ea consensum in conjugium quoddam exposcit: exhortaturquè illam ad erogandum frumentum pauperibus Christi. Epistola 121. Ad *Matbildem* Comitissam Blesensem, Theobaldi Magni Comitis Campaniæ uxorem: quam consolatur, excusans ejus filii excessum propter juvenilem ætatem, & melioris fruis spem faciens; ac ideò blandè potiùs & leniter, quàm asperè tractandum cum eo monet. Epist. 300. Ad *Sanciam* Alphonfi Castellæ Regis sororem: cujus operâ controversiam, ob fundationē Monasterià quadam nobili Matrona factam, inter suos, ac alios quosdam Religios exortam sopiri cupit. Epist. 301. Ad *Ermangardem* Comitissam, priùs Conani III. Comitis Britanniæ uxorem, & postea humilem in quodam Monasterio Cisterciensi Sanctimonialem: cui Divus Bernardus affectum sui cordis, & vim religiosæ dilectionis suaviter & familiariter insinuat, ejusquè in diviño servitio alacritatem laudat. Epist. 116. & 117. Ad *Sophiam Virginem*: cujus vitam deprædicat ob spre tam mundi gloriam: expositisque san-

ctarum

DEDICATORIA.

Starum Virginum elogiis, privilegiis, præmiis, & ornamentis, eam exhortatur ad perseverantiam. Epistol. 113. Ad *quandam Sanctimoniam*, quæ sub habitu regulari animum gerebat sæcularem: sed jam resipiscentem deprædicat, hortaturquè eam, ne gratiam negligat. Epist. 114. Ad *aliam Sanctimoniam* Monasterii Trecensis: cui disuadet Sanctus Bernardus plurimis rationibus, ne recedat ex Monasterio in eremum, quam temerè & impudenter appetebat. Epist. 115. Ad *Beatricem* nobilem Matronam: cujus officiosam charitatem & crebra beneficia, quæ quotidie exhibebat tam sibi quàm suis Fratribus Clarævallenfibus, Sanctus Bernardus deprædicat. Epist. 118.

Hæc autem ex Divo Bernardo summam collecta ideò vestræ Majestatis subijcio oculis, ut minimè mirum videatur, quòd ipsam idiomate Romano convenire existimavi. De cætero placeat Vobis adhuc reliqua audire verba Melliflui Bernardi, qui in Epistola 289. scribens ad Jerosolymitanam Reginam viduã, sic illam alloquitur: *Beata es, si Salvatorem ponas tibi*

EPISTOLA

*tibi murum ad protectionem conscientia, & antemurale ad repulsionem infamie. Beata inquam, si veluti desolatam & viduam totam te Deo regendam commiseris. Alioquin benè non regis, si benè non regeris. Regina Austri venit audire sapientiam Salomonis, ut regi disceret, & sic regeret. Et ecce plusquàm Salamon hic: Jesum loquor & hunc crucifixum. Huic te committe regendam, huic te committe docendam quomodò regere debeas. Disce tanquam vidua, quòd sit mitis & bumilis corde: disce tanquam Regina, quòd judicet in justitia pauperes, & arguat in æquitate pro mansuetis terræ. Porrò cùm cogitas dignitatem, attende & viduitatem: quia ut purè apud te quod sententio proferam, non potes esse Regina bona, si bona non fueris vidua. Queris unde bona vidua æstimetur? Ex hoc profectò quod Apostolus dicit: Si filios educavit, si hospitio pauperes recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est. Si hæc facis, beata es, & benè tibi erit. Beata sanè est illa Regina Cypri, quæ novè consilia ab ipso Christo Domino accepit quomodò se regere deberet, de
qui.*

DEDICATORIA.

quibus lib. 7. revelationum S. Brigittę cap. 16. Apparens enim Christus eidem Sanctę Brigittę, sic illam alloquitur de Regina Cypri: *Consule Regina, ait, quod non redeat in patriam suam, quia non expedit; sed stet in loco in quo posita est, serviendo Deo toto corde. Secundò, quod non nubat recipiendo secundum maritum: quia acceptius est Deo plorare commissa peccata, & supplere penitentiã tempus inutiliter expensum. Tertio, quod homines regni inducat ad mutuam concordiam & charitatem, & laboret ut boni mores & justitia laudabiliter teneantur, & communitas in solitis gravaminibus non oneretur. Quarto, quod obliviscatur malorum (quę in maritum suum commissa sunt) propter Deum, & non accendatur ad vindictam: quia ego sum Iudex, & ego judicabo pro ipsa, Quintò, quod filium suum nutriat cum divina charitate, constituendo ei consiliarios justos, (non cupidos) & familiares pudicos, & compositos, & sapientes: à quibus addiscet timere Deum, regere justè, compati miseris, fugere assentatores & adulatores sicut venenum, & consilia justorum quærere, etiam pauperum atque humilium despectorum. Sextò, quod de-*
ponat

EPISTOLA

ponat consuetudinem puderosam mulierum, in strictis vestibus, & ostensione mamillarum, & unctionibus, & pluribus vanitatibus: quia hec omninò sunt Deo odiosa. Septimò, quòd habeat Confessorem qui mundum relinquens, plùs diligat animas quàm munerà, qui non dissimulet peccata, nec arguere vereatur: & ei in his quæ sunt salutis animæ, obediat sicut Deo. Octavò, quòd sanctarum Reginarum vitas & mulierum attendat, & inquiret: & laboret quomodò honor Dei augeatur. Nonò, quòd sit rationalis in donis suis, & fugiendo debita, & laudes hominum: quia acceptius est Deo vel modicum, vel nihil tribuere, quàm debita contrahere, & proximum suum defraudare. Hactenùs de consiliis Christi per suam sponsam Brigittam communicatis Reginæ Cypri.

Hic jam sisto calamum, repetoquè, & concludo, quòd non alium Patronum his tribus Philosophiæ Christianæ Voluminibus accersendum existimavi, quàm Te, Regina Serenissima, cujus olim Invisibilissimus tuus Consorts Rex sibi Beatum Vincentium elegit in Patronum singularem, causamquè Canonizationis ejus tam

per

DEDICATORIA.

per Oratorem suum Radzivilium, quàm per suas literas, & effecit introduci, & illius prosecutionem commendavit Sedi Apostolicæ. Suscipe igitur, Princeps Serenissima, hujus Philosophici Operis pensum: quod Tibi dedico, non tam obsequii pignus est, quàm justitiæ vestigal. Sed ne verborum blanditiis rei fucum faciam, sænebre vestigal est, pignusquè avararum. Magna etenim cum usura huic munusculo honorem lucror, dum offero æternum perennandum sub tuo nomine. Ego sanè nomen illustre clarumq; rostro regali & dignum cedro quæsi, quod paginas hujus Pbilosophiæ Christianæ adornaret, illisque de suo conferret meritum perennitatis. Et ideo precor, ne donum cogites, aut tributum: dedicantis usura est, qui pretiosum efficere tentat, dum facit tuum. Illi si nomen tuum indulgeas, poterit una hæc gēma primæ paginae impressa reliquis æstimationem accersere. Timet tenebras hæc Philosphia Christiana: ideo dum erupit in lucem, tuos ob oculos sistitur, ut à te lucem accipiat. Et quamvis labore & industriâ meâ nonnullam illi lucem adferre conatus sum, tamen

EPISTOLA

tamen benevolo favoris tui radio magis indigeat. Si hunc pro voto meo Regina benigna indulseris, lucis impensæ gratiam spero à Te non sine fænore reddituram. Quippè intelliges parùm fuisse me de doni magnitudine sollicitum, cui à Te dignitatem accerso. Si auctoris operam spectes, jure poteris ut levidensæ tributum aspernari, nihilquè in ea probandum invenies præter offerentis animum, & quem Tu ipsa splendorem contuleris. Attamen si argumentum hujus Philosophiæ Christianæ respicias, non improbabis consilium, nec illibenter excipies. Nec etiam ego minùs pretiosam, vel tibi minùs gratam fore confido, quàm si ex auro vel gemmis compacta esset. *Fuit namque* (teste Angelico Doctore) *os Melliflui Bernardi aureum, de Deo loquens; & os gemmeum, de moribus & virtutibus differens.* Proinde accipe hoc qualecunque munusculum ea benignitate, qua Serenissimus olim tuus Consors sibi, suæquè proli perpetuò Monasterium nostrum Andreoviensè devinxit: & aspice illud placido vultu, ac fove munifico amplexu, tanquam benevolentis simul

DEDICATORIA.

simul & obsequentiſſimi animi pignus, quod Tibi in conteſtatam grati animi teſeram pronus offero. Atque cum hoc ſuſcipe, quæſo, patrocinium cauſæ Beati P. N. Vincentii, quod Veſtræ Majeſtati tot titulis debetur, quot victoriis & theſauris olim Sereniſſimus Rex meruit ſublimari & ditari, ſub patrocinio ejuſdem Beati Vincentii. Placidiſſimus quoque aſſulgeat huic munuſculo obtutus Veſtræ Serenitatis tanquam ſolare jubar, ut non ſolùm per omnes Vrbs & Orbis Eccleſias emittat radios, & Sereniſſimæ Stirpis Sobjeſcianæ gloria ubique terrarum eluceſcat: ſed etiam omnium animos accendat ad hujus Philoſophiæ Chriſtianiæ lectionem, qua muniti æternis inhæreant Dogmatibus veritatis; nec non mundi ac dæmonis inſidioſis ſuſurratio- nibus deſpectis, in Orthodoxæ fidei amore, ejuſquè beata poſſeſſione conquieſcant. Qua in ſpe deſino, ſimulq; Deum Optimum Maximum ſupplex venerans deprecor, *ut* (verbis utor S. Bernardi in epiſtola ejus 121. ſcripta olim ad Duciffam Burgundiæ) *ſuam gratiam adjiciat ſuper vos, & ſuper filios veſtros, nobiliſſima, mi- biquè*

EPISTOLA

biquè in Christo dilectissima Domina . De-
dicabam Romæ die Dominica dicata Fe-
stivitati Sanctissimi Nominis **MARIÆ**,
quæ incidit in diem **xiv. Septembris, An-
no Domini M. DC. XC. VIII.**

APPROBATIO.

Altissima ac inconcussa veritatis oraculum pronuntiavit S. Pater Bernardus Clara-vallis Proto-Abbas totius sanctitatis, ac cœlestis sapientiæ sacrarium: (a) *Hac mea sublimior Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum: totusquè mihi figatur in corde, qui pro me fixus est in Cruce.* In hoc namque symbolico Libro planè divino, (in quo exarata eminent stylo ferreo, encausto plusquam imperatorio, & grandiori vulnerum caractere divinæ sapientiæ arcana,) edocuit S. Basilius Magnus perlegenda Christianæ Philosophiæ præcepta, acerrima ad benè honestèquè vivendum incitamenta, omniumquè virtutum illustria exempla, alludens ad effatum Apostoli Galatas graviter increpantis, quod vitam suam & mores non exigent ad sanctissima axiomata illius Libri, quem in Cruce affixum præ oculis haberent. (b) *Οἱς καὶ ὁ παλαιὸς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγραψέν, ἐν ὑμῶν ἐσταυρωθῆς, ἀνε quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus.* Istud divinum Volumen scriptum intus & foris pervolvens Seraphicus Bonaventura, professus est sibi esse instar amplæ illius Bibliothecæ, quam in ejus cubiculo se speraverat visurum Doctor Angelicus, qui propterea (c) *in Cruce inveniri exemplum omnis virtutis* asseruit. Siquidem ibi artis benè loquendi studiosus addiscet, non ora loqui, sed manus ac pedes, cum ferro panduntur; ibi barbarièm nostram emendari advertet, non dicendo, sed patièdo, &

emen-

^a *Sermone 43. in Cantica d'cap. 3. c. latione prima in cap. 12. epist. ad Hebræos*

emendatione unius divini verbi volumen integrum
 nostrorum vitiorum esse correctum; ibi Rethores
 perorare poterunt lacrymis, & ad clepsidram San-
 guinis dolorum hypothese[m] ad amoris thesim revo-
 care; ibi animadvertet Philosophus; non argu-
 mentorum cuspidibus, sed clavorum acumine no-
 stram cum Deo disputationem concludi; ibi Theo-
 logus instruetur ab Apostolo Paulo, stultitiam esse sa-
 pientiam hujus mundi, & veram sapientiam esse sci-
 re Christum & hunc crucifixum. Hæc omnia lucu-
 lentissimè complexus est S. Laurentius Justinianus
 in illa divini triumphi Panegyri sic edisserens: (d)
*Christus non in membranis, non in lapide, non in li-
 gno, sed Sanguine proprio in sua carne conscripsit li-
 brum; utquè ab univ[er]sis legatur, publicè exposuit.
 Non autem sermone composito, vel humana sapientia
 exaratus est verbis, sed hominum interveniente ma-
 litia, digito Dei scriptus: nempe, saviensibus Genti-
 libus atque Judais depictus est foris, virtute autem &
 sapientia Christi formatus est intus. Habet foris sim-
 plex & indoctus quid legat; habet spiritualis & perfe-
 ctus quid intelligat; legit simplex & latificatur, atque
 compungitur; exercitatus verò intelligens irradia-
 tur, atque accenditur. Quisnam nisi Sapientia do-
 ctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbrevia-
 tam quidem legem, legalia Sacramenta, charitatis
 compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum no-
 rmas, & totum redemptionis humanae modum or-
 dinemquè in hoc sui Corporis inclusit Volumine,
 Quamobrem cum scribere complisset, nihilquè super-
 esset scribendum, inquit: Consummatum est.*

Quàm

Quàm gloriôsè, quàm jactabundè, quàm arroganter se venditabant celebres & decantatę sectę Academicorum, Pythagoręorum, Platoniorum, Peripateticorum, Druidarum, Gymnosophistarum, sexcentęquę alię id genus familię, pronunciantes in Stoa, in Academię umbraculis, in hemicyclis, in Lyceo ! Nihilominus ipse *Plato Philosophorum optimus*, ut tempestivę expendit (e) Theodoretus, *legibus à se jam conscriptis, ne Atheniensibus quidem civibus suis persuasit, ut illarum institutis Rempublicam gubernarent; quinimò Romanorum & Gręcorum Legislatores ne finitimis quidem persuaserunt, ut ad suas leges vitam instituerent. Contrà verò nostri illi Piscatores, & Publicani, sutorquę tentoriorum ille noster non solum Romanos Gręcosquę, verum etiam cunctas barbaras nationes, omnequę hominum genus induxerunt Crucifixi leges accipere.* Jactet se Roma Fabriciis, Curiis, Fabiis, Catonibus, Leliis, Scipionibus, Metellis, Senecâ, Rutilio, Thraseâ; glorietur Gręcia Socrate, Platone, Aristotele, Solone, Lycurgo, Simonide, Theognide, Phoclyde, Epicęteto; sibi plaudat Ægyptus de Trismegillo: vana nomina, rebus veręquę Philosophiã vacua. Profectò Piscatores nostri facti sunt Orbis Doctores, à plebeio sago & pectore nati repente sæculorum Magistri; nusquàm hęc scholę, nusquàm præceptores, nusquàm libri, nusquàm rostra, & æmulę exercitationes. Uno cœlesti spiramine, à rustica scapha, ab agrestibus retibus, à pertenui piscatione proderunt omni facundiã, Philosophiã, Theologiã instructissimi, atque hoc uno superno afflatu, Christi Cruce, & Sanguine, tanquam anteambulo ac prænumerario

) ()

di-

didactro institutionis non multò post secuturæ, dum unus Spiritus & validos amoris ventos, & doctas jaculatur linguas omnium ætatum scientiarumquè omnium eruditrices. Undè Ethnicarum superstitionum locò, ut cum S. Gregorio Nysseno loquar, (f) *in universo orbe terrarum excitatæ sunt in Christi nomine Edes Sacræ, Tempia, & Altaria, illudquè venerandum & incruentum sacrificium, sublimisque & excelsa Philosophia, quæ factis potius quam sermone exercetur, ut opportunè hîc Tertullianus lætitiâ gessiens in hæc verba proruperit: Grande philosophici Christiani pallii beneficium est, sub cuius vel recogitatu improbi mores erubescant. Gaude pallium & exulta, melior in te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cepisti.*

Prostat assiduè in suggesto Crucis apertus hic Liber, advocat blandè discipulos, quos instruat Divinus Magister è pulpito Crucis. Quippè Lignum illud, ut appositè advertit S. Augustinus, (g) *ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.* In excavato enim Christi latere literatorum gymnasium extructum est, quod & Platonis antrum, & Academiæ umbras, & recessum Lycæi, & Zenonis porticum, & conclave Isocratis, & opacam Socratis sedem evidentissimè ostenderet vel exigua esse, vel nulla præ documentis ac prælectionibus, quas tradit in Cruce, qui stultam fecit sapientiam hujus mundi. Dominus, inquam, scientiarum. Idcirco hæc Sacrosancta Littera vel unica aded præstat omnibus humanæ sapientiæ voluminibus, ut **Cruce** Christum religioso cultu in ea venerantibus Sa-
pien-

i orat. cathechistica cap. 18. & Tractatu 19. in Ioan. n. 11.

pientiam Chaldaico & Indico sermone significet, istaque salutiferi signi figura apud Ægyptios sit venturæ vitæ symbolum seu hieroglyphicum.

Hinc effluerunt inclyta illa elogia in Beatissimam Virginem divinum hunc Librum enixam, à Sapiientissimis & sanctissimis Viris ejus opem perpè expertis congeſta, ſcilicet *Domus ſapientia*; à S. Hieronymo, (h) *Doctrinæ Doctorem, Magiſtra & Illuminatrix Apoſtolorum*; ab Idista, (i) *Domina & Magiſtra Prophetarum*; à Galatino, (k) *Magiſterium fidei*; à S. Laurentio Juſtiniano, (l) *Lumen ſtudioſorum, multocula effecta, & Seraphim incomprehenſa viſionis*; à S. Ephrem, (m) *Liber incomprehenſus, Verbum & Filium Patris mundo legendum exhibens*; à S. Epiphanio, (n) *Liber obſignatus, quem juxta Iſaiæ vaticinium neque periti literarum legere poſſunt*; à Georgio Nicomediendi, (o) *Liber verè vivus, in quo tacitè fuit inſcriptum verbi paterni vivifico calamo Spiritûs ſolum verum novi teſtamenti Volumen à Deo ſcriptum, quod Deus antè fecit cum hominibus*; ab Andrea Cretenſi, (p) *Ex eodem Chriſti Servatoris pectore, in quo ſunt omnes theſauri ſapientia & ſcientiæ abſconditi, fluenta Evangelii S. Joannes Apoſtolus potavit, & Spiritus Sancti gratiâ inebriatus, cæteris altiùs divinitatis patefecit arcana. Vndè mirum non eſt, ſcribit S. Ambroſius, (q) Joannem Evangeliftam præ cæteris fuiſſe locutum myſteria, cum ei præſtò eſſet aula caeleſtium ſacramentorum.*

Gemina hæc felicitas ex utroque illo caeleſti Libro mirum in modum confluit in S. P. Bernardum

)()(2

dum

h In Iſaiam cap. 7. i Lib. de Virg. c. 30. k l. 7. de arcanis c. 4. l. de Nativitat. Mar. m de Laudibus S. Mariæ. o Orat. 2. de dormit. p Sermone 63. q. lib. 1. de inſtit. Virg. c. 7.

dum, quem lactavit Virgò Deipara, ablactatum-
 què Virginis Matris ab ubere, allactavit Virginis Fi-
 lius ad vulnera: hinc ex pectore, hinc ex latere. Qua
 de re S. Abbas oraculo Apostolico Alexandri Tertii
 Pontificis Maximi commendatur in Bulla Canoni-
 zationis: *Beatus vir singularis gratia prærogativâ
 suffultus, non solum in seipso sanctitate ac religione
 præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei fidei &
 doctrinæ lumine radiavit: & specialiter Sacrosanctam
 Romanam Ecclesiam quondam sub gravis persecutio-
 nis turbine laborantem, tam vitæ merito, quàm data
 sibi cælitus sapientiæ studio sustentavit, ut eadem Ec-
 clesia in anniversario ejus festivitatis die pleno ore
 testatur in Romano Breviario, eum doctrinâ potius
 divinitus traditâ, quàm labore comparatâ instru-
 ctum fuisse. Et proindè jure fuit nuncupatus à Præ-
 ceptore Angelico sermone in ejus festo: Os ejus vas
 pretiosum, vas aureum, vas gemmum, os pretiosum;
 à Doctore Seraphico, (r) Spiritu sapientiæ plenus;
 à S. Antonino Archiepiscopo Florentino, (f) puteus
 seu fons profunditate divinæ sapientiæ; à B. Henrico
 Susone, (t) inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus,
 cujus anima sempiterni Verbi mirificè fuit illustrata
 splendoribus, & mellito eloquio ex cordis manante re-
 dundantia humanitatis Christi Passionem dulcissimè
 deprædicavit: meritò sanè, Pater Sanctissime Bernar-
 dè, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor
 tuum Christi melliflua Passio adèd indulcèras. Tan-
 demquè, ut seriò profiketur Cardinalis de Vitriaco,
 (u) S. Abbas non ab homine, neque per hominem, sed
 sola Dei inspiratione præveniente sanctarum Scriptura-*

rum

r Meditat. Vita R. c. 36. s. 2. part. hist. tit. 17. c. 5. t. Dial. l. in
 æterna Sapientia c. 19. u. Hist. Occid. c. 14.

rum accepit intelligentiam, & quasi de ipsius Domini pectoris fonte potavit aquas.

Hinc impensè gratulor R. P. D. Bernardo Bogdanovitz Presbytero Sacri Ordinis Cisterciensis, S. Theol. Doctori, substituto Procuratori Generali Monasteriorum Provinciarum Poloniae ejusdem Ordinis in Curia Romana, ob insigne Opus Philosophiæ Christianæ ex Theodidactis Operibus Doctoris Mellissui fideliter depromptæ, & concinnè distributæ: quod justius Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apostolici Magistri obsecutus accuratè perlustravi, nihilquè censoriâ virgulâ adnotandum offendi; quinimmo ex eo ceu ex refertissima apotheca, & locupletò ærario promere possunt pii & studiosi Lectores thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, & veluti Aquilæ grandes ex vitali ista Arbore haurire valent medullam doctrinæ cælestis; id est, Philosophiam Christianam meliore jam Christi sui purpura delibutam, sudoribus lotam, Sanguine illustratam, vulneribus pastam, clavis roboratam, & graphicè delineatam à Sanctissimo Parente Bernardo: cui supra veteres omnes, aliosquè etiam Christianè altèquè cinctos altè vera Philosophia insedit animo, & cælitùs inspirata chartis commissa est, & hoc in volumine erudita pietate disposita. Igitur hoc sit Enchiridium nostrum, hæc Isagoge ad sapientiam, verbum abbreviatum, contemptus mundi, soliloquium, stimulus divini amoris, itinerarium mentis in Deum. Quisquis es, nocturna versare manu, versare diurna: nam in ipso te reperies beatis inscriptum characteribus, cum hoc sit Servatoris nostri divinum oraculum Isaïæ 49: *In manibus meis descripsi te: ut juremeritò inquam cum Neoterico*

Scriptore religione ac doctrina cultissimo: *Beatus*
cui pro libro & calamo Crux Christi & clavis, pro char-
ta & atramento lancea & sudatus Sanguis; pro do-
cta scriptione & lectione vulnera & Sanguis prodigè
non iam manu, sed Corpore toto fusus. Beatus qui in
flagris & Cruce imitanda legit, qui in vinculis &
alapis sequenda meditatur, qui in fellea spongia &
propudiosa purpura omnem contemnit sæculi purpu-
ram, delicias omnes. Beatus qui in corona spinea
omnem repressit carnis stimulum, eò potentiùs domans,
quò insurgit validiùs; eò generosiùs enecans, quò mi-
natur ardentius. Crux & vulnera sint docta volumi-
na, è quibus caelestem hauserunt solo calo concessam
eruditionem tot Sanctorum myriades. Jam quæ Phi-
losophia Cruce hac certior? Tenebescunt omnia
ingenia ad hunc Solem, noctescit omnis eruditio ad
hanc lucem Cruci suffixam. In hac indocti sapiunt,
& simplici mente inhærentes vulneribus, teneroquè
affectu confixi clavis, ingentiquè fiducia pleno San-
guinem ore prolibantes, plus referunt hauriuntquè
eruditæ mentes, quàm omnis Philosophia spondere
audeat. O docta nimium vulnera! erudite ò nimium
Sanguis! ò omnium ubiquè scientiarum cælo terrâ-
que concessarum fons largissimus, mare magnum!
Non multis annis scientia hîc paratur, nec magno
molimine doctrina constat: ultrò se his omnis sapi-
entia expandit, protenditquè manus, laxat brachia,
plenoquè effundit sinu, quidquid cælo terrâquè do-
ctum. Facilis cuique ad omnem scientiam ex hoc
fonte via est, prona ex hoc flumine potatio est, larga
divesquè ex hoc oceano salutarium undarum copia
est.

Hoc demùm scire, hoc sapere, hoc vivere est;
 intrà

intrà hæc vulnera degere , morienti commori , patienti consociari , suffixo affigi , totumquè in Cruce hac amoris nidum figere . Nec aliud , præter hunc flagris concisum , pugnis contusum , sputis turpatum , vinculis arctatum , spinis coronatum , clavis confixum , lanceâ perfoßum nosse & sapere est . Hîc enim omnium scientiarum finis & terminus , hîc spei & fiducia nostræ , hîc fidei & amoris , hîc coronæ & gloriæ , hîc triumphî & beatæ æternitatis semita & meta est . Fruere Christiane Lector & pascere , te ipsum exple hac scientiâ , quæ sola verè doctum , sola sapientem statuit ; & extrà quam omnis humana eruditio , eloquentia , Philosophia , Theologia infantia , mera fatuitas , & extremi delirii ultimæquè incitiæ certissima consignatio est . Siquidem mellitissimis his verbis ac pulcherrima parænesi nos ipse S. Bernardus hortatur : *Origo fontium & fluminum omnium mare est : virtuum ac scientiarum Dominus Jesus Christus . Quis enim Dominus virtutum , nisi ipse est Rex gloriæ ? Sed & iuxta Annæ canticum , idem ipse Deus scientiarum Dominus est . Si quis callet ingenio , si quis nitet eloquio , si quis moribus placeat , inde est : inde scientiæ , inde sapientiæ sermo . Thesauri enim sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt . Cur non spirituales rivi , ut arva mentium rigare non desinant , proprio fonti sine fraudibus & sine intermissione reddantur ?* Ita censeo ego infrascriptus Monachorum Reform. S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Procurator Generalis , S. Theologiæ Magister , Sac. Congregationis Indicis Consultor , Supremæ Inquisitionis Qualificator , ac Collegii Urbani de Propaganda Fide Studiorum Præfectus .

Ro.

Romæ in Cænobio S. Pudentianæ die festo S. P.
Bernardi Abbatis, anno ab Orbe Redempto
1696.

D. Joannes Maria Gabriellus.

L I C E N T I A.

NOS Fr. Antonius Krzesimo-
vski Abbas Monasterii Copri-
unicensis, & Vicarius Generalis Mo-
nasteriorum Ordinis Cistercien. in Re-
gno Poloniæ. Universis & singulis
quorum interest, notum facimus,
quòd Nos autoritate quâ fungimur,
concedimus licentiam Admodum Re-
veren. Patri Bernardo Bogdanovitz Sa-
cerdoti, Sacræ Theologiæ Doctori,
Religioso Archicænobii B. V. Mariæ
Andreovien. Sacri Ordinis Cistercien-
sis in Polonia, atque Officium Procu-
ratoris Monasteriorum nostræ Pro-
vinciæ Polonæ ejusdem Ordinis in
Curia Romana à viginti quinque an-
nis circiter exercenti: ut valeat Ro-
mæ typis mandare Librum ab ipso
compositum, cui titulus, *Philosophia
Christiana Dogmaticarum Veritatum
de*

de creatione & recreatione hominis, ex Theodidactis Libris Melliflui Ecclesie Doctoris, Sancti Patris Nostri Bernardi fideliter depromptam, & concinnè distributam in quatuordecim Partes; ac in publicam lucem edere ad majorem laudem & gloriam DEI, utilitata temquè animarum Sang nine ejus redemptarum, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei gratiam præsentis litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Datum in Monasterio Beatæ Mariæ Virginis Copriunicen. Die 8. Augusti, Anno Domini 1696.

Fr. Antonius Krzesimovski Abbas Copriunicensis, & Vicarius Generalis in Polonia.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo P. Mag.
Sac. Pal. Apost.

Sperell. Episc. Interamn. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardini Ordinis Præ-
dicatorum Sacri Palatii Apo-
stolici Magister.

PRÆ-

1871

Dear Sir,
I have the honor to acknowledge the receipt of your letter of the 14th inst. in relation to the above named matter. I have conferred with the proper authorities and find that the same can be done as requested. I will therefore be pleased to comply with your request as soon as possible.

I am, Sir, very respectfully,
Your obedient servant,
J. D. [Name]

PRÆFATIO

AD LECTOREM PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ;

S E U

Exhortatio ad populum Christianum,
de recolenda Passione Dominica.

*Diligenter attende qua apposita sunt ante faciem
tuam. Proverb. 23.*

2. I.

1. *Indicatur scopus & usus hujuslibri.*
2. *Laudatur sapientia S. Bernardi, cœlitus sibi data.*
3. *S. Bernardus sanctæ Ecclesiæ Doctõribus comparatur.*



ERTI ð demùm otii mona-
stici, benevole Lector, ratio-
nem reddo : dum post jam
edita Opusculâ bina Romæ,
(Coronam Virginalem, &
Thesaurum Divitiarum Cœ-
lestium,) etiam hanc meam

Philosophiam Christianam Dogmaticarum Verita-
tum de creatione & recreatione hominis typis
a
evulgo

ii *Prefatio ad Lectorem*

evulgo. Illa quidem sunt Opellæ, & exigui laboris : sed hic labor, hoc Opus. Meritò quidem : quia ope- roso labore, & inusitatâ auctoribus methodo com- pactum est ex sententiis Sanctissimi P. N. Bernardi, Melliflui Ecclesiæ Doctoris. Ex cujus Theodidactis Operibus hanc Philosophiam tam signanter satégi depromere, ut in serie ordinem, in sensu plenitudi- nem, in utroque connexionem ostenderem. Proinde hunc Librum non vereor appellare novam Philoso- phiam : non quo vetus displiceat, sed arrideat magis. Placuit enim potius innovare vetera, quàm nova scribere : ut iste labor meus nec antiquitatis vacaret auctoritate, nec novitatis careret voluptate. Divi Bernardi eloquia fonti similia sunt, largis perennibus- què fluentis scaturienti. Qui ante nos fuere, pro viri- bus suis aquas inde hauserunt : & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt. Neque sic totum evacuare poterunt : sed magis interim auferunt flu- mina & crescunt. Rectè Romanus Sapiens Seneca ait : Qui præcesserunt, non præripuisse mihi viden- tur quæ dici poterant, sed aperuisse. Crescit in dies materia, & inventuris inventura nō obstant. Præterea conditio optima est ultimi. Parata verba invenit, quæ aliter instructa novam faciem habent, nec illis manus injicit tanquam alienis : sunt enim publica. Jurisconsulti negant, quidquam publicum usurpari. Et si concedamus omnia à veteribus inventa esse, hoc semper novum erit, usus & inventorum ab aliis scientia, & dispositio. Hinc rectè ait Damascenus in Oratione de defunctis : Nonnunquam id, quod à per-
fectis

fectis relictum est, reperit puellus: & in id, quod prætercursum est à Sapiensibus, incidunt idiotæ: & id, quod occultatum est Magistris, comparuit discipulis. Denique alius alio plura invenire potest, nemo omnia. Et sæpè juniori revelat Deus quod melius est, ait Gloriosus Patriarcha Monachorum Sanctus Pater Benedictus in sua Regula capite tertio. Non fuit autem meum consilium post tot edita de Dogmaticis Veritatibus Opera Melliflui Doctoris, malè recedam (ut ajunt) cramben fastidioso hujus sæculi palato objicere: sed fiduciam mihi præbuit S. Augustinus libro 1. de Trinitate, dicens, vtile esse plures à pluribus fieri Libros diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem: ut ad alios plurimos res ipsæ perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Quod si dixerò, me in hac Philosophia methodum servasse ab aliorum methodo prorsùs diversam, magis libera vox erit, quàm superba. Confer, si placet, hunc Librum cum cæteris, qui hætenùs de eodem argumento prodierunt, fateberis proculdubidè, neminem reperiri qui omnes humanæ creationis & recreationis partes & mysteria hac methodo explicarit. Librum autem hunc in XIV. Partes, partes in Capita, capita in Paragraphos subdivisi: quia (ut monet Fulgentius) Lectoris renovat studium temperies distincta Librorum. Et sicut labor viatoris hospicio, (ait S. Augustinus) ita Libri terminio reficitur Lectoris intentio. In primis tribus partibus ejusdem Philosophiæ Christianæ agitur de creatione & prævaricatione primi hominis: de exordio reparationis salutis nostræ: & de

institutione Sacramenti Eucharistiæ, facta per Jesum Christum in memoriam Passionis suæ. In sequentibus sex partibus agitur de Passione Christi juxta historiam Evangelicam. In reliquis verò quinque partibus tractatur de fructu Passionis Dominicæ. Peccatum primi parentis causa fuit Passionis Christi: Passionis verò fructus, est redemptio nostra. Hæc est Summa, hoc argumentum est totius Philosophiæ Christianæ. De novitate hujus Libri non gloriôr: prodesse siquidem hoc Libro maluerim potius quàm laudari. Satis erit ad qualemcunque ejus laudem, si tu lectione hujus Libri fruaris quotidie, & ea quæ legeris non solum teneas memoriter meditando, sed & ardentè diligas orando, & efficaciter adimpleas contemplando. Hic est scopus, hæc est meta votorum meorum: hic est finis, ad quem tendere debes. Est autem *Lectio*, (a) sedula Scripturarum animi intentione inspectio. *Meditatio*, est studiosa mentis actio occultæ veritatis noticiam ductu propriæ rationis investigans. *Oratio*, est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis. *Contemplatio*, est mentis in Deum suspensæ elevatio æternæ dulcedinis gaudia degustans. Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirat, meditatio inveniat, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit: *Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Hoc est: Quærite legendo, & invenietis meditando: pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit.

Medi-

Meditatio masticat & frangit. Oratio saporem acquirat. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat & reficit animam. Si autem & tu hanc Philosophiam legeris, meditando, orando, & contemplando; poteris de illa hoc quod de Sapientia scriptum est capite septimo, veraciter dicere: *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei.*

2. Thesaurus spiritualis doctrinæ, (b) est Sanctus Bernardus, Doctor Mellifluus, & Theodidactus. Quem nimirum (c) invenit Dominus secundum cor suum in omni domo sua fidelissimum, & operarium in vinea sua diligentem & studiosum: qui universæ familiæ Domini de thesauro suo nova proferens & vetera, erogaret tritici mensuram, & daret illi cibum in tempore. Qui non ab homine, neq; per hominē, sed sola Dei inspiratione præveniēte sacrarum Scripturarum accepit intelligentiam; & quasi de ipso Domini pectoris fonte potavit cœlestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Vidit utique in visu noctis (d) Puerum claritate quâdam divinâ adstantem sibi, & magnâ auctoritate præcipientem fiducialiter loqui,

a 3

quid-

b Card. Bona in not. Ancior. lib. de Div. Pj: mod. c Card. de Vitriaco lib. de Hist. Occident. cap. 14. d Guillel. Abb. S. Theodorici lib. de Vir. S. Bern. cap. 6. nu. 29.

quidquid ei suggereretur in apertione oris sui: quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestius in eo & per eum loquens Spiritus Sanctus, & sermonem ei potentiolem, & sensum in Scripturis abundantius suggerebat in apertione oris ejus. Confessus est aliquando Beatus Bernardus, (e) sibi meditati & oranti Sacram omnem velut sub se positam & expositam apparuisse Scripturam. Porro, (f) quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis spiritualiter sentit, maximè in sylvis & in agris meditando & orando se accepisse confitebatur: & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus & fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solebat. Inde est quòd plenus Spiritu, quo omnis sacra Scriptura divinitus est inspirata, tam confidenter & utiliter eam utebatur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. Itaque verba Sancti Bernardi, (g) non sunt verba sicut hominis, sed sicut Dei, ut revera sunt. A verâ siquidem Sapientia quæ Deus est, illa profluxit, quæ in Libris ejus mirabiliter elucet. Sive enim Monachos erudit, sive vitia redarguit, sive hæreticos conterit & schismaticos expugnat, sive abdita mysteria pandit, sive gratiam Dei extollit, sive Pontifices instruit, sive dilectionem Dei docet, sive Sanctorum merita celebrat, sive negotia pertractat; nihil certè legi potest aut disertius, aut excellentius, aut efficacius ad persuaden-

e *Gaufrid. Monach. Claravall. lib. 1. de Vita S. Bern. cap. 3. num. 7*
 f *Guillel. Abb. lib. de Vita S. Bern. cap. 4. n. 23. & 24. g Card. Bonæ præfat. lib. de discret. spirituum.*

suadendum. Vrit, afficit, penetrat mellifluus sermo ejus: & nardus sua dedit odorem suavitatis, odorem vitæ & vitam. Idè libenter ipsius Bernardi verba (h) in hoc Opusculo intersero & adduco: quia non solum spiritualia sunt & cor penetrantia, sed & decore plena, & ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, & Spiritu sapientiæ plenus, & sanctitate præclarus: quem te desidero imitari, & ipsius monita & verba opere exercere; propter quod sæpè tibi propono eundè. Vbinã, quæso, (i) talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur? ubi talis amoris stimulus injicitur, sicut in vita & doctrina B. P. Bernardi Abbatis Claravallensis? Quis penetrabilior virtutum hortator occurrit? quis efficacior vitiorum eliminator decurrit, humanum excitans torporem ad cœlestia, ardorem elidens ad terrestria, somnum mortis impediens, divinæ lucis radios fugatis tenebris inclarescere satagens? Quis sibi congruentius (k) amoris magisterium usurpaverit, quàm Bernardus? cujus & facta omnia, & Scripta scintillæ sunt quædam igneæ amoris. Quis denique (l) suavius Bernardo scripsit? cujus ego sermones rivum paradisi, ambrosiam animarum, pabulum Angelicum, medullam pietatis vocare soleo. Bernardus usum habet excitandi, (m) ob acrimoniam utique & calorem; tum etiam usum habet docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen,

h *S. Bonaven. lib. de medit. vitæ Christi in Epitogo.* i *Henricus de Hassia Carthusianus Tractat. ad Jacob. Abb. Eberbacen.* k *Joann. Gerson. Ser. de S. Bernd. tom. 1.* l *Daniel Heinsius in velum. orat. 3. pag. 30.* m *Just. Lipsius centur. 3. Epist. 49.*

viii *Praefatio ad Lectorem*

quas crebrò & salubriter miscet. Item (n) modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis, & in moribus formandis ferè semper versatur. Sermo ejus ubique dulcis & ardens ita delectat, & ardentè accendit, ut suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Proinde Bernardum verè appellare possumus planè mellitum, (o) qui spiritualibus documentis scatens, iisque optimis ac perfectissimis, id etiam præcipuum habet, ut ita Scripturas sacras in suum stylum immisceat & contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur: quæ res unà cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem. Vnde (p) & universa Scripta ejus (quæ nihil aliud quàm Centones Divinorum Voluminum dici queunt) undecunque veteris ac novi Testamenti sententiis distincta sunt; hisquè aded commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur. Sic enim Divus Bernardus (q) ab infantia sacras Literas imbibit, & memoriter retinuit, ut quidquid loqui vel scribere attemptabat, in verba & sententias sacrarum Scripturarum prorumperet. Universum ejus studium in formandis moribus versatur, oratione tam dulci & ardenti, ut verba ejus mellis & lactis dulcedine delinita esse videantur. Vnde & Melliflui Doctõris nomen apud omnes

n *Sixtus Senen. Ord. Præd. in Biblioth. SS. lib. 4. in catal. Script. Ecclesiast.* o *Hier. Platus Soc. Jesu lib. de bono statu Relig. cap. 11.* p *Sixtus Senen. loco citato.* q *Ko. in præ. Ord. S. Fraucisc. in Diction. Concion. paup. cap. 35.*

omnes semper retinuit. Omnes sanè libri ejus (r) suum spirant Authorem: mel & ambrosiam propinant. Non deerit tamen alicubi aculeus; sed & hic melli cognatus est. Nimirùm vulnera quædam facile coeunt, si curandis vinum & oleum adhibeas. Id probè noverat Medicus ille Euangelicus; nec minùs noster Mellifluus. Hinc mores, abusus, & vitia non rarè pungit; sed & ungit interim, quos à morbis, id est malis moribus curandis susceperat, grato melle sermonis & amoris. Et qui poterat aliter, quem Vnctio de omnibus docebat? ut penè de ipso usurpare liceat illud Apostolicū, *non enim accepisse scientiā ab homine, neque per hominem*. An fallor? Ecce jam pridem excellenti donatus titulo & elogio, Theodidactus dici meretur. Sed quid ego cum tædio forsàn Lectoris in Bernardi laudes digredior? At hoc meo in ipsum, imò & in te, mi Lector, (cui Bernardum impensè commendatum cupio) amoris tribue. Amabit te virtus & pietas, si illum amaveris. Porro (s) si Bernardi effigiem videre cupis? Scripta ejus intueri. Est enim verbis disertus, sententiis venustus, rebus abundans, sensu & succo meliore plenus, nervo dicendi lacertosus, eloquio suavis, & mera pietatis mella stillans assiduè, veritatis semper amantissimus. O Superi! quàm ille delectat, docet, stringit, movet, persuadet, expugnat! Eam sui imaginem scribendo efformavit, ut illi Ambrosianum illud ex asse conveniat: *Laurentus Spiritu, Scriptis coronetur suis*. Quàm verò placabi-

r Horst. in præfat. lib. Epistolarum S. Bern. s Drexell. Soc. Jesu in Anrifod. lib. 2. cap. 7.

cabilem & persuasibilem, (t) quàmquè eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio vel increpatio congrueret! nosse poterunt aliquatenùs qui ipsius legerint Scripta, etsi longè minùs ab eis qui verba ejus sapiùs audierunt. Adeò diffusa erat gratia in labiis ejus, & ignitum eloquiùm ejus vehementer, ut nò posset ne ipsius quidem stylus licèt eximius totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & lac sub lingua ejus; & nihilominùs in ore ejus ignea lex. Vtebatur sanè Scripturis tam liberè commodèquè, ut non tam sequi illas, quàm præcedere crederetur: & ducere ipse quò vellet, auctorem ducem Spiritum sequens. Bernardum nimirùm ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus Spiritu sapientiæ & intellectu, ut secundùm quod in libro Job legitur, *profunda quoque fluviorum scrutaretur, & abscondita profervet in lucem*. Cæterùm longè eminentiùs in suis ille Libris apparet, in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum meritò illi posse videatur aptari: *Laudes sua ipse se sonet: & laureatus Spiritu, Scriptis coronetur suis*. In Libris Sancti Bernardi (u) inest admirabilis suavitas, ita ut cum sancta animi voluptate legantur.

3. Melliflui Doctõris Volumina qui legit, (x) lectas

t *Gaufrid. lib. 1. de Vita S. Bern. cap. 2. nu. 7. & cap. 8. nu. 28. v. Card. Valerius lib. de Rbet. Ecclesiast. cap. 41. x Luc. Bertolot. Congregat. Monachor. S. Bernar. d. lib. de Gestis ipsius, Elog. 102. in prof. pag. 212.*

claus è cœlo myrrhas, & doctrinarum segetes, & sententiarum manipulos non demirans, aut non intelligit quæ legit, aut sanè non ruminat. Doctores ego Ecclesiæ veneror omnes: eorum enim singulis insunt digna admirationibus singularia quædam, pretiosiores scilicet aut ambrosiarum dapes, ut in *Ambrosio*, verè sui nominis Viro; aut solidiora Theologiæ alimenta, ut in *Augustino* Theologorum Principe; aut aurea verborum flumina, ut in *Chrysostomo* aurum nunquam non nisi loquuto; aut perennes moralium fontes, ut in *Gregorio* Pontificum Maximo, Scriptorum Sanctissimo; aut nervosæ eloquentiæ pretium, ut in *Hieronymo* sapientissimorum sui ævi consultore. Verùm hæc omnia ita in plurimos dispersa rutilant sic uno in Bernardo, ut illorum omnium speculum mihi videatur hic unus. Pretiosissima hujus eloquentia est, tam moralitatibus abundans, quàm aureo stylo fecunda; tam solidos animæ afferens cibos, quàm mellitis eduliis reficiens animos. Super mel & favum suavitate delectat; doctos super omnes ingenio eruditissimo edocet; incitat præceptorum aculeis ad sanctitudinem; revocat à vitiorum semitis indita sibi nervosa fecunditate. Vis scire, mi Lector, quàm mirificè peragat hæc omnia Bernardus? Lege pulcherrimum ejus Librum (y) de Consideratione ad Eugenium Papam III. ex cujus nobilissimo stylo poteris intelligere Authorem Libri sapientiosem fuisse Apolline, eloquentiosem Demosthene, subtiliosem Aristotele, moderatiosem Socrate, discretiosem Platone.

y Heilinandus lib. de reparat. lapsi cap. 8.

xii *Praefatio ad Lectorem*

tone. Tu tolle, (yy) lege, ac vide. Liceat dicere: In libro hoc de Consideratione Bernardus superavit seipsum. Nam modò cautum Oeconomum, modò sollicitum Patremfamilias, modò fidelem Monitorem, modò serium Praeceptorem; jam Ascetam, jam Ethicum, jam Politicum, nunc Philosophum, nunc Consiliarium, nunc Theologum agit. Porro videas (z) quod de ipso dici solet, Theologiam infusam à Deo fuisse sortitum: quodquè ipse etiam dicere solebat, se inter fagos & quercus didicisse, ad incrementa potiùs referendum, quàm ad initia, atque ad superiorum rerum contemplationem certiorè què cognitionem, quàm in scholis haberetur. Aliàs rudimentis Theologiae imbutus fuit, rudibus sanè pro qualitate illius temporis: sed imbutus tamen fuit, atque in sacra Scriptura versatus non mediocriter. Lege denique insigne Bernardi Opus, (zz) quod eruditi omnes cæteris ipsius laboribus praeferrunt, scilicet Sermones 86. in tria capita Canticorum: quos coram discipulis suis Monachis in solatium quotidiani laboris, viva voce, & ex imo corde profudit. In quibus tantâ facundiâ divinæ charitatis vim atque sublimitatem expressit, ut appareat illum omnes in seipso cœlestis amoris affectus, motus, & aculeos vero & vivo spiritus sui experimento sensisse. Quo autem spiritu, (a) quâ facundiâ, quantâ verborum suavitate, quantâ affectuum teneritudine, nunc in Sponsi

ore

yy Drezell. Soc. Jesu in Aurifod. lib. 1. cap. 7. 7. Manrique in Annal. Cister. tom. 1. ad ann. 1105. cap. 2. nu. 6. zz Sixt. Senen. in Biblioth. Sanct. lib. 4. 2. Luc. Berzolat. lib. de gestis S. Bern. Elog. 76. in Prosa pag. 147.

ore loquens, nunc ex Sponsæ labiis, arcanos utro-
rum amores, oscula sacra, plenos mysteriorum am-
plexus, redolentia mysticos sensus mellita verba, la-
cteæ guttura, tornatiles manus, floridos lectulos, so-
mnos placidos, amœnos hortulos, Canticorum com-
mentaria prosequens exposuerit & explanaverit, nec
lingua dicere, nec scribere ullus sufficeret calamus.
Nec mirum. (aa) Divinum planè Opus est, & ar-
canæ Sapientiæ thesaurus. In cæteris mirus est
Bernardus; his autem Sermonibus seipso major.
Admirare & colere Virum sanctum: sed Deum præ-
cipuè in Sancto suo jam mirabilem venerare. O
si licuisset illi hoc Opus ad finem perducere! Sed
non potuit morte præventus; & ne ultimus quidem
Sermo perfectus videtur: nam & cæteris brevior est,
& usitatâ clausulâ caret. Hoc illud Opus Bernardi
Patris est, (b) quod magnus ille Ecclesiæ Sol, do-
ctrinâ pariter & puritate vitæ Angelus, atque Ange-
licus Doctor Divus Thomas recusavit perficere:
quasi diffidens à se posse adæquari Sancti Bernardi
dulcedinem. Vnde & rogatus à Monachis Cister-
ciensibus Fossæ Novæ, (ubi & extremum Deo spi-
ritum reddidit) sic respondisse fertur: *Date mihi spi-
ritum Bernardi, & ego perficiam Opera Bernardi.*
Constat ergo Opus hoc tantum esse, cui se imparem
vel Thomas iudicaverit. *Denique audiamus de ex-
cellentiâ doctrinæ ejus præclarum testimonium Docto-
ris Angelici, qui Divum Bernardum ait, & mul-
titu-*

aa Horst. in Epilog. Sermonum S. Bern. in Cant. Canticorum. b Man-
rique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1135. cap. 6. num. 10.

xiv *Præfatio ad Lectorem*

titudini gemmarum, & vasi pretioso comparans, (c) sic de illo in quadam Concione sua ait: Aurum fuit omnibus os Beati Bernardi, de Deo loquendo; multitudo gemmarum, de moribus & virtutibus loquendo; vas pretiosum, de dulcedine contemplationis & devotionis prædicando. Vel: Aurum fuit Beatus Bernardus per voluntatis sanctitatem; multitudo gemmarum per morum honestatem & virtutum multipliciter; vas pretiosum per virginitalis puritatem. Et Sanctus Antoninus (d) tali eum encomio commendat: Bernardus fuit puteus seu fons profunditate divinæ sapientiæ; nardus, parvus humilitate, candidus charitate, odore fragrans munditie vitæ. Audiamus etiam Beatum Henricum Suso, vitæ sanctitate & revelationibus divinis illustrem, qui sublime in philosophiam Divi Bernardi, ac seraphicum eius amorem erga Passionem Christi considerans, his verbis eum alloquitur: (e) Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus sis Bernarde Melliflue, cujus anima sempiterni Verbi mirificè fuit illustrata splendoribus: qui mellito eloquio tuo ex plenitudine cordis manante humanitatis Christi Passionem dulcissimè deprædicas, evehisquè. Meritò sanè, Sanctissime Pater Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor tuum Christi melliflua Passio adedè edulcârat. In Hierapio Ordinis Sancti Benedicti, (f) Centuriâ septimâ, capite se-

Sancti

c S. Thom. Serm. de S. Bern. inter Sermones Fest. tom. 15. d S. Antonin Archiep. Florentin. Ord. Præd. part. 2. Hist. tit. 17. cap. 5. e R. Henric. Suso Ord. Præd. in Dialog. de æterna Sap. cap. 14. f Manri 9. in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1153. cap. 12. sum. 9.

ptimo lego testimonium traditione acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum Matre, ac Sancto medio hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul & lac, illum de Christi vulnere, hoc de Virginis mamma: utrumque cœleste donum, utrumque irradians & fœcundans Bernardi ora. Tum verò utrumque donum veneratum, & neutro se fraudari æquè ferentem, tandem in ea verba prorupisse, quæ communiter Augustino tribui solent: *Hinc pascor à vulnere: hinc lactor ab ubere. Positus in medio, quò me vertam nescio?* Propterea (g) hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum: hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodùm familiaria, sicut apparet. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus complector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius: & ideo inter ubera mea commorabitur. *Hactenus Sanctus Bernardus de sua devotione erga Passionem Christi.*

Verùm quia Melliflui Doctoris eloquia Passionem Christi redundantia, sparsim diffusa in ejus Libris ita latent, ut nes sine gravi labore quo pauci delectantur, nec sine otio quo multi carent, in unum librum colligi potuerint hucusque ex Theodidactis ejus Operibus: ideo dulcissimas suas sententias in unum librum iuxta historiam Evangelicam colligere propositum mihi fuit,

xvi Præfatio ad Lectorem

fuit, ut hic labor meus levaret laborem aliorum, ac in suos per me frequentior venerit usus. De veritate autem & puritate sententiârum omninò securus sis meus Lector: germanæ quippè sunt & genuinæ, quas ex ipso Mellissini Doctoris limpidissimo fonte hausi, rivulorum perosus impuritatem. Nemo tamen miretur, si quæ aliquando in hac Philosophia Christiana repetita occurrunt sententiæ. Connexa sunt enim virtutum documenta: & hæc est vis veritatis, ut quò propius ad ipsam accedimus, eo frequentius in eandem recurramus. Ad hunc verò effectum referuntur ea omnia, quæ in hoc libro collecta sunt, ut per Christi vestigia properemus ad Euangelicæ perfectionis culmen, & superatis sensuum præstigiis, & veritate comprehensa, quasi in regionem originis nostræ revertamur. Porro hoc unum est necessarium, à quo summa rerum vitæque beatæ tota ratio dependet, ut amara illa omnia quæ pro nobis pertulit Christus, semper in memoria retineatis, & assidua meditatione revolvatis. Hoc votum meum, hæc merces Operi meo. Emulor enim vos (utor verbis Apostoli) Dei æmulatione.

2. II.

*Ostenditur, meditationem Passionis
Dominicæ semper familiarem
fuisse Sancto Bernardo.*

*Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera
mea commorabitur. Cant. I.*

I. **A** Derat sanè Christi passio, (h) & Christus pas-
sus Bernardo semper in ore, in corde, in
stylo; seu ipse quiesceret, seu laboraret, seu staret,
seu iret: tam domi, quàm foris; tam inter Aras,
quàm inter aratra: seu dum orâisset vel inter gar-
rientes sylvarum aues, vel inter aularum strepitus:
aut dum pro Ecclesia negotiaretur, aut pro Eccle-
siasticis. Crede Bernardo, mi Lector, si non mihi,
hæc eadem de seipso testificanti his verbis: Et ego,
Fratres, (i) ab ineunte mea conuersione, pro acer-
vo meritorum quæ mihi deesse scisbam, hunc
mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea col-
locare curauì, collectum ex omnibus anxietatibus
& amaritudinibus Domini mei. Primùm videlicet
infantiliùm illarum necessitatum: deinde labo-
rum quos pertulit in prædicando, fatigationum in
b dis-

h Luc. Bertolot. lib. de Gestis S. Bern. Eleg. 116. in Tresa pag. 251.
i S. Bern. Ser. 43. in Cant. num. 3.

xviii *Præfatio ad Lectorem*

discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, convitiarum, sputorum, colaphorum, subnannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ in salutem nostri generis sylvæ Evangelicæ copiosissimè noscitur protulisse. Memoriam abundantis suavitatis horum eruçtabo quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas: quia in ipsis vivificatus sum. Quidquid horum cogito, (k) Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eruçtare memoriam suavitatis. Hæc enim sunt instrumenta fortissima, (l) in quibus omnipotens Virtus, & investigabilis Sapientia Dei restorationem mundi potenter atque mirificè operata est, & vsque modò operatur Christus Dominus. Proinde memor ero quamdiù fuero, (m) laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, convitiarum, sputorum, colaphorum, subnannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ per eum & super eum abundantius transierunt. Hæc meditari (n) dixi sapientiam. In his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his
mihi

k Ser. 2. de Virg. Deip. num. 11. l Ser. de Passions. Dominæ. 1116 1117. 1.
m Ser. in ser. quart. hebdom. San. num. 11. n Ser. 43. in Cant. 1191. 1116. 4.
& Ser. 44. in Cant. num. 3.

Philosophiæ Christianæ. xix

mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursùm suavis unctio consolationis promanat. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt; & inter læta tristiaquè vitæ præsentis viâ regiâ incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminencia propulsando. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Hoc est: Sufficit mihi, nolo iam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. Mihi hic salutaris fasciculus (o) servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Ibi enim (p) est cor. Et ubi est cor, ibi dilectio: & ubi est dilectio, ibi dilecti mansio. Et nunc, Domine Redemptor meus, (q) te ut Deum verum adoro, in te confido, te spero. Ad tuæ Passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, me totum inclino. Tuæ victoriosæ Crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes Sanguine clavos, tuo sacro Lateri immerfam lanceam supplex adoro, & glorifico. Odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his. Propterea (r) hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis fratres: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet. *Hactenus S. Bernardus de familiari sibi meditatione Passionis Dominicæ.*

2. *Quanam autem mentis abstractione ab exterioribus rebus, & quàm ferventi & nō interrupto affectu*

b 2

S. Ber-

o Ser. 43. in Cant. num. 4. p. Ser. 2. in Carta Dom. nu. 9. q Ser. de Pass. Dom. num. 19. r Ser. 43. in Cant. num. 4.

S. Bernardus ab ineunte sua conversione, & per totam vitam suam tempus semper, & ubique locorum solebat vacare contemplationi Passionis Dominicæ, audiamus Guillelmum oculatum testem & scriptorem vitæ ejus, (f) sic de ipso loquentem: Bernardus cum novitius esset, inquit, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt; sed & sensus ipsos, per quos fiunt. Cum enim jam interiore sensu illuminati amoris dulcius ac frequentius sentire inciperet defursum spirantem sibi suavitatem, sensui illi interiori timens à sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usûs instantiâ in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam. Totusquæ absorptus in spiritum, spe tota in Deum directâ, intentione seu meditatione spirituali totâ occupatâ memoriâ, videns non videbat, audiens non audiebat: nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippè annum integrum exegerat in cella novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc, an haberet Domus ipsa testudinem, quam solemus dicere celaturam. Multo tempore frequentaverat intrans & exiens domum Ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant fenestræ, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Sed non est prætereundum quod Joannes Ere-


f Guillel. Ab. S. Theodorici Rhemen. lib. Vit. S. Bern. cap. 4. m. 20. pag. 16.

Eremita (t) in Vita Sancti Bernardi scribit de eo sic :
Cùm esset Juvenis sanctissimus in cella novitiorum, quidam de parentibus suis venerunt ut visitarent eum, & loquuti sunt cum eo. Post signum verò horæ Nonæ reversi sunt unusquisque ad sua, & religiosissimus Juvenis ad opus Dei in Ecclesiam. Tunc secundùm consuetudinem elevans oculos ad cælum, putans se invenire gratiam Dei sicut & priùs, non invenit. Excogitavit itaque in seipso hoc sibi pro quacunque delicto seu peccato contigisse, & non comperit nisi vanas fabulationes, quibus paulò ante per incuriam se exposuerat. Qua de causâ cùm se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta Altare, dicens cum Propheta: *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c. Et cùm hoc fecisset per viginti & quinque dies, apparuit ei gloria Domini, & replevit eum, & dedit ei scientiam Sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus. Cùm autem alii venerunt visitare eum, ipse accepit stupas, & misit sub caputio in aures suas, ita ut hoc artificio ab inani confabulatione se conservare posset immunem: sicquè venit ad hospites, & fuit cum eis per totam horam, & nihil audiuit, nec loquutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsata campanâ gaudens & relinquens eos venit in Ecclesiam, gratiâ suâ sibi taliter à Deo conservatâ. Natura quoque in eo (u) non dissentiebat à gratia, ut

b 3

in

t Joan. Erem. lib. 2. Vit. S. Bern. num. 1. pag. 113. impresso D. vione an. 1660. curâ Petr. Franc. Chifletii Soc. Jesu, & relato in suo Opusc. cui titul. S. Bernard. Genus illustre. u Guillel. Abb. in Vita S. Bern. cap. 4. nu. 21. pag. 16.



in eo quodammodò impletum videretur esse quod legitur Sap. 8. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam: & cum magis essem bonus, veni ad corpus incoquinatum.* Ad contemplanda quippè spiritualia seu diuina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii; sortitusquè etiam in hoc erat animam bonam, sensualitatem non curiosè lascivam, nec superbè rebellem: sed congaudentem spiritualibus studiis, & in eis quæ ad Deum sunt, spontè subditam spiritui & servientem. Cùm verò opus aliquod manuum Fratres actitarent, (x) quod seu minor usus Bernardo seu impericia denegabat, fodiendo, seu ligna cædendo & propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æquè laboriosis illud redimebat. Et mirum in modum is, qui tantam contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed & plurimum delectabatur. Sed mortificatâ (ut dictum est) sensualitate, cujus seu curiositate, seu infirmitate in huiusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumcunque mentes sæpè necesse est etsi non intentione, certè memoriâ & cogitatione ab interiore unitate spiritûs aliquam pati dissolutionem: ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritûs simul & totus quodammodò exterius laborabat, & totus interiùs Deo vacabat; in altero passens conscientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore & intùs orabat seu meditabatur absque

x. *Idem ibidem nu. 23. & 24.*

absque intermissione exterioris laboris, & exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. Feriatus autē ab hujusmodi labore vel opere, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, eā utebatur: sin autem, ubicunque, seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat.

3. *Hoc ipsum clarius distinctiusque describens Gaufridus in vita S. Bernardi, (y) ita de ipso inquit.* Quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orabat, aut legebat, aut scribebat, aut insistebat doctrinæ & Fratrum ædificationi, aut in sacra meditatione persistebat. In quo nimirum studio spirituali obtinuerat gratiam singularem, ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret; liberè secum habitans, & deambulans in latitudine cordis sui, & ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cænaculum grande stratum. Omnis ei ad medicandum hora brevis, locus omnis congruus erat. In quolibet cœtu hominum vel tumultu, nisi ejus intentionem causa deposceret, tota facilitate animum colligens, interiore quadam, quam ubique ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, nil prorsus attendens quod sonaret vel appareret exterius. Cum jam Dei Famulus Bernardus (z) annos aliquot in Claravalle peregisset, subiit animum ejus ut Carthusienses Fratres devotionis gratiâ visitaret. A quibus cum affectu & veneratione susceptus est Servus
b 4 Christi,

y Gaufrid. Monach. Claraval. lib. 1. Vis. S. Bern. cap. 10. num. 2. pag. 64. z Idem ibidem cap. 2. num. 3. & 4.

xxiv. *Præfatio ad Lectorem*

Christi, exultantibus illis in gaudio: quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt & præsentem. Cæterùm cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit quod Guignonem Priorem Carthusiensem aliquatenus movit, stratura videlicet animalis, cui idem Vir Venerabilis Bernardus infedebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat, sed locutus uni ex Fratribus, aliquatenus super hoc moveri sese confessus est & mirari. Cùmquè ille ad Patrem Sanctum Bernardum quod audierat retulisset, non minus ipse miratus, qualis illa esset stratura quærebat, quòd ita scilicet à Claravalle Carthusiam vsque venisset, ut nunquam illam vidisset, nunquam considerasset, & usque in horam illam qualis esset, omninò nesciret. (Neque enim suum erat animal illud, sed à quodam Monacho Cluniacensi avunculo suo, & in sua vicinia demorante, fuerat accommodatum: & erat, sicut sibi sternere ille solebat.) Quod verbum prædictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quòd sic ille Dei Famulus foris oculos circumcidisset, & intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset. Porro juxta lacum Lausanensem totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut se videre non vidit. Cùm enim vespere facto, de eodem lacu Socii colloquerentur, interrogabat eos, ubinam ille lacus esset: & mirati sunt omnes. Curiositatis enim sensu mortificato, (a) nil hujusmodi sentiebat: vel si fortè ali-

2 Guallel. Abb. in Vit. S. Bern. cap. 4. num. 20. pag. 16.

quādo eum contingebat videre, memoriā (ut dictum est) alibi occupatā non advertēbat. Sine memoria quippè sensus sentientis nullus est. *Nemo igitur mireretur, cur Sanctus Bernardus soleat depingi gestans instrumenta Passionis Dominicæ. Siquidem hunc myrrhæ tam carum fasciculum de principali cordis sui nec ad horam patiebatur avelli, amara illa omnia quæ pertulit Christus, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens; ita ut merito possit de seipso dicere: Salvete ô Christi spinæ, crux, lancea, clavi: vos ego perpetuè pectore fixa gero. Hac eadem de seipso testificatur, (b) cùm dicat. Hæc mihi ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Ego fidenter quod ex me mihi deest, (c) usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt: nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Quam magna multitudo dulcedinis suæ in illis, opertæ quidem, sed in his qui pereunt! Ut quid enim Sanctum detur canibus, vel margaritæ*
 por-

b S. Bern. Ser. 43. in Cant. num. 4. c Ser. 61. in Cant. III. 4. 25.

XXVI *Prefatio ad Lectorem*

Jorcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum
 suum, etiam & apertis foraminibus introduxit in
 Sancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, pleni-
 tudo gratiæ, perfectioquè virtutum! Ibo mihi ad
 illa sic referta cellaria, (d) atque ad admonitionem
 Jeremiæ Prophetæ relinquam civitates, & habi-
 tabo in petra; ero quasi columba nidificans in sum-
 mo ore foraminis, ut cum Moysè positus in foramine
 petræ, transeunte Domino mereat saltem *posteriora*
ejus prospicere. Nam faciem stantis, id est incommu-
 tabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci iam
 meruit in Sancta Sanctorum? Nec vilis tamen aut
 contemnenda posteriorum contemplatio. Contem-
 nat Herodes, ego tantò magis non contemno, quantò
 magis contemptibilem se ostendit Hærodi. Habent
 etiam aliquid & posteriora Domini quod videre de-
 lectet. Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, &
 relinquat post se benedictionem? Erit cùm ostendet
 faciem, & salvi erimus. Sed interim præveniat nos
 in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post
 se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ po-
 steriora demonstrat, aliàs in gloria Divinitatis fa-
 ciem suam demonstraturus. Sublimis in regno, sed
 suavis in cruce. In hac me visione præveniat, in
 illa adimpleat. Utraque visio salutaris, utraque sua-
 vis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in
 splendore, hæc in pallore est. Habeamus ergo eo-
 rum (e) quæ contemptibilia Christo Domino sunt
 illata, continuam & indefinentem memoriam: non
 utique

d *Ibidem* num. 6. e *Ser. in Cena Domini* num. 9.

utique otiosam, non tepidam, non torpentem; sed compassionis ardore super omnia plurimum delectantem, & imitationis privilegio omnia impetran-tem. Amplexatus est nos Dominus Jesus (f) per laborē & dolorē. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam, & ad justitiam suā: actiones ad justitiā dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Dicamus quoque cum Spon-
Tenui eum, nec dimittam. Dicamus etiam cum Pa-
triarcha Jacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quid enim jam superest nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhære-rem Deo, quomodò non jam clamare liberet: *Osculetur me osculo oris sui?*

2. III.

*Ostenditur, Sanctum Bernardum cūm vi-
veret promeruisse amplecti à Christo
crucifixo, in præmium assiduæ
meditationis Passionis ejus.*

I. **B**ernardo suo amator Crucifixus Amor, (g) su-
am post Matrem, suos quoque cumulavit
favores, amplectens ipsum de Cruce Filius, quem illa
pleno

f Serm. in ser. 4. hebdom. San. num. 14. g Luc. Bertolot. lib. de gestis
D. Bern. Elog. 116. in Prosa pag. 250.

xxviii *Prefatio ad Lectorem*

pleno lactaverant ubere, tam Filio gratum, quam Matri dilectum, utrisque carissimum. Orabat ardentiùs solito aliquando Bernardus, sequè totum aen-
*Crucifixi imaginem ex oculis profundens, sic patrid-
 tis Dei cruciatibus compatiebatur, ut jam sibi vulneem-
 rent animam ex anima humanitatis vulnerata mltis-
 bra: amaro illuc animo, suavissimis verbis, duos, si-
 mis suavis singula Crucifixi vulnera, pedum claiter
 clavatas manus, effosum lanceà pectus & suaviter
 salutans, & dulciter suaviens, fletus concinit dignos
 deinde suo calamo, & qui inter cetera ejusdem San-
 ctissimi Patris opera (h) legerentur sub hoc initio:*
 Salve mundi Salute, &c. Piissimo igitur huic exer-
 citio ardentissimè attento Bernardo, interquè oculo-
 rum lachrymas, suspiriorum gemitus, & luctuosos
 oris cantus, animum exhalanti & animam, en præ-
 sens de celo Miraculum, & in miraculo Christus, Ber-
 nardi consolator clementissimus: qui & solis pedibus
 de Cruce pendens. & solutis ex Cruce brachiis, in
 Bernardum ruens, Bernardum amplectitur, eo mo-
 mento & simul Crucem amplectens, & simul Bernar-
 dum. Hoc totum Magni Exordii Auctor (i) memo-
 riæ prodit his verbis: Domnus Medardus (is Ber-
 nardi discipulus erat, vir prudentis judicii, & inte-
 gerrima vita,) quondam Abbas de Moris, quod est
 Monasterium vicinum Clarævalli, mirabilem quan-
 dam rem quasi de alio retulit familiaribus suis,
 (quam tamen sibimet evenisse putamus,) ita dicens:

No-

h. Tomo 2. Operum S. Bernardi. pag. 260. impress. Venet. 1723.
 i Auctor Magni Exordii Ord. Cisterciens. lib. 2. cap. 7.

Notus est mihi quidam Monachus, qui Beatum Bernardum Abbatem aliquando reperit in Ecclesia solum orantem. Qui cum prostratus esset ante Altare, apparebat ei quædam Crux cum suo Crucifixo super pavementum posita coram illo, quam idem Vir Beatissimus devotissimè adorabat, ac deosculabatur. Porro ipsa Majestas separatis brachiis à cornibus Crucis, videbatur eundem Dei Famulum amplecti, atque adstringere sibi. Quod cum Monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, & quasi extra se erat. Tandem verò metuens, ne Patrem suum sanctum offenderet; si eum veluti secretorum suorum ita sibi de proximo imminere conspiceret, silenter abscessit; intelligens nimirum, ac sciens de illo homine sancto, quod verè supra hominem esset tota ipsius oratio, atque conversatio. *Hactenus Exordii Magni Auctor de Crucifixo Bernardum amplectante. Hoc idem Miraculum transcribunt quamplurimi Auctores, nimirum Jac. Merlon. Horstius lib. 7. Vit. S. Bernard. cap. 7. pag. 195. Herbertus Sardinie Archiep. lib. de miraculis cap. 19. pag. 283. Chrysoft. Henriquez in Monologio Cisterciens. ad diem 23. Martii pag. 94. Idem in Fasciculo Sanctorum Ord. Cist. tom. 1. distinctione 4. cap. 39. pag. 151. Angel. Manrique in Annal. Cist. ad an. 1153. tom. 2. cap. 12. num. 2. pag. 238.*

2. *Cui quidem Historiæ (k) consonat tabula Monasterii Claravallis in Claustro Refectorii satis antiqua, deli-*

* *Manrique in Annal. Cist. ad ann. 1151. tom. 2. cap. 2. num. 3. pag. 238.*

delineato favore, & subscriptione positâ, quæ rem non semel, sed pluries contigisse, neque per visum tantum, sed re ipsa, alterum asseverat, alterum probabiliter præsumit. Alibi legitur, (ait) quoddam cum Beatus Bernardus quandam devotissimam Orationem composuisset, quæ incipit: Salve mundi Salutare, &c. & eam coram imagine Crucifixi recitaret, tunc imago Crucifixi solutis de Cruce brachiis amplexabatur eum: & piè credendum est, hoc sibi pluries contigisse. Hanc subscriptionem transcripsit ex ipsa tabula Bernardus Villalpandus anno 1599. cum illuc ab Abbate Fiteriensi ad hæc & alia lustranda missus esset. Meminit illius & Antonius Hicpius Centuriâ septimâ ad annum 1151. capite quinto eisdem verbis. Ad idem faciunt Nicolaus Salicetus, & Philotheus ante ducentos annos plus minusvè, alter prosa, oratione versa alter scribens. Et quidem Salicetus prædictus aded constanter scribit, ut producat antiquam Orationem ad Bernardum Parentem, in qua idem Christi amplexus commemoratur. Transcribit primum Bernardi ad Christum verba sub hoc titulo: Oratio devotissima Beati Bernardi Abbatis Clarævallis, quam cum semel diceret ante imaginem Crucifixi, ipsa imago de Cruce se inclinans, eum amplexata est. Deinde subjungit Orationem ad Bernardum, in qua per hunc dulcissimum amplexum quasi adjurans, pro aliis intercedere rogatur ad eum, à quo meruit tantum favorem. Quin & Henriquez in suo Monologio (1) constanter affirmat, in quodam libro Cenobii Cister-

1 Henriquez in Monologio, Cister. ad diem 23. Martii.

sterciensis adnotatum amplexum, die qua contigit designatâ, nempe vigesimâ tertiâ mensis Martii: Imago (inquit) Christi in Cruce pendentis, Beatissimum Patrem Bernardum amplexatur vigesimatertiâ die Martii. Et in Annotationibus ait: Ut in Martyrologio Cistercii adnotatum legitur. Quod si ita est, non leve pondus addit cæteris omnibus. At Philotheus ejusdem temporis Auctor, (m) hunc ipsum Christi amplexum non minùs prodit, cùm Sanctum Patrem Bernardum ante illius effigiem orantem descripsisset, his planè versibus sequentibus: (n)

Ante salutarem curvato poplite Christi

Effigiem lachrymas, vota, precesquè dabat:

Confixasquè Cruci spectabat vulnere plantas,

Offaquè distinctis dinumeranda notis.

Jamquè gemens tremulâ fundebat voce querelas,

Verbaquè montanas apta movere feras:

O decus, ô nostri lenimen Christe doloris!

O mihi tam duro parta labore salus!

Felix si tantas in me convertere pœnas,

Et liceat misero sic mihi posse mori.

Ipse immaturos ausim decerpere fructus:

Christe tamen dentes obstupuère tui.

Sydera, terra, fretum, Domini miserescite vestri:

Elete meos casus Sydera, terra, fretum.

Talia dum memorat, Domini pendentis imago

Solvit in amplexus brachia mota suos.

Talis in excelso regnabat Principe virtus,

Talis

m *Martyrolog. Cister. tom. 2. ad an. 1153. cap. 12. nu. 5*
 pag. 239. n *Philos. Claravall. Monach. de Vita S. Bern. cap. 3.*

xxxii *Prefatio ad Lectorem*

Talis in ardenti pectore fervor erat .
Sic novus interno gaudebat nectare miles ,
Intimaquè internus strinxerat ossa calor ,
Ut mortale nihil saperet ; terrenaquè semper
Dediscens , Christi raptus amore foret .
Noctibus in lachrymas faciles solvebat ocellos ,
Et minimi datus criminis ultor erat .

*Sic canebat Philotheus dulcissimus Clarevallis Olor ,
& Beatissimi Patris Bernardi Vita non minùs pictor
quàm Scriptor , quam Carmine Encomiastico multùm
diffuso composuit , prout apparet legenti Introduc-
tionem in Opera S. Bernardi pag. 248. ubi describitur
Vita ejusdem Sancti , distincta septem capitibus . Quod
autem ab imagine Crucifixi fuerit amplexatus Sanctus
Bernardus , præter traditionem antiquam , etiam nos
de simili Miraculo varia imagines & pictura certos
reddunt , in quibus legitur subscriptio sequens :*

Ante Crucem effusus Christi meditatur amorem
Bernardus mundo quo data vera salus .

En duro avellit Christus de stipite manus ,
Et Sancti amplexus , & petit ora Viri .

Fortunate Pater , cui tantum pignus amoris
Brachia dans collo præbuit ipse Deus !

3 Siste (o) gressus, Viator. Hic Bernardum la-
tatum à Virgine Matre , & adoptatum sibi in fra-
trem amplectitur Virginis Filius : mirare utrumque,
& stupe . Orat sub Cruce alter , de Cruce orantem
alter excipit , affectu mutuo & planè fraterno , deli-
cium sibi ad invicem , & patibulum . Fellea jam bi-
bit

o Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Berni. Elog. 116. pag. 248.

bit Bernardus post lactea. Matris ex ubere, Filii accitus ad vulnera; Genitricis nectareo ex fonte, amaritudinum Geniti ad scatebras. Vides accenso quo flagrat vultu? Nulla sic lampas ante Crucem ardet nullibi. Inspicis extendit ut brachia? Propitiabilem sic ante Aram alas expandebant gemina Cherubim. Miraris ut orat hianti ore? Sauciantis se Pellicani vulneratum ad pectus hiant sic pulli. Mellifluus fit hinc ex Mellifluo, vulnerum, quotquot videt, amaro ab ulcere: ipso vel solo obtutu, exprimens fella, & sugens. Stat motu immobilis: at volucris mente, affixi ligno Amoris nunc pedum clavos, nunc manuum, nunc spinas capitis, nunc rosas, nunc culpat, nunc palpat; suavi hinc potus mero, luctuoso hinc potatus mærore. Siccam hujus tamen amaritudinum sitim solus extincti Amoris fons unus extinguit, unde scilicet Sanguis manat & Unda. Crapulatur illuc dolorum helluo, illucquè usque potat; deficiat quousque aut siti potus, aut sibi sitis, utrisque aut ipse. Macte potu hoc tuo Bernarde: quid mirum, ebrium si jam te Amor amplexatur inebrians? Similibus gaudent similes. Calice illo ærumnarum epoto, brachiis de Cruce cruciatuum mensa solutis, ad planè potum festinat plenè potus, novum te tibi gratulaturus compotatorem. Collo tuo dat brachia sua, pedibus Cruci affixis adhuc. Scis cur ita Bernarde? Tuo utique pro voto: gestiens de Cruce amplectitur, qualem tu ipsum mærens gestas in sinu. Myrrhæ tibi fasciculus non esset, si Crux deesset fasciculus
Ait Sanctus Bernardus: (p) Multi Reges & Prophetæ

xxxiv *Præfatio ad Lectorem*

voluerunt videre, & non viderunt: & audire, &
 & non audierunt. Illi laboraverunt, & ego in labo-
 res eorum introivi. Ego messui myrrham, quam illi
 plātaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est.
 Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commora-
 bitur. Vah Bernarde! (q) Inter lilia jam gestiens & in-
 ter rosas, floridæ æternitatis flores, quorum myrrhæ
 gestas fasciculum, morituræ ætatis symbolum, sepul-
 tæ divinitatis trophæum? Quorsùm lacrymas, ri-
 dent ubi omnia? Quid dolorum memoria, quò mæ-
 ror ingreditur nullus? Fasciculum cede his, quos
 onerant malorum fasces, flagitia quibus & vitia cla-
 des minantur & cædes. Glorioso Rege fruire in glo-
 riæ regno: irrifum ærumnarum in throno Regem,
 vulneratum, maledictum, reprobatum, quos hoc in
 passionum exilio reliquisti, filiis relinque. Gratu-
 lare regnanti, gaudenti congaude: spinarum mæ-
 rentem inter sepes, virgarum inter plagas, Crucis in
 sinu, mortis in gremio, ex clavis pendentem & ex
 conhis, scelere meo adjectum sceleratis mea inter
 ubera feram ego, cujus crimine ipse periit. His fa-
 scibus, te consule, subjeci colla, factu vanitatum, cal-
 cato. Patiatur, te favente, à me ferri, feriri pro me
 passus Jesus. Crucem ferat qui fecit cruces, sine myr-
 rhæ fasciculo videndus nunquam, nunquam sine cri-
 minum fascibus non visus. Cede Bernarde, cede.
 Filii humeros gravent, non tua ubera, torquentia
 Deum instrumenta: meumquè mihi transverberent
 pectus, quæ verberavère & tibi tuum. Patientis
 sup-

q Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bernar. Elog. 117. pag. 253.

supplex hæc est, non triumphantis; viatoris, non
 comprehensoris: cui via ad cælum adhuc in via,
 non cui in vitæ metas transire metus. Meo igitur
 suspende collo quæ pendent ex tuo, Crucem, Colu-
 mnam: fulcrum hanc nutati sub pondere futuram, fe-
 retrum illam ex pondere evasuram. Lanceam deinde,
 cultrum, lancem, funes, spongiam, clavos, &
 pro fasciculi coronide spineam coronam addas filio,
 si Pater aderis: illisonustum, hac redimitum, vel
 te annuente, me solabitur qui me redemit. O me
 beatum, (r) si exaudieris supplicem: & me quoque
 in clientem receperis! Tali certè nixum patrocinio
 divina beneficia non destituent, quæ tu olim etiam
 vivens in terris adeo ad nutum habere, tamquè prom-
 ptè & liberaliter dispensare solitus es, ut videreris
 tua & non aliena largiri. Et quidem si tu hîc esses,
 (s) tenerem te & rogarem, ut panderes mihi se-
 cretum tuum, & penderem ex ore tuo, sicut olim dis-
 cipuli tui. Tibi enim sublimioris Philosophiæ ma-
 gisterium divinitus traditum est. *Hoc de te ipso testi-*
ficaris; (t) cum dicas: Hæc mea sublimior interim
 Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum: hæc in
 corde semper, sicut Deus scit. *Item:* Nobis revelavit
 Deus per Spiritum, (u) etiam & a pertis foraminibus
 introduxit in Sancta. Quanta in his multitudo dulce-
 dinis, plenitudo gratiæ, perfectioquè virtutum!
 Foramina petræ, vulnera Christi interpretantur. Hæc
 meditari dixi sapientiam, (x) in his justitiæ mihi

r Jac. Merlon. *Horst. in Dedicat. Librorum Vita S. Bern.* f Card.
 Bona in *Dedic. lib. de Discr. Spirit.* t S. Bern. Ser. 43. in *Cart. n. 4.*
 u Ser. 61. in *Cart. num. 5. & 3.* x Ser. 43. in *Cart. num. 4.*

xxxvi *Præfatio ad Lectorem*

perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Hanc divinæ scientiæ formulam [y] perfectiùs imitati sunt hi, qui sub Beato Patre nostro Bernardo in Claravalle cælestis philosophiæ disciplinis imbuebantur, non solum literati & in mysteriis sacre Legis eruditi multi viri, verum etiam Laici & illiterati quàm plures. Qui etsi humanæ scientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minimè consecuti sunt; habebant tamen gratiam, illuminantem, & Spiritum vivificantem, qui de omnibus quæ oportebat, seculari scientia incomparabiliter efficaciùs eos docebat. Hinc contigit, [z] ut quasi venenum arbitantes quidquid comedentem utcunque delectaret, recusarent sumere dona Dei, [*scilicet victum*] propter gratiam quam in eis sentiebant. Cùm enim circa omne genus carnalis tolerantia cum adiutorio gratiæ Dei, studium spiritua-
lis Patris [*Bernardi*] hoc in eis effecisset, ut plurima quæ homini in carne constituto impossibilia priùs videbantur, jam non solum constanter peragerent & sine murmuratione, sed etiã cū ingenti delectatione: ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, eò periculosiorem, quò eam æstimabant quasi remotiorem à carne, spiritui propinquiorem. Persuasum quippè habentes, & quasi cum testimonio conscientiaæ suæ memoriæ fideliter commendatum, inimicam esse animæ omnem delectationem carnis,

y Lib. 7. de Vita S. Bern. cap. 23. num. 43. pag. 213. z Guillelm. Abb. S. Theodorici in Vita S. Bernar. cap. 7. num. 36. & cap. 8. num. 38.

nis, quidquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendum arbitrabantur. Quasi enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cum præ dulcedine amoris interioris, amara æquè ac dulcia delectabiliter edendo, delectabilius vivere sibi viderentur in eremo, [scilicet Monasterio *Claravallensi*] quàm priùs vixissent in sæculo. Hæc ergo fuit tempore illo sub Abbate Bernardo & magisterio ejus in clarissima & charissima Valle illa spiritualium schola studiorum.

Hactenus nos de sublimiori Philosophia Sancti Patris Bernardi, & favore Christi exhibito ei in amplexu de Cruce. Quem tamen favorem in Bernardo non stetisse, sed ad filios suos transfisse declarabunt quàm plurima exempla, quæ ex probatis Scriptoribus fideliter excerpta referre non gravabor: ut hujusmodi exemplis hocce frigescente mundo inflammentur corda fidelium ad diligendum Jesum Crucifixum, & meditandum quotidie Passionem ejus Sacrosanctam.

2. IV.

*De variis Sanctorum exemplis, ad
favores Jesu Christi crucifixi
pertinentibus.*

Optimum est, [a] nostræquè infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eos qui illuminati sunt. Rectissima via est inveniendi Jesum Christum, si præcedentium Patrum sequamur lumen prævium. Ad conversationem Fidelium [b] multum exempla Sanctorum profunt. Propterea enim posuit Deus virtutes Sanctorum ad exemplum nostrum, ut per vestigia ipsorum pervenire possimus ad regna cælorum. Sancti Dei homines quamdiù fuerunt in hoc sæculo, non cessaverunt currere in bonis operibus. Vnde Ecclesia de suis membris, id est, de sanctis Patribus dicit: *Manus meæ stillaverunt myrrham.* Quid per *manus* nisi operationes Sanctorum intelligimus: & quid per *myrrham* nisi mortificatio carnis & mortificatio vitiorum accipitur? Manus Ecclesiæ sancti homines sunt bona operantes, de quibus dicit Apostolus: *Operata sunt iustitiam.* Manus ergo Ecclesiæ myrrham honorum operum stillant, quia nobis exempla benè vivendi demonstrant,
&

a *Guerrius Abb. Igniacen. Ord. Cist. Ser. 2. de Epib. Domini. 7.*
b *S. Bern. lib. de modo benè viven. cap. 16. num. 43.*

& ut vitia carnis nostræ mortificemus, prædicant, Exempla denique, teste Isidoro [c] Pelusiota, dormientes animas ad virtutem capeffendam exfusci- tant, & ignavas ac secordes excitatiores efficiunt, & vitiis indulgentes erubescere docent, atque ad pœni- tentiam agendam inducunt. Sine dubitatione credi- mus, [d] quia si exempla Sanctorum secuti fueri- mus, post hanc vitam cum eis in cælo regnabimus, Quantò amplius Vitam sanctorum Patrum legimus, si exempla eorum sequi nolumus, tantò amplius culpabiles sumus. Sicut jure omnium hominum sto- lidissimus censetur, [e] qui ad arborem viriditate fo- liorum atque ubertate fructûs pulcherrimam ve- niens, foliorum inanitate ventrem farciret, & ab utilitate fructûs jejunos remaneret: eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam & sæcundissimam seriem strenuæ conversationis SS. Patrum relegens velut chronica tantùm vel anna- les Regum, ad solam curiosam notitiam rerum eam transcurrit, & nihil ex his quæ legit, ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam con- scientiæ suæ rubiginem, ad librandam morum suo- rum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decer- pit. Neque enim propterea Patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ & inquietæ curiositati serviatur: sed ut per ea rudes instruantur, infirmi roborentur, lascivi gravitatem sectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem

c *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 173.* d *S. Bern. lib. de modo bene vivere cap. 16. num. 44.* e *Lib. 7. de Vita S. Bern. cap. 29. num. 70.*

informentur ; & ut per ædificationem & consolationem legentium sancta Ecclesia roboretur, & laus Dei, cujus dona sua sunt bona nostra, per gratiarum actionem amplificetur. Igitur Lector benevole, [f] in omnibus actionibus tuis, in omni opere tuo, in omni conversatione tua imitare Sanctos, æmulare Justos habeto ante oculos tuos exempla Sanctorum, exempla Justorum imitando considera. Exempla Justorum propone tibi, Patrum exempla sint tibi imitamenta disciplinæ. Intende in virtutem Sanctorum ad benè operandum, intende ad benè vivendum. *Porrò intende ad sedulò meditandum Passionem Dominicam.* Quid enim [g] tam efficax ad curanda conscientia vulnere, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Novit quicumque rectè sapit, (h) quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* O summè pia (i) & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat! Mors Christi opus sine merito, humilitas sine modo, donum sine pretio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra
super

f S. Bern. lib. de modo benè viven. cap. 16. num. 46. g Ser. 62. in Cant. num. 7. h Ser. 2. in Cena Dom. num. 9. i Ser. 2. de excell. SS. Sacram. num. 6. tom. 6. pag. 725.

super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum, cujus livore sanati sumus. Sit itaque tibi Jesus in corde, (k) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. *Hunc Crucifixum Sanctus Bernardus toto vitæ suæ tempore meditabatur, sicut de seipso fatetur, [l] dicens: Et ego, Fratres, ab ineunte meâ conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Ad hanc meditationem Passionis Dominicæ exhortabatur discipulos suos, [m] cum dicat. Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retrò in humeris, sed ante præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, procertò videntes angustias Domini, leviùs vestras portabitis. Sic suis [n] & magister & solator consulebat dulcissimus Pater, Mellifluus Doctor, Ecstaticus contemplator, consulens sic & mihi suo aliquando futuro: cui tamen sic sapienter & sic utiliter*

admo-

k S. Bern. in Formula beneſ. vit. nu. 2. to. 6. pag. 1024. l Ser. 43. in Cant. num. 3. & Arn Ididem num. 5. n Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bern. Elog. 116. in Prosa.

XLii *Præfatio ad Lectorem*

admonito etsi consilia placeant, arrideantquè monita, tollunt tamen aut patientis Christi frequentis memoriam, aut passi Christi frequentis memoriæ utilitatem affectuum meorum exturbans turba, inveterata seditio, sævaquè bella. *Ut autem & meam propriam, & mei Lectoris devotionem excitem ad meditando Passionem Dominicam, à domesticis eventibus scribendorum exemplorum initium sumo.*

PRIMA DECAS EXEMPLORUM.

*De amplexu & stigmatibus Christi,
quibus honorari meruerunt
Sancti ejus.*

I. **S**ancta Lutgardis Virgo, [o] Monialis Monasterii Aquiriæ in Brabantia Ordinis Cisterç, Christi amplexu, multisquè revelationibus nobilitata est. *Thomas enim Cantipranus [p] sic de illa scribit: Cùm adhuc & corpore & ætate esset tenerrima, nocte quadam circa tempus nocturnarum precum, quas Matutinas vocant, sudor eam vehemens & naturalis invasit. Et cùm à precibus nocturnis abesse vellet, ut postea ad serviendum Deo fortior esset, credens illum sudorem corpori suo salutarem esse, subito ad eam vox facta est: *Quid ita jaces? surge ocyùs; oportet**

o Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 16. Junii, p. Tb. Cantipranus Ord. Præd. in Vita S. Lutgard. lib. 2. cap. 7.

oportet ut penitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in suis sordibus jacent, non sudori indulgeas. Tunc illa exterrita surrexit, & inchoatis jam matutinis precibus ad Ecclesiam festinavit. In ipso autem Ecclesiæ ostio Christum obvium habuit Cruci affixum & cruentatum, qui brachium de Cruce deponens, eamque amplectens, os ejus vulneri lateris sui applicuit, Unde tantam hausit suavitatem, ut ex eo tempore in Dei servitio semper & robustior & alacrior fuerit. Retulerunt autem, qui (ea revelante, eo tempore,) diu postea probaverunt, salivam oris ejus mellis dulcedinem superâsse: neque id mirum, quando cor illius & divinitatis Christi mel, & humanitatis lac intus ruminabat. *Hætenus Thomas Cantipratanus: cujus verba prædicta referunt alii Auctores, scilicet Marique in Annal. Cist. tom. 4. ad annum 1215. cap. 7. num. 4. pag. 67. Hætenus Ord. S. Bened. in Schola Cordis lib. 4. lect. 13. pag. 559.*

II. B. Petrus de Confluentia, (q) Monachus Monasterii Hemmenrodensis in Germania Ordinis Cisterciensis, & Livoniæ Apostelus, crebris revelationibus clarus: qui sæpè inter orandum Angelorum voces psallentium & canentium audivit, & ab ipso Christo dulciter amplecti meruit. *Cæsarius enim sic de ipso (r) scribit: Sanè huic Petro cum esset novitius, studium erat semel in die adminùs revolvere, & recitare sibi sanctissima & dulcissima Christi Passionis impropria, gratiarum spiritualium incitamenta,*

q Henriquetz in Monol. Cist. ad diem 11. Januarii. r Cæsarius Heisterbacen. Historiogr. Ord. Cist. lib. 3. Dialog. cap. 12.

ta. In quo studio tantam per dimidium circiter annum difficultatem passus est, ut quasi non sibi valerent hujusmodi meditationes, arbitrari debuisset: tandem cum perstitisset pulsans, & illatas sibi injurias & difficultates indefessus effregisset, secreta illa Christi violenter intravit, ac deinceps sine difficultate, & quasi ad manum, paratis quotidie epistolis, meditationibus illis suavissimis cum magna jucunditate usus est. Habebat quoque in desiderio, & tam humiliter quam vehementer optabat revelari sibi divinitus aliquam imaginem vultum Salvatoris: ut cum meditari debuisset, ad eundem vultum quasi conspectum & bene cognitum, facilius intuitum mentis imaginariè dirigere posset. Et Dominus, qui hoc ei inspiravit desiderium, non fraudavit eum à desiderio suo. *Verum quam gloriose, quam salubriter, quam supra eius votum, hoc illi desiderium Deus impleverit, ad omnium qui tentantur consolationem, si tamen tentationibus prævaleant, ita prosequitur Casarius.* Laborabat (*inquit*) mirabili & multiplici luxuriantis carnis molestiâ, diabolo interitum, sed Domino profectum ei de tentationibus ordinante. Unde cum quodam tempore in angulo Chori Conversorum diutiùs & devotiùs orationi incubuisset, divinum implorans auxilium ne fineretur labi in peccatum, post horam surrexit, & recessit: siquidem in memoriam ei venit, quod aliud quid agere habebat ex præcepto. Ascendens ergo per stallum Chori, transitum habuit per ante Altare infirmorum, & Conversorum: quò cum pervenisset, veniam celeriter acce-

accepturus coram Altari, & abscessurus, sub lam-
pade se humiliavit. Et ecce ibi Dominus Jesus stans
ante eum, vel potiùs pendens in Cruce, piissima bra-
chia sua abstrahens à Cruce, Servum suum Petrum
amplexatus est, & tanquam præcordiale sibi, in si-
gnum mutux familiaritatis eum ad pectus suum at-
trahendo strinxit, tentationesquè illius validissimas
stringendo compescuit. *Pergit Casarius ita scribens:*
Sanè cum terræ procumberet (*scilicet Petrus post am-
plexus, & ad pedes Christi procidens*) optimè sui com-
pos erat; sed felici illa visione ita à sensu suo abstra-
ctus & ita dulciter affectus est, ut non plenè scire po-
tuerit, utrùm corporeis oculis, an solo spiritu reve-
lationem illam recepisset. Attamen cum multas tam
ante quàm postea consolationes acceperit, hoc tan-
tùm fatetur, quòd ista supergressa est universas. Tan-
tam siquidem acceperat gratiam lachrymarum à
Domino, ut infra Matutinas preces vix aliquà horâ
occuli ejus sicarentur. *Hactenùs Casarius. Cujus
verba hæc omnia refert Manrique in Annal. Cisterc.
tom. 3. ad annum 1190. cap. 5. num. 3. 5. 6. & 8.*

III. Vivente adhuc Sancto Patre Bernardo, (s)
egregius quidam adolescentulus de partibus Germa-
niæ oriundus, conversus in Claravalle, egregiè Do-
mum illam illustravit quamdiu vixit, nec usque ad
mortem deseruit, clarus virtutibus, clarus revela-
tionibus; clarus miraculis. In juvenili ætate primùm
exhorrens, mox cælesti oraculo persuasus, Monasti-
cam

f *Manriquez in Annal. Cister. tom. 2. ad ann. 1149. cap. 4. num. 1.
p. 13. 132.*

XLVI *Praefatio ad Lectorem*

cam apprehendit disciplinam, à qua nec ullis humanis persuasionibus, nec ullis aliorum exemplis dimoveri potuit. *De admiranda ejus vite sanctitate, & calibus revelationibus tam de ipso quam ei ostensis, coævus Auctor Exordii magni (t) narrat in hunc modum:* Hic ergo delicatus ac tenerrimus adolescens, cum esset annorum quindecim, manum suam ad fortia mittens, lætantibus Angelis & hominibus, jugum Christi suave portandum aggreditur, & quasi agnus ad aratrum suscepti Ordinis applicatur. Miserante verò Domino, ab ipsis rudimentis conversionis suæ jumentum fortitudinem induens, sed agni mansuetudinem retinens, tantâ charismatum eminentiâ à primis annis enituit, ut conversationis suæ elegantiam atque fragrantiam Contubernales ejus affecti congratularentur, sanctæquè devotionis & humilitatis (quæ in ipso relucebant) exemplis informari certatim nitentur. Quidam verò religiosus vir ac spiritualis ejusdem Cœnobii Clarævallisensis protestatus est mihi, quòd aliquando vidisset visionem hujusmodi. Aspiciebat eundem adolescentem Invitatorium ante Altare canentem: tunc imago Crucifixi quæ super Altare erat, quasi melodiâ ipsius delectata, de Cruce descendit; veniensquè ad eum, expansis ulnis dignè amplexata est eum, illum verè sibimet astringendo, ac deosculando eum. *Favorem hunc concessum Sancto Patri Bernardo, (u) nondum satis mirantur, quicumque narrant. Sed ecce ab ipso in filios derivatus,*

t Auctor Exordii magni Ord. Cist. lib. 3. cap. 16. u Manriq. in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1149. cap. 4. num. 5.

vatus, atque ex eis ad nepotes, non tam personas quam
Ordinem illustrat, veluti hæreditario jure possidendus.
Pergit Auctor de eodem Viro plura scribere his verbis :
Accidit quodam tempore, (x) ut hic, de quo loqui-
mur, beatus homo sacris Quadragesimæ diebus je-
junantium & orantium particeps effectus, cum Ruth
Moabitide buccellam piæ operationis in aceto in-
tinxisset salubris compunctionis, ut sacratissimæ Re-
surrectionis Dominicæ præsentia illustraretur. Cum-
quæ sicut tantæ diei solemnitas exigebat, solemnes à
Fratribus Vigiliæ devotissimè celebrarentur; ipse la-
xato intimæ meditationis sinu, secum cæpit atten-
tius cogitare de Passione & Resurrectione Domini,
ita ut ardenti pietatis affectu totus in lachrymas sol-
veretur. Et ecce secundâ lectione jam lectâ, cum Res-
ponsorium, *Angelus Domini*, à Conventu cantaretur,
repentè, qui in corde ejus devotionis ignem accen-
derat, Dominus Jesus Christus vigilanti & flenti ap-
parens, stetit ante illum in medio Chori, manus suas
expandens, & quasi ostendens ei. Porrò in ejus bea-
tissimis palmis loca clavorum ita evidentissimè ap-
parebant, ut de ipsis plagis recentibus Sanguis ema-
nare videretur, &c. *Hactenus Auctor Exordii magni.*
Cujus verba eadem refert Manrique in Annual. Cister.
tom. 2. ad ann. 1149. & Herbertus lib. 2. de Mira-
culis cap. 9. ex Auctore Exordii magni lib. 3. cap. 16.
IV. B. Nicolaus, (y) Monachus Cisterciensis in
Belgio seu Brabantia, vir charitatis operibus impense
deditus,

x Auctor Exord. magni lib. 3. cap. 16. y Henriquez in Monolog.
Cist. ad diem 24. Novembris

XLVIII *Præfatio ad Lectorem*

deditus: qui ipsum speciosum formâ præ filiis hominum puerum Jesum amplecti meruit. *Hæc autem Thomas Cantipratanus (2) enarrat in hunc modum:* Algore nivium terrâ Brabantia respersâ per totum, Monachus quidam Cisterciensis præmissis in villam socio, solus in campos per devia veniebat: & ecce invenit puerum elegantissimæ formæ quasi triennem, magno fletu & eiulatu solum in nivis frigore residentem. Compassus igitur tali puero, equo descendit, & complexus flentem flere cepit cum eo, & quærere quid haberet. Tacente autem puero, ingemiscit quærens: Ubi est mater tua? numquid perdidisti matrem tuam? Ad interrogationes illas puer fortiùs eiulans, tandem dixit: Heu me, heu me! quare non flerem? quare non ejularem? Ecce vides quòd egens, solus & in frigore sedeo, & non est qui colligat me, & hospitium præstet. Mox Monachus surgens, & puerum in brachia elevans, osculatus est eum, dicens: Cesses flere dilectissime, quia ad hospitium portabo te, & faciam enutriri. Hæc dicens, cum puero equum ascendere voluit: sed puer de brachio tenentis exiliens disparuit repenti, quia Christus Filius Virginis fuit. In terram igitur cadens Monachus, flere & ejulare cepit acerrimè; & cum diù sic jacisset ejulans, tandem quæsitus à socio inventus est, & elevatus est in equum, & ad hospitium ductus. Quæsitus cur fleret, nihil aliud unâ nocte dicere potuit quàm, Heu me! puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquisti? cur abiisti tam citò? cur te perdidisti? *Hactenus Thomas*

Canti-

Philosophiæ Christianæ. XLIX

Cantipratanus. Cujus hac verba refert Henriquez in Annotationibus in Monolog. Cisterc. ad diem 24. Novembris.

V. B. Elizabeth de Spalbeck, (a) Virgo Monialis Cænobii Herkenrodensis Ordinis Cisterciensis in Territorio Leodiensi, quæ sacris Christi Salvatoris nostri Stigmatibus in manibus, latere, & pedibus insignita fuit; & in qua singulis diebus ejusdem Christi Passio admirabili prorsus modo representabatur. *Idfusè in libro Vitæ ejus Philippus Monachus Clara-vallensis enarrat. Ex quo Blosius (b) sic describit:* Itidem sanctissima Virgo Elizabeth de Spalbeck ingenti devotione quotidie Passionem Dominicam recolere consueverat. Unde & Christus Stigmata quinque vulnerum suorum manibus & pedibus & lateri ejus verissime impressit, aded ut ex ipsis tanquam è recentibus plagis copiosus sanguis plerumque efflueret, idquè potissimum feriis sextis. Quæ quidem Virgo purissima septies quotidie ita rapiebatür in Deum, ut nullus sensus, nullus motus, nullus flatus in ea appareret. Totum enim corpusculum illius prorsus obrigescebat, nec ulla pars ejusdem sacri corporis tunc moveri poterat, quin totum corpus moveretur. *De eisdem sacris Stigmatibus loquens Arnoldus de Raiffe, (c) sic narrat:* Quæ quidem Christi Stigmatibus sic erant similia, ut manuum & pedum rotunda tanquam clavorum vulnera, lateris verò oblongum

a Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 19. Octobris. b Ludov. Blos. Abb. Larien. in Monil. Spiritual. cap. 2. pag. 77. à tergo. c Arnold. de Raiffe in Auctaria ad Melanum 19. Novembris.

L *Præfatio ad Lectorem*

gum quasi lanceæ vulnus viderentur. Insuper hæc eadem Virgo mirabilis septenis horis quotidie in Matutino scilicet, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperis, & Completorio, mirabili modo repræsentationem dolorosæ passionis Christi ostendebat: videlicet quando captus fuit & distractus ab impiorum manibus, atque crudelissimè pertractatus. Illud tamen non prætermittendum est, quòd tam hæc, quàm aliis horis antequam surgeret rapiebatur, & in eodem statu non modico spatio, ut imago quædam lapidis aut ligni, sine sensu aut motu aut flatu tota rigida perseverabat. Post quem raptum quasi ad se reversa surgebat, & exibat de loco velociter, & incedebat per cameram suam mirabili composito gradu, Angelica ut creditur manu ducta. *Hactenus Blosius, & Arnoldus, relati apud Henriquez in Monologio Cisterciens. ad diem 19. Octobris.*

VI. B. Ida de Lovanio, (d) Virgo Monialis in Valle Rosarum prope Mechliniam Ordinis Cisterciens. ab ipsa infantia cælestibus favoribus & consolationibus assuefacta: cui quinque vulnere suorum sacra Stigmata in amoris symbolū Christus impressit, & multis eam miraculis ac revelationibus glorificavit. *Vitam eius Auctor quidam anonymus conscripsit, prout extat in Hagiologio Sanctorum Brabantie, edito ab Auctore Joanne Gilemanno, (e) ubi hæc verba sequentia leguntur de eadem Sancta Virgine: Et quoniam totâ in memoria Dominicæ Passionis summâ intentionis &*

con-

d Henriquez. in Monolog. Cister. ad diem 13. Aprilis.

e Joan. Gilemann. par. 2. Hagiologii Sanctorum Brabantie cap. 6.

considerationis suæ locaverat, ad quam Passionem tanquam ad præcipuum & singulare præsidium in omni necessitatis articulo, meditationis & affectionis aciem dirigebat: idè volens pius misericordiarum Dominus Electæ suæ vicissitudine gratissimæ retributionis occurrere, suæquè mysteria Passionis ad sibi compatiendum, novo quodam & satis inusitato rerum ordine viciniùs commendare, sanctorum Venerum suorum Stigmata manibus & pedibus, nec non & lateri sanctæ Virginis his diebus impressit; & quæ dudum in Cruce pro totius mundi redemptione Salvator noster Jesus Christus ex clavorum confixione sustinuit, horum Venerabili Sponsæ suæ gratissima monumenta non tam in memoria retinenda, quàm in suo corpore præferenda, jucundo satis & insigni miraculo commendavit. Siquidem in locis manuum ac pedum, illis scilicet, ubi manus pedesve Dominici arcebantur, quasi circuli quidam diversi coloris, repræsentationes quædam Stigmatum intrinsecus simul & extrinsecus excreverunt; quæ parvorum instar vulnerum illarum partium totam superficiem occupantes, miraculosum valdè de se cunctis, ad quorum pervenerunt notitiam & aspectum, eo tempore spectaculum præbuerunt. Quid enim miraculosius, aut quid jucundius excogitari, vel humanis valet aspectibus præsentari, quàm hoc? Lateris etiam aperturam tam hiantem & patulam aliquo tempore in loco, quo Christi latus transfossam extiterat, hæc Christi Passionis æmulatrix & socia perensisse dicitur, quèd in eodem adinstar oblongi vulneris itinere

patefacto ad hepar usque progrediens, hiatus per ipsa corporis intestina laberetur. Quo nimirum in loco tam anxiam & acerbam doloris & passionis sustinuit punctiōem, ut ex propinquis quidam ejus dolori compatientes, indumenta (quibus induebatur) ad nudam usque carnem extraherent, & ad ejusdem levigationem doloris ab omni vestimentorum obstaculo, non sine tamen pænali molestia, totam lateris superficiem expedirent. Nullius enim rei materialis attactum in eo loco sine gravi læsione sustinuit. Manus etiam & pedes in locis prædictis tam vehementis læsionis angustia premebantur, ut vel leviter his locis aut digitum supponere, aut rem aliquam corporalem absque dolore gravissimo non valuisset aliquomodo contrectare. Capitis quoque circumferentiam ex omni parte tam vehemens læsio comprimebat, ut nihil minus quàm spineam coronam portare videretur: quæ sanctissimæ Passionis tempore pungendo simul & cruentando caput Domini ambiebat. *Hactenus Gilemannus. Cujus verba referunt Henriquez in Monolog. Cisterc. ad diem 13. Aprilis, & Manrique in Annal. Cister. to. 4. ad ann. 1226. cap. 5. num. 2. & seqq. pag. 315. ubi num. 5. non tam comparat quàm præfert hanc Virginem beatam Sancto Francisco Seraphico, ob rationes ibi adductas, ex occasione impressionis Stigmatum.*

VII. S. Lutgardis Virgo, (f) Monialis Cœnobii Aquiriæ in Brabantia Ordinis Cisterciensis, desiderio incredibili inflammata pro Christo sanguinem fun-

f *Henriquez in Monolog. C. A. ad diem 16. Junii in Annotat.*

fundere, & mortem subire desiderabat, ita ut vice quadam præ nimia anxietate rupta fuerit vena, quæ extrinsecus cordi opposita est: & inde tantus sanguis emanavit, ut eo abundè vestes ejus maderent. Sæpiùs in spíritu rapta, dum Dominicæ Passionis recordabatur, toto corpore sanguine perfundebatur, faciesquè ipsius & manus, quæ solæ videri ab aliis poterant, tanquam recenti sanguine tinctæ apparebant. *Utramque rem istam in Vita ejus (g) Cantipratanus Dominicanus sic describit*: Cogitabat quandoque Lutgardis de eo qui talem à peccatoribus sustinuerat afflictionem, miroquè inflammata est desiderio Christo vicem reddendi, & pro illo martyrium obeundi. Sed quia tempus martyrii velut hyems jam transierat, imber abierat & recesserat; Christus aliud genus etiam corporalis martyrii ei præparavit. Accidit igitur nocte quadam, ut absoluto Completorio, ante suum lectum flaret in dormitorio precibus occupata: ibi tam miro quodam & ineffabili modo cæpit desiderare, ut instar Agnetis Virginis posset pro Christo sanguinem suum fundere. Cùmquè eo desiderio adedè arderet, ut se jam morituram præ ejus ardore existimaret, rupta est vena, quæ extrinsecus cordi opposita est: inde verò tam multus dimanavit sanguis, ut tunica ejus & cuculla eo abundè maderent. Itaque debilitata paululùm resedit: moxquè Christus illi apparuit vultu gratulabundo, & ait: *Pro ferventissimo martyrii desiderio, quod in sanguinis huius effusione habuisti, idem cum Virgine Agnete in ca-*

mirabili sanctitatis exemplo floruit : summo desiderio contemplandæ Dominicæ Passionis aded tenebatur, ut nihil aliud in corde aut in ore præter crucem Domini efferret, nec Christum Cruci affixum nisi lachrymis copiosis perfusa aspicere posset. Tandem ejusdem Salvatoris imagini advolta, sæpè & instantissimè postulavit, ut passionum ipsius particeps effici mereretur. Cùmquè orando & clamando perseveraret, exaudiri meruit: vulnere enim miraculosè in pede percussa, acerbissimis doloribus toto vitæ suæ cursu laboravit, quos mirâ cordis jucunditate sustinuit. *Hactenus Henriquez de B. Catharina, ejus Vitam compendiosè scripsit & edidit Bernardus Brito tom. 1. Chronicorum Ord. Cist. lib. 1. cap. 33. ubi Lector hujus Sanctæ feminae præclara gesta videre poterit.*

IX. B. Juliana Corneliensis, (k) Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis, meritis, miraculis, Spiritu prophético, ac divinis consolationibus illustris. *Hæc est Venerabilis Virgo, quæ à tenera ætate attenuerat vires externas tribus præcipuè modis: labore corporis, compassione dolorum Christi, ardore mentis. Sic enim Auctor Vitæ ipsius (1) ait: Ceciderat Juliana adhuc in ætate juventutis constituta, in multâ corporis debilitatem, quam & habuit diebus omnibus quibus vixit. Et alibi. Tria autem fuerunt, quæ à juventute sua vires corporis ejus exhauferunt: labor ingens quem habuit dum pecorum curam gereret, frequens compassio Dominicæ Passionis, & vehemens*

k Henriq. in Monolog. Cister. ad diem 5. Aprilis. l Dießberrius Blanus Prior S. Jacobi Leodien. Auctor Vitæ B. Julianæ cap. 11. & 15.

fervore accensus, sibi manus & pedes clavis ferreis perforavit, & calidum ferrum versùs cor immisit, in quo vulnere ne clauderetur, chordam è pilis equinis contortam transmisit, &c. *Id autem, (o) quod potius mirandum est quàm imitandum, Divini Spiritus inspiratione impulsus Vir sanctus fecit, ideoquè ei licitum, & Christo gratum erat.* Siquidem Christus (p) chari sui pium amorem considerans, hoc quod conceperat opere perficientis celerem vulnere illorum adduxit sanitatem, ita ut vix cicatricam in eo vestigia relinquerentur.

§. V.

S E C U N D A D E C A S
E X E M P L O R U M.

De benedictione Christi, quâ honorari meruerunt Sancti ejus.

I. **S**ANCTA Hedwigis Regina Poloniæ, (q) assumpto Cisterciensis Ordinis habitu in Monasterio Trebnicensi, sanctissimè vixit, & spiritu prophetico, miraculis, & omni virtutum genere celeberrima migravit ad Christum. *Hæc est Sancta Principessa, de qua*

Idem ibidem in Annotat. in fine. p Auctor Chronici Monasterii Villarien. lib. de claris Luminaribus ejusdem Cœnobii. q Henrici in Monolog. Cist. ad diem 15. Octobris.

LVIII *Prefatio ad Lectorem*

qua Surius (r) sic scribit: Quâdam die Sanctimonialis quædam in Monasterio Trebnicensi scire cupiens, quemadmodum Christi ancilla sola remanens in Ecclesia, se in divino exerceret famulatu, cæteris Sororibus ad mensam discumbentibus, clam intravit Chorum: ibique delitescens, vidit illam coram Altari Sanctissimæ Matris Dei humi prostratam gratias agere more suo omnium Creatori. Ei verò Altari imminet Crux non exigua, expressam habens Crucifixi imaginem. Ibi ergo sic prostratæ cum prolixius oraret uti consueverat, imago illa Crucifixi à Cruce extracta manu, & brachio dextro, illi benedixit, dicens clarâ voce: Exaudita est oratio tua: impetrabis ea quæ petiisti. Hactenus Surius. Cujus verba eadem refert Manrique in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1235. cap. 8. num. 7. pag. 512.

II. B. Ansfusus Monachus Claravallis(s) Ordinis Cisterciensis in Gallia, quem Dominus in benedictionibus dulcedinis in ipsis conversionis suæ primordiis misericorditer & mirabiliter prævenit, & multis charismatum donis divinitus illustravit, & ipse Rex Angelorum Christus Dominus se ei videndum exhibuit. Quem cum beatus Vir humiliter adorasset, tam pro se quam pro alio Religioso in conversione & probatione socio Salvatoris benedictionem obtinuit. *Id autem (t) in Collationibus Patrum Cisterciensium loci Sancti Bernardi narratur his verbis: Magnæ devotionis Vir, & magnâ præditus gratiâ, nomine*

*r Surius de Vita S. Hedwigis tom. 5. ad diem 15. Octobris cap. 2.
s Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 7. Augusti: & Idem ibidem in Annotationibus.*

mine Ansfusus, cùm adhuc esset in Claravalle Novitius, vidit in visione apparentem sibi Dominum Jesum Christum tanquam pendentem in Cruce. Erant autem [ut sibi videbatur] ibidem duo alii Novitii, qui secum erant in probatione. Cùm ergo suppliciter Dominum adorâisset, & ut sui sociorumquè suorum miseretur, humillima prece rogaret; pius Dominus motus misericordiâ, respexit & benedixit eum, & alterum etiam cum eo supradictorum Novitiorum. Quod cùm ille vidisset, cæpit rogare Dominum, ut & tertium illum simili modo benediceret. Respondit autem Dominus, nequaquam illum esse benedicendum, sed magis ad massam pertinere maledictorum. Post diem itaque tertium tertius ille Neophytus, ut tristem sui nominis etymologiam malè gerendo exprimeret, (Maligerus siquidem vocabatur) Ordine relicto reversus est ad vomitum vitæ sæcularis, & factus est apostata vilis. Reliqui autem duo qui à Domino benedici meruerunt, ipso miserante benedictionem hæreditate possederunt. *Hætenus Collationes Patrum Cisterciensium, quarum verba refert Herbertus lib. 2. de Miraculis c. 2. p. 252.*

III. Quidam Monachus Cœnobii Clarævallis in Gallia, (u) cùm se ad quærendum Dominum magno desiderio convertisset, vidit illum aliquando sibi in visione apparentem. Sollicitus autem de sua salute, flagitabat enixè salutiferâ ejus benedictione, dicens: *Obsecro, Domine, benedic mihi ut salvus sim.* Et benedixit eum in eodem loco. Quod cùm ille vidisset,

^u *Herbers. lib. 2. de Miraculis cap. 5. pag. 256.*

set, gavisus est gaudio magno: & amplexatus beatissimam manum, à qua benedici meruerat, cum ingenti devotione osculabatur eam, atque dicebat: Domine Jesu Christe crucifixe, gratias tibi ago, quia benedixisti mihi, & salvus ero. *Hactenus Herbertus.*

IV. Cuidam Monacho Claravallensi discipulo S. Bernardi, (x) cum dormisset quâdam nocte, in somnis apparuit ei Angelus Dei, & introduxit eum in quendam thalamum gloriosum, in quo videbatur Dominus Jesus Christus in Cruce pendere; & Beata Mater ejus Maria cum Joanne Evangelista juxta Crucem illius stare. Quem cum ingressus esset, tantam suavitatis fragrantiam sensit, ac si cellam aromaticam respersam omni pulvere pigmentario introisset. Videns verò Dominum majestatis, Passionis & Crucis suæ signa piissimâ dignatione sibi repræsentantem, prostratus in faciem solo-tenus adoravit Dominum, benedictionemquè illius totis medullis cordis flagitare cepit: quam etiam divinâ largitate Domini consequutus, mox evigilavit. Sed visionem illam non vanam seu illusoriam fuisse, manifestis indicibus declaratum est. Fragrantiam nempe cælestis nectaris (quam dormiendo hauserat) à somno excitatus, mirabili suavitatis unctione totum interiorem hominem suum delibutum sensit. Neque ad hoc momentum, sed tribus postea continuis diebus eadem benedictione renovari & illuminari gavisus est. *Hactenus Auctor Exordii magni: cujus verba eadem referunt Martique in Ann. Cist. tom. 2. ad ann. 1149. cap.*

* Auctor Exordii magni Ord. Cister. lib. 3. cap. 16.

cap. 4. nu. 6. & Herbertus de Miraculis lib. 2. cap. 9. pag. 263.

V. B. Alquerius Monachus Clarævallis in Gallia, (y) qui erga pauperes & ægrotos miro charitatis fervore ferebatur, multis revelationibus divinitus illustrari promeruit, Christumquè ei vulnera ac signa Passionis suæ ostendentem, ac æternam felicitatem promittentem conspexit. *Rem autem istam Auctor Exordii magni (z) ita describit:* Fuit in Cænobio Clarævallis Monachus quidam professionis suæ, Alquerius nomine, vir religiosus atque spiritualis. Hic medendi peritiâ valenter expertus, cunctis indigentibus operam artis suæ pro viribus impendebat, se autem solummodò ab hujusmodi cura excipiebat. Super egenos & pauperes intelligens, omnimodam eorum servitio sollicitudinem adhibebat. Necmodò ipsorum ægritudines livoresquè curabat, sed etiâ languentiũ putridas carnes, & sanie defluentia membra ita dignanter & diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Quadam igitur vice vidit hujusmodi visionem in Claravalle. Inprimis audivit quasi quendam nuncium cælestem præconiâ voce clamantem: *Ecce Christus venit, surgite, & occurrite Salvatori.* Cùmquè omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc & ipse cucurrit, & stetit in ostio Claustris, per quod eum venturum esse sperabat. Itaque
ingre-

y Henriquez in Monolog. Cister. ad diem 10. Novembris.

z Auct. Exordii magni lib. 4. cap. 1. apud Marrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1169. cap. 4. & apud Herbertum lib. 3. de Miraculis cap. 15.

ingrediente Domino, accessit, & adoravit eum, flagitans ut acciperet benedictionem & misericordiam à Deo Salutari suo, Quâ perceptâ, cepit eum attentius intueri, & miro pietatis affectu compatiebatur ei. Siquidem apparebat ei veluti dolens atque infirmus, confixus clavis, & lanceâ perforatus, ac si eâdem horâ de Cruce depositus fuisset; ita ut ex plagis copia Sanguinis ubertim emanaret. Porro ipse Dominus linteolos mundos quasi corporalia grunda tenens, eisdem vulneribus imprimebat, & cruore deterfo in terram eos projiciebat. Quos Frater ille cum summa veneratione recolligens, ac nimiâ devotione deosculans, quasi redemptionem animæ suæ in sinu suo repositos conservabat. His & hujusmodi revelationibus frequenter à Domino recreatus, non cessavit usque in finem operari bonum ad omnes, maximè autem ad peregrinos & pauperes ægotantes. Tandem verò cursu vitæ suæ laudabiliter peracto, cum jam tempus instaret, quo pro laboribus & sanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitate correptus ad extremam diem pervenit. Cùmquè Venerabilis Abbas Pontius ad eum gratiâ visitationis venisset, quæsiuit ab eo quid ageret, vel quomodò se haberet. Ille verò respondit: Benè, charissime Pater, benè omninò agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum. Quid ergo? (inquit Abbas) corporalem molestiam ægrè non toleras, & mortis angustiam non formidas? Ego, inquit ille, omnia tranquilla, omnia læta considero, quia præventus sum à Domino in benedictione dulcedinis,

cedinis, quâ omnem mihi mærorem à corde, & omnem penè dolorem à corpore tulit. Respondens itaque Abbas, dixit ei: Obsecro te, dilecte mi Frater, ut propter Deum dicas mihi ad ædificationem nostram, si tibi divinitus est aliquid revelatum. Tunc ait illi: Modò antequam huc introissetis, apparuit mihi misero licet atque indigno Dominus Jesus Christus, qui propitio ac sereno vultu me intuitus, ac signa beatissimæ Passionis suæ ostendens, dixit: *Ecce peccata tua deleta sunt à facie mea: veni ergo securus; veni & vide, ac deosculare vulnera mea, quæ tantum dilexisti, & toties confovisti.* Tali ergo promissione firmatus, jam mori non timeo, quia reposita est hæc spes mea in sinu meo. Et scitote, quia proxima nocte (erat vigilia S. Martini) migraturus sum, dum opus Dei celebrabitur in Ecclesia, & tali hora. Defunctus est ergo eadem nocte, & tempore quo prædixit. *Hactenus Auctor Exordii magni.*

VI. B. Conradus, Conversus Cænobii Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis in Germania, [a] vir simplex ac timoratus, & variis revelationibus illustris. Qui cum gravi infirmitate vexaretur, Christum in Cruce pendentem coram se vidit, qui dixit ei: *Courade, vides quanta propter te sustinuerim?* Aliàs in ecstasim raptus, & cælos penetrans, voces & concentus Angelorum audire meruit. *Hac autem Casarius in suis Dialogis [b] ita enarrat: Conversus quidam apud nos ante annos aliquot defunctus*

a Henriquez in *Monolog.* ad diem 15. Augusti. b Casarius Heisterbacensis lib. 8. *Dialogor.* cap. 20. apud Henriquez in *Annal. Cist.* tom. 3. ad ann. 1210. cap. 8.

LXIV *Præfatio ad Lectorem*

Ævus est, nomine Conradus. Hic tempore quodam, cum in Domo nostra Dollindorpe cui præerat, solus, esset, & magnum sui cordis defectum sentiret, ait intra se: O miser! debesne sic mori sine homine? Vix verba finierat, & in ecstasim raptus, ecce Salvatorem coram se in Crucè pendentem vidit, qui ait: *Conrade, vides quanta propter te sustinuerim?* Moxquè post verba consolationis adjunxit: Opera tua benè placent mihi. &c. *Item dictus Casarius de ejus felici obitu sic ait:* Ante mortem suam confessus est Abbati nostro, quòd voces Angelorum audierit in cælo. Obiit autem in ipsa dulcissima festivitate Assumptionis Dominæ nostræ, cui devotè servierat, *Hactenus Casarius.*

VII. *Quidam* Monachus Cænobii Clarævallis in Gallia, [c] ejusdem loci Senior, vir religiosus & omni honore dignissimus, cum esset aliquando positus in oratione mentali, factus est in mentis excessu. Et ecce apparuit ei Dominus Jesus Christus, & dixit ei: *Dimissa sunt tibi peccata tua.* Finita autem visione, cum fuisset ad se reversus, gratias egit Deo, & consolatus est nimis: erat enim sollicitus & mærens pro erratibus suis. *Hactenus Herbertus.*

VIII. S. Lutgardis Virgo Brabantina, [d] Monialis Ordinis Cisterciensis, rapta in spiritu, vidit Jesum cum vulneribus tanquam recens inflicis atque rubentibus vultui paterno adstare, & pro peccatoribus deprecari Deum Patrem. *Visionem hanc Thomas*

c. *Herbertus lib. 1. de Miraculis cap. 24. pag. 224. d. Henriquez in Menolog. Cist. ad diem 16. Junii, in Annot.*

LXVI *Prefatio ad Lectorem*

animi causâ (remotis sodalibus) deambulanti & sacris meditationibus intento apparens puer Jesus, sic Edmundum salutavit: *Salve dilecte mi*. Ille id audiens, vocem ignoti pueri admiratus est. Cernens suavissimus puer Jesus pavescit illum & hæsitandum, rursus illum salutat, & sciscitatur, num vel tenuem aliquam sui habeat notionem. Respondit ille columbina simplicitate: Neque ego ullam habeo tui notitiam, neque me puto tibi esse notum. Tum puer Jesus inquit: *Et quidnam fieri potest, ut ego tibi sim incognitus, cum in scholis ad latus tibi assideam, & ubicunque sis, comes semper individuus tibi præsidio adsim?* Cùm autem hæreret Edmundus, ait Jesus: *Respice in faciem meam, & vide quid illic scriptum sit*. Respexit ille, & vidit cælestibus literis in fronte ejus exaratum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Quod cùm puero Jesu indicasset, ille ocyùs respondit: *Hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, ejusquè ardere desiderio, semperquè noctibus accuratè imprimere fronti tuæ, quod tibi magno præsidio erit adversus mortem repentinam, sed & aliis quoque qui illud fronti suâ inscripserint*. His dictis omni melle dulcior Puer ille, in quem desiderant Angeli prospicere, ab ejus oculis disparuit, sed non parum suavitatis in ejus pectore reliquit. Ab hac visione summo ardore charitatis inflammatus Edmundus, totum se Redemptori dicare constituit, & nocte vel die Passionē Christi animo versari, in eaque medullitus delectari studuit. Cùm autem quodam die festo multis occu-

occupationibus impeditus, nocte recordaretur se Dominicæ Passionis commemorationem omis-
se, caputq; ejus fessum quietem reposceret, sub auro-
râ apparuit ei diabolus, & ambas ei detinuit manus,
ne Crucis signum posset in fronte pingere. Sed
mente orante Edmundo, dæmon inter lectum &
parietem decidit. Quem ille horrido gutture ap-
prehensum adjuravit per virtutem passionis Chri-
sti, & asperisionem Sanguinis ejus, ut diceret quibus
rebus vel maximè ab ipso infestando arceri posset.
Respondit diabolus: His, quas modò nominâsti.
*Hactenus Henriquez ex Surio, cujus verba per exten-
sum refert noster Manrique in Annual. Cist. tom. 4. ad
ann. 1227. cap. 4. num. 4.*

X. *Thomas Cantipratanus* (h) *memoria prodit
insigne miraculum, sic narrans: Eonii Cænobium
Ordinis Cisterciensis est nobilissimum atque ditis-
simum. Contigit autem, ut obnubilatum cæ-
lum tempestatem aëris gravissimam minaretur:
quæ & facta est. Sparsis ergo coruscationibus unde-
quaque per aëra, sequuntur & fulgura. Quæ ut vi-
derunt Monachi, certatim ad Ecclesiam fugerunt;
ubi Conventu in choro taliter congregato, vident
Patriæ, & specialiter Monasterio periculum immi-
nere. Inchoant igitur altissimis vocibus, *Salve Regi-
na, mater misericordiæ.* Et cum venissent ad illum lo-
cum Antiphonæ, *Eja ergo Advocata nostra, illos tuos
misericordes oculos ad nos converte: subito vehe-**

h *Tb. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 29. pag. 28. apud Manrique in
Annual. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 3. vs. 5. pag. 439.*

mentissimus ventus ab Occidente veniens cum horribili fragore, fenestras Ecclesiæ vitreas cum tanto impetu totaliter dissipavit, ut Ecclesia firmissimè solidata corruere videretur. Nec mora, ubi in tanto discrimine Sacer Conventus satis perterritus flexit genua, & illa verba ejusdem Antiphonæ cantavit, *Et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*: statim imago Crucifixi, quæ media stabat inter chorum Monachorum, & chorum Conversorum Fratrum, conversa ad Orientem, versùs chorum Monachorum reflexa est, & contra naturam picturæ oculos aperuit; & mox omnis timor sublatâ tempestate cessavit. Quis ergo in tanto miraculo non obstupescat? *Hactenus Thomas Cantipratanus.*

§. VI.

T E R T I A D E C A S
E X E M P L O R U M.

De visione Christi, quâ honorari meruerunt Sancti ejus.

- I. **B**Eatus Daniel, Monachus Cænobii Hemmenrodensis Ordinis, Cisterciensis, (i) multas habuit

i *Henriquez in Mosel. Cist. ad diem 11. Aug. ex Casario Heisterb. lib. 8. cap. 11.*

habuit revelationes : quas tamen Vir pius, & humilitatis æmulator rarè aliis communicavit. Tamen confessus fuit, se tribus vicibus Angelorum Regem vidisse. Primâ vice, in Cruce ante gradum Presbyterii : secundâ, in candidis vestibus ante majus Altare : tertiâ, in ignea forma super ipsum Altare. Qui cùm primâ vice apparuit Salvator, inquit : *Daniel, pete à me quod vis, & fiet tibi*. Cui ille respondit : Domine, sufficit mihi gratia tua, nihil aliud à te peto, nisi tantùm ut lachrymas habere possim toties, quoties Passionis tuæ fuero recordatus. Et Dominus ait ei. *Habeas tibi hanc gratiam*. Et ab illa hora, quando de Passione Christi cogitare vel loqui incipiebat, mox imbres lachrymarum in magna abundantia erumpebant ex oculis ejus. *Hac Henriquez ex Casario: cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1210. cap. 8. num. 7.*

II. B. Abundus, (k) Monachus Monasterii Villariensis in Brabantia Ordinis Cisterciensis, sæpè in ecstasim raptus, Angelorum Regem ejusquè gloriosam Genitricem nonmodò vidit, sed & eorū familiaris colloquio usus est. *Hanc autem visionem Chronicon Villariense (l) sic describit*: Cùm Abundus factus esset annorum duodecim, interno susurrio Sancti Spiritus invitatus, diebus festis Majoris Ecclesiæ frequentare limina, circumire reverenter Altaria, coram Crucifixo flectere genua, clavorum in manibus ac pedibus vulnerisquè cicatricem in latere piis

k *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 19. Aprilis.* l *Ibidem in Annuat. jux. Chronic. Villarien.*

oculis intueri, devotisquè soliloquiis piissimi Redemptoris gratiam allicere sibi pro posse cepit. Benedictæ quoque Matris Dei devotus amator existens, venerari piissimam & salutare frequenter omni laude dignissimã non cessavit. *Et Arnoldus de Raiffe* (m) *sic*: Deum opportunè importunè totis præcordiis exoravit, ut ei revelaret quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quod ipse tamen se sincerè diligentibus præparavit. Cujus petitioni quartodecimo post die annuit Deus: cùm ecce statim vidit sibi cælum apertum, Deumquè contemplatus est, ita ut nihil hac visione jucundius, nihil hac gloria delectabilius excogitari possit. Ad se postea reversus, quoties in memoriam reducebat ea quæ in spiritu viderat, lachrymas retinere non poterat. *Hactenus Arnoldus apud Henriquez.*

III. B, Vallenus, (n) Monachus Monasterii de Wardona in Scotia Ordinis Cisterciensis, divina redèptionis nostræ mysteria cælesti revelatione ad vivum expressa contemplatus est inter psallendum: In quadam enim nocte Paschæ, (o) dum Matutinis insisteret, videbatur sibi videre Dominum Jesum post flagella & ludibria allata, & coronã spineam capiti impositam, crucifixum in patibulo, palmas & plantas clavis expositas, in manus Patris animam commendantem expirãsse, ac etiam ex latere lanceã perforato sanguinè & aquam fluxisse. Porro contemplabatur Animã ejus exuto corpore, barathrũ spoliare, &

m *Ibidem Arnoldus de Raiffe in Auctario Sanctor. Belgii.* n *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem, 9. Augusti.* o *Idem in Fasciculo Sanctor. Ord. Cister. lib. 2. dist. 26. cap. 58.*

re, & ex eo innumeram multitudinem educere; Corpus resumere, & milites sepulchrum custodientes velut mortuos terrefactos jacere; & demùm lætantibus Choris Angelicis cœlum penetrare. *Hactenus Henriquez ex Joselino Furnesio, qui Acta Vita Valleni memoria prodidit, prout testatur Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1154. cap. 4. num. 5. ubi refert dicta verba.*

IV. B. Gereon, (p) Monachus Cænobii Hemmerodensis, Ordinis Cisterciensis, cœlestium arcanorum contemplationi assiduè deditus, à Christo & ejus gloriosa Genitrice multis favoribus insigniri meruit. *De his favoribus Casarius [q] sic ait:* In quadam solemnitate Nativitatis Domini Fratres ad Sacram Communionem se præparabant: cùmquè pacem jam accepturi post *Agnus Dei* terræ juxta morem procumberent, vidit Frater quidam (*Gereon ille erat*) puerum JESUM, non tamen quasi recenter natum, sed in Cruce quasi passum, cujus omnia vulnera cruorem stillabant, quem calix stans superpositus totum recipiebat. Unde Frater ille tantis sumendis Sacramentis se indignum reputans, ad superiora Stalla Monachorum se recepit; aliisque inuentibus ut procumberet, se non processurum signavit. Primâ autem cantatâ, aliis ad Capitulum exeuntibus, ipse ad orationem faciendam (ut quidam facere solent) divertit: veniensquè ad Altare Sanctæ Crucis, orationi intendit, & videbatur

p *Henriq. in Monologio Cister. ad diem 1. Augusti.* q *Casarius à Philippo citatus lib. 9. illustrium Miraculorum c, 41.*

LXXii *Præfatio ad Lectorem*

ei illud tempus breve præ devotionis magnitudine. Cùmquè orationem protraheret, & abeundi tempus non sineret, apparuit ei Beata Dei genitrix, & alloqui eum dignata est, inquiens: *Cur hodie Sacrosanctum Corpus & Sanguinem dilecti Filii mei non sumpstisti?* At ille non ore, sed corde se indignum esse clamabat. Adquod Beata Virgo respondit: *Tu te indignum cogitas: & quis putas tanta re dignus esse potest? Hanc tamen offensum tibi condonabo: sed vide, ne de cætero simile feceris.* Igitur cum orationi intentus esset, & confabulatione Beatæ Virginis delectaretur, quasi in ecstasim raptus, & tandem ad se reversus, ad Capitulum post alios occurrere festinabat, &c. *Hactenus Casarius: cuius verba etiam Manrique refert in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1211. cap. 6. nu. 5. pag. 393.*

V. B. Elisabeth de Wans, (r) Sanctimonialis Virgo Monasterii Aquiriæ Ordinis Cisterciensis in Brabantia, omnium virtutum genere, & spiritu prophetico clara. Quæ Angelicis assuefacta colloquiis, sæpè in in ecstasim rapta, intantum illustrari meruit, ut omnes æternæ vitæ prædestinatos, sibi divinitus repræsentatos, etiam ex facie cognoverit. Christum sibi adstantem per tres annos continuos conspexit. *De hac visione Thomas Cantipratanus (s) ita scribit: Hanc Elisabeth pedetentim per tres circiter annos Christi ad Crucem affixi statua undique sequebatur: & si aliquando immundis ac fædis vexaretur cogitationibus*

x Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 1. Julii. s Th. Cantipratanus lib. 2. Apura cap. 50.

tionibus, manum de Cruce porrectam suo interponerat pectori, & acutum perverfas omnes animi cogitationes abibat. *Hactenus Cantipratanus apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem 1. Julii in Annot.*

VI. B. Christina angelicæ conversationis Virgo, (t) Monialis Ordinis Cisterciensis, in Cænobio in Monte Sanctæ Walburgis propè Coloniam: cui Christus & ejus gloriosissima Genitrix plura admiranda secreta revelârunt. *De hac Beata Christina Casarius [u] ita narrat: Beatæ Christianæ Virgini Crucifixus apparuit, & homo senex juxta eum, qui ex pixide quam in manu habebat, perungebat vulnera illius. Et alibi idem Casarius ait: Dominus quoque Venerabilem Christianam Sanctimoniam visione suæ Nativitatis lætificare volens, tempore quodam ei cum Matre & Joseph apparuit pannis involutus, & in præsepio reclinatus: erant itidem panniculi lanei & albi, à pannis Sororum nihil differentes; fascia verò, quâ membra ejus ligata erant, grisei esse coloris videbantur. Vides quanta humilitas, quanta pietas sit in Dei Filio? Pannos suos pannis Ordinis Cisterciensis conformare dignatus est, ut ampliùs illa de suscepto habitu gratularetur. Hactenus Casarius apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1216. cap. 8. nu. 1. & 2.*

VII. B. Richmanda Virgo, (x) Monialis Ordinis Cisterciensis in Monte Sanctæ Walburgis, variis revelationibus illustrari promeruit, atque ipsum Regem

Henriq. in Monolog. ad diem 15. Apr. v. Casarius in suis Dialogis lib. 8. cap. 3. & 15. x. Henriq. in Monolog. Cist. ad diem 23. Octob.

LXXIV *Præfatio ad Lectorem*

gem Angelorum cum cæli Civibus frequenter inter orandum contemplata est. *De eadem Richmanda Casarius* [y] *sic ait*: In quadam solemnitate Epiphaniarum, cum in Monte Sanctæ Walburgis interesset Matutinis, & Abbatissa inchoasset Responsorium duodecimum, scilicet, *In columba specie*: illa vigilans & orans, in excessu facta, Christum infantem pannis involutum & in præsepio positum coram se vidit, & circa illum quasi thronum aëreum in similitudinem Iridis: eratque ex utraque parte ejus multitudo Angelorum, manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies in illum indeclinabiliter defigentes. Cumque ventum fuisset ad illum locum, *Paterna vox audita est*, non Conventum illa? Beata Richmanda, (in qua tunc temporis sensus exteriores defecerant] sed Patrem audivit dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene conplacui*. Erat autem Dei Filius & hominis tanti decoris, & vox Patris tanti dulcoris, ut exprimere mihi non sufficeret. *Idem Casarius* (z) *subdit aliam admirandam Christi apparitionem eidem Virgini factam, dicens*: Prædicta Richmanda tempore quodam [ut puto] Dominicæ passionis, cum de ipsa meditando valde contereretur, mente excedens, mox per spiritum in domum quandam amplam & hyemalem rapta est, in qua Salvatorem stantem vidit nudipedem & quasi captivum, & circa illum multitudinem Judæorum. Stabat enim demisso vultu, solâ tunicâ indutus at-

discin-

y *Casarius in suis Dialog. lib. 8. cap. 70* z *Idem ibidem cap. 90*

discinctus, manibus etiam demissis: tunica ejus flavum videbatur habere colorem: & [sicut ipsa mihi retulit) in diversis angulis domûs deni ac duodeni adinstar ciconiarum, congregati susurrabant, de morte illius tractantes. Erat autem domus summi Pontificis Judæorum, in qua acta sunt secundum historiam, quæ huic Ancillæ Dei ostensa sunt specialiter. *Hactenus Casarius apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1219. cap. 5. nu. 2. & 3.*

VIII. S. Lutgardis Virgo, (a) Monialis Cœnobii Aquiriæ Ordinis Cisterciensis in Brabantia, multis revelationis nobilitata est, postquam se continuis jejuniis, aliisque pœnalitatibus pro peccatoribus afflisset. *Sic enim Thomas Cantipratanus (b) de ea scribit:* Cœpit optare ferventiori animo exire è corpore, & migrare in cœlos, pro quo quotidie lachrymas funderet. Dominus autem clamoribus ejus modum ponere volens, celeriter apparuit ei, vulneribusque manuum ac pedum & lateris detectis, dixit: *En contemplare charissima, & vulnera mea clament ad te, ne frustra Sanguinem fuderim, neque sine causa mortem perpessus sim.* His & visis & auditis Lutgardis admodum exterrita, cum timore quæsiivit, quis ille esset vulnerum Christi clamor? Et responsum est ei: *Labore tuo & lachrymis iram Patris jam accensam mitigabis, ne perdat peccatores; sed ut ipsius misericordiâ convertantur, & vivant.* *Hactenus Th. Cantiprat-*

sipra-

a *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 16. Junii.* b *Th. Cantiprat in vita S. Lutgardis lib. 2. cap. 6.*

LXXVI *Prefatio ad Lectorem*

tipratanns : cuius verba refert Maurique in Anna Cist. tom. 4. ad annum 1215. cap. 8. nu. 10.

IX. B. Rodolphus, (c) Frater Conversus Monasterii de Luka, Ordinis Cisterciensis in Saxonia, sæpè cælestibus revelationibus illustrari meruit : & ipsum Christum, & alios quindecim ejusdem Monasterii Religiosos Crucibus affixos, divinoquè fulgore circumdatos conspexit . *Quomodo autem & quo ordine hæc evenerint, Casarius (d) ita describit : In Luka, in Domo Ordinis nostri Conversus quidam est (sicut ab Adam ejusdem Domus Monacho didici) vir bonus & disciplinatus, Rodolphus nomine, cui divinitus multa revelantur . Hic cum quadam nocte dictis Matutinis ante lucem sub dio staret, & orationes aliquas diceret, Christum Cruci affixum pendere in aëre vidit, & circa eum quindecim homines, singulos in singulis Crucibus . Ex quibus decem erant Monachi, & quinque Conversi, omnes ei benè noti, utpotè Congregationis suæ Professi . Ita enim aër erat illuminatus ex Christi præsentia, ut singulos plenè discerneret . Cumquè stupefactus staret ob tam mirabilem visionem, Dominus de Cruce clamans ait : *Nosti Rodolphe qui sint hi, quos circa me vides crucifixos ?* Respondente Converso, Novi Domine qui sint ; sed quid sit quod video, prorsus non intelligo . Subjunxit Dominus : *Hi planè ex omni Congregatione mecum crucifixi sunt, meæ Passioni vitam suam conformantes .* *Hactenus Casarius apud Mauri-**

c. *Henriquez in Monolog. Cisterc. ad diem 27. Maii . d. Casarius Heisterbacen. Lib. 8. Miraculor. cap. 18.*

Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1186. cap. 2. num. 9.

X. Quidam Monachus Monasterii Clarævallis, (e) homo ætate & religione provectus, quadragesimum annum in Ordine Cisterciensi agens, dum aliquando sederet in Claustro die sancto Pasceves, apparuit illi Dominus Jesus Christus, manibus & pedibus in Cruce expansis, ac si eâdem horâ fuisset crucifixus. Quæ scilicet visio felicissima quanquam brevis & penè momentanea fuerit, aded tamen manifesta atque efficax extitit, ut visionis illius devota memoria de corde videntis amplius deleri non poterit. *Hætenus Herbertus.*

2. VII.

QUARTA DECA
EXEMPLORUM.

De ferventi Sanctorum devotione erga Crucem & Passionem Christi.

1. **B.** Guillelmus, (f) Conversus Monasterii Heisterbacensis, Ordinis Cisterciensis in Germania, multis cæli charismatibus, dono præsertim lachry-

e Herbert. Lib. 1. de Miraculis. cap. 23, f Henric. in Monol. Cist. ad diem 31. Maii.

LXXVIII *Præfatio ad Lectorem*

lachrymarum, quas ex consideratione Dominicæ Passionis quotidie fundebat, insignis erat. *Sic enim de ipso Casarius (g) scribit*: Sic ascendere consuevit bonæ memorię Guillelmus Conversus noster, qui nuper defunctus est: nam sicut ipse moriens Abbati suo confessus est, tribus vicibus in die lachrymas fundebat. *Primo, ex memoria peccatorum suorum: secundo, ex consideratione Dominicæ Passionis: tertio, ex desiderio patriæ cælestis. Quidquid autem cogitare noverat vel poterat de Christi tormentis, mente percurrerebat: de quo tantam sensit dulcedinem, ac si favum mellis in ore servaret, &c. Hactenus Casarius apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem 31. Maii, in Annotat.*

II. B. Valterus de Bierbaç, (h) sanguinis splendore & sanctitatis titulo celeberrimus, qui sæculari militiæ valedicens, in Monasterio Hemmenrodi Ordinis Cisterciensis Cœnobiticam vitam Converterum amplexus est: ibique cælestibus favoribus nobilitatus, obdormivit in Domino. *Eius profundam de vitæ Christi mysteriis contemplationem Casarius (i) ita describit*. Requisitus die quadam à Priore, (sicut ipse mihi retulit) quid in mensa cogitaret manducando, eò quòd non intelligeret lectionem? Respondit: Ego habeo ibi lectionem meam: quando manducare incipio, revolve mente, qualiter pro me Dei Filius sit ab Angelo nunciatus, & in utero Virginis de Spiritu Sancto conceptus; sicq;
primum

g. Casarius Prior. Heisterbac. in Homilia Dominicæ in Quinquagesimo grad. contemplat. h. Henriq. in Monol. Cist. ad diem 22. Janu.

primum folium verto. Deinde cogito, quomodo Angelis concinentibus sit natus; & ecce perlectum est folium secundum. In hunc modum transcurro mente Circumcisionem, Magorum adventum, oblationem ejus in Templo, Baptismum, Jejunium, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & Sancti Spiritus adventum, extremumque Judicium. Talis est ergo lectio mea quotidiana, cujus finis, finis est prandii. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lachrymæ, quas in mensa frequenter solebat fundere. *Hactenus Casarius apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1216. cap. 6. num. 5.*

III. B. Briolaya Virgo, (k) quæ nuptias sibi a parentibus propositas & sæculi commoditates fastidians, Christo Virginum Sponso dulciter adhæsit, & in Cænobio Eboracensi in Lusitania seu Portugallia habitum Cisterciensem assumpsit. Ibi continuum silentium cum omnium admiratione strictissime custodivit: Christum Cruci affixum pectori impressum gestabat, omnes alias terrenarum rerum cogitationes excludens. Sæpè Sacerdoti celebranti Angelicos spiritus assistere vidit; & in eadem Hostia consecrata puerum Jesum, vel ipsum Cruci affixum, seu spineâ coronâ redimitum conspexit. Ipsum etiam Sacerdotem aliquando inter celebrandum sanguine perfusum, aliquando pulcherrimâ florum suaveolentium coronâ decoratum contemplata est. Ara quoque sacra (in qua Hostia pacifico æterno Patri

i Casarius Heisterbac, in suis Dialog. Lib. 7. cap. 29. & Henriq. in Monolog. Cist. ad eîdem 2^o. Octob.

Patri offerebatur) caelesti fulgore circumquaque rutilans Virgini oranti visa est . In tanta autem visionum magnitudine humilis perseverans , è vita mortali ad immortalitatem excessit . *Hactenus Henriquez ex Vita ipsius, edita Lusitanicè à Bernardo de Brito tom. 1. lib. 5. cap. 33. ubi eius admirandæ virtutes describuntur .*

IV. *Quidam devotus Monachus Conversus Ordinis Cisterciensis, [1] qui solebat toties, quoties eum contigerat transire coram quadam imagine Crucifixi, (quæ erat depincta in suo Monasterio) exhibebat ei profundam adorationem : & rogabat eum per illum extremum dolorem & agoniam, quem sensit in Cruce, ut dignaretur recordari animæ suæ in articulo mortis . Et perseverando in tam pio exercitio omnibus diebus vitæ suæ, tandem venit terminus moriendi, quo cum obiisset, statim apparuit Abbati suo tunc quando disponebat se ad dormiendum, & dixit ei: Cum vestra licentia, Pater Abbas, ego vado . Et respondit ei Abbas : Quò vadis ? Subjunxit Conversus dicens : Ego vado ad cælum sine dolore alicujus pænæ purgatorii, cum jam de hac vita migraverim . Super quo miratus Abbas replicavit : Quomodò hoc potest esse, quandoquidem vix homines sancti vadunt in paradysum, nisi priùs senserint aliquam pœnam purgatorii ? Tunc recensuit Conversus suam illam consuetudinem, quam faciebat dum viveret, & quòd propterea Dominus JESUS recordatus est illius . Interrogabat eum*

1 *Cæsarius Heisterbacen. in suis Dialogis Lib. .cap. .*

eum Abbas, utrum senserit dolorem in hora mortis. Respondit sibi visum fuisse, quòd totus mundus esset quasi maxima petra, quæ cor ejus premebat. His dictis, evolavit illa sancta anima ad cælum. *Hactenus Casarius apud Alexium Segala Capucinum in suo Opusculo cap. 3. pag. 62. cui titulus est: Pratica Singolare per condurre con facilità l'huomo alla vera perfettione.*

V. Quidam Venerabilis Abbas (m) de Filiis Monasterii Savigniacensis Ordinis Cisterciensis, (quem Dominus tanquam servum fidelem & benè operantem sæpè visitavit, & de arcanis suis multa revelavit,) dum aliquando in die Parasceves Crucem Domini devotè adoraret, devotionis suæ lachrymas etiam in propatulo cohibere non valebat. Quod videns juvenis quidam, carnali animo cœpit interpretari lachrymas illas judicans esse hypocritales, & nihil puritatis habentes. Moxquè suadente diabolo incidit ei desiderium vehemens, ut projecto habitu Monachali sæcularem resumeret, Crucem assueret, & iter Jerosolymitanum assumeret. Hæc eo cogitante, revelatum est Abbati divinitus, quid mali jactasset in corde Neophyti Fratris ille zizaniorum seminator antiquus. Vidit enim & ipsum invisibilem adversarium coram eo stantem instar alicujus Jerosolymitani, palmâ, perâ & baculo insignitum, atque sclavoniâ coopertum: qui cum eodem juvene disputabat, acriterquè insi-

f stens

LXXXII *Præfatio ad Lectorem*

stens usque ad buccam digitum importabat. Peracto itaque divino Officio, sollicitus fuit Abbas eundem Fratrem secretiùs convenire, præcipiens in virtute obedientiæ, ut diceret quid in illa hora sanctissima ante Crucem Domini fascinato corde proposuisset. Sentiens autem Frater à Viro spirituali se esse deprehensum, verecunnè cuncta fatetur, & se deinceps emendaturum humiliter pollicetur, &c. *Hactenus Herbertus.*

VI. B. Ermendrudis Abbatissa in Deytkirchen, (n) Ordinis Cisterciensis in Germania, post sanctissimæ vitæ felicissimum cursum, purissimum spiritum reddidit Salvatori. *Cujus pium transitum Casarius [o] sic narrat:* Cùm moritura esset, Passionem Domini coram se legi faciebat. Et cùm ventum fuisset ad locum illum, *In manus tuas commendo spiritum meum*, ex multa pietate cordis hæc verba (quæ ei ultima fuerunt) dixit: O amantissime virorum! statimquè agonizans, cum Christo & in manus Christi spiritum emisit, &c. *Hactenus Casarius apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem 29. Maii in Annot.*

VII. B. Aleydis, (p) mater Sanctissimi Parris nostri Bernardi, (quæ in sæculo non sæculariter vivens, filios quos Christo genuerat, instruxit piissimè) multis virtutibus ac sanctis operibus gloriosa, die & hora à se prædictis inter psallendum feliciter quævit in Domino, circa annum Domini millesimum cente-

n *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 29. Maii.* o *Casarius Heisterh. in suis Dialog. lib. 12. c. 43.* p *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 4. April.*

Centessimum decimum. De cuius vita sancta, & morte pretiosa (q) Joannes Eremita sic scribit: Mater Sancti Patris nostri Bernardi religiosissima extitit. Consuetudo ejus erat per singulos annos in solemnitate Sancti Ambrosii universos Clericos, quos invenire poterat, congregare, eosque in eadem die ad honorem Dei & Beatæ Mariæ & memorati Sancti cibo & potu solemniter reficere. Deus autem honorem, quem illa Sancto suo exhibebat annis singulis, eidem remunerare volens, mortis suæ (quæ in Anniversario ejusdem festivitatis dies futura erat) illam præsciam fecit die quadam ante festum. Unde ipsam spiritus prophetiæ participem fuisse non incredibile est. Illa autem viro suo, & filiis suis, & omni familiæ suæ hoc quod sibi revelatum fuerat indicavit. Cunctique admirantes, & primo non credentes contingere sicut prædixerat, postea magis admirati sunt. Porro vigilia festivitatis imminente, febris artus occupavit. Die autem festo post celebrationem Missæ, Corpus Domini sibi afferri devotissimè petiit: quod & factum est. Deinde Sacrosanctæ Vnctionis munita Sacramento, cum accepisset Eucharistiam, universos Clericos secundum consuetudinem ad cænam convocari fecit. Illis autem recumbentibus, filium suum Guidonem primogenitum advocavit, intimans ei & sollicitè inculcans, ut statim Clericos refectione completa ante se convenire faceret. Ille autem benignæ ma-

f. 2. tri

LXXXIV *Prefatio ad Lectorem*

tri suæ benignissimè obediens, post refectionem Clericos in unum convocans, fecit ut mater peterat. Adfunt Clerici: quibus congregatis in spiritu congratulans ancilla Christi, nuntiat dissolutionem sui corporis imminere. Illi autem Dominum pro ea suppliciter exorantes, Litaniam inceperunt: cum quibus ipsa, quousque ultimum exhalaret spiritum, devotissimè psallebat. Cùm verò Chorus psallentium jam pervenisset ad illam Litanix supplicationem, *Per passionem & crucem tuam libera me Domine*, necdum cessans à supplicatione: illa in ipso mortis articulo in manus Domini committens spiritum suum, & elevata manu signans se signaculo sanctæ Crucis, in pace reddidit spiritum. In hunc modum sanctâ illâ animâ (r) de templo sancti corporis egressâ, manus sicut erat erecta ad indicandum signum Crucis, videntibus & admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit. O scœminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe potentissimam, charitate devotam! O felix mulier & beata, quæ talem honorem erga Deum acquisivisti, ut & diem depositionis tuæ prænosceres, & in tuo felici transitu aded evidenter super te claresceret signum redemptionis nostræ! Signum, inquam, in quo Deus ac Dominus noster, pius Jesus pro salute humani generis pati dignatus est. *Hactenus Joannes, Eremita appellatione, Cujus verba refert Robertus Abbas Casæ Dei, Sancti Bernardi Nepos, apud Hen-*

r Idem ibidem cap. 7.

Henriquez in Monol. Cist. ad diem 4. April. in Annotationibus.

VIII. B. Gerardus, (s) Sacrista in Monasterio Clàravallensi Ordinis Cisterciensis in Gallia, vir sanctissimis moribus pollens, & Monasticæ perfectionis æmulator eximius: qui ab ineunte ætate in illa sacra Solitudine religiosæ militiæ nomen dedit; intantumquè coluit castitatis virtutem, ut felicitate quidem, non virtute, ab Angelis videretur differre. Et tandem divinitus præmonitus, mortem jam instare sibi cognovit, & miraculosis præcedentibus signis feliciter migravit ad Christum. *Quomodo autem præcesserint hac signa miraculosa, Auctor Libri de exordio Ordinis Cisterciensis* (t) sic enarrat, dicens: De cujus pia devotione illud filere non possumus, quod quasi divinitus factum ab eo, vel potius in eo miraculum vidimus, & gratulati sumus. Nam cum ultimum spiritum traheret, & jam vires loquendi non haberet, tribus aut quatuor fermè horis manus junctas atque protensas tenuit immobiles versùs Crucis imaginem, ac si aliquo fune colligatæ essent. Et cum cætera corporis membra huc atque illuc urgente dolore crebriùs jaçtaret, manus tamen (quas, ut diximus, tendebat ad Crucis imaginem) nunquam abinvicem seperavit, nunquam ampliùs ad se retraxit: & quod vivens sæpiùs actitasset, etiam mortuus indicavit, *Hactenus Auctor Exordii Ordinis Cisterciensis: cujus verba referunt.*

[*Henriq. in Monolog. Cisterciens. ad diem 27. August. t. Auctor Libri de Exordio Ord. Cisterc. lib. 3, cap. 12.*]

LXXXVI *Præfatio ad Lectorem*

Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 27. Augusti in Annot. & Herbertus Lib. 1. de Miraculis Cap. 2.

IX. Sanctimonialis quædam Ordinis nostri Cisterciensis, (u) in tanta veneratione habuit signum sanctæ Crucis, ut cum efferenda esset ad tumulum, facies Crucifixi verteretur post eam in parte illa per quam elata est, & sic caput imaginis in partem illam intendens, ut perpetuò contra solitum ita permaneret. Alia Monialis cuidam revelavit, computruisse manus suas, sed pollicem non posse corrumpi, qui signum Crucis sibi imprimere consueverat.

X. S. Hedwigis Ducissa Regni Poloniæ, (x) assumpto Cisterciensis Ordinis habitu in Cænobio Trebnicensi, sanctissimè vixit, spiritu prophético, miraculis, & omni virtutum genere celeberrima. *De hac sancta Principessa Surius (y) inter alias virtutes ejus, hanc quæ sequitur enarrat.* Sancta Hedwigis Passionem Domini Salvatoris tanta animi devotione in suo pectore versavit, ut etiam res minimas quæ mysterium Dominicæ crucifixionis repræsentabant, veneraretur. Vbicunque enim humi conspexit jacentes stipulas Crucis imaginem referentes, statim genibus flexis adorabat & osculabatur, tollensquè eas in tali loco reponebat, ubi non possent pedibus conculcari. *Hactenus Surius.*

XI. B. Medardus (z) Abbas Monasterii de Moris, Ordinis

u Tom. 6. Operum S. Bernar. in documentis vite Relig. pag. 1036.

x Henrig. in Monol. Cist. ad diem 15. Octob.

y Surius in Vita S. Hedwigis tom. 5. ad diem 15. Octob. ca p. 5. z Henrig. in Monolog. Cist. ad diem 8. Junii in Annot.

Ordinis Cisterciensis, ad tantam perfectionem devenit, ut ipsum Angelorum Regem & mundi Salvatorem, Dominum nostrum Jesum Christum corporeis oculis videre promeruerit. Fuitq; oculatus testis divini illius favoris, quo Mellissimum Patriarcham nostrum Bernardum Christus ipse intantum sublimavit, ut ipsum ad dulcissimum amplexum admisit. *De quo dictum est supra §. 3.*

¶. VIII.

*De Signo Crucis, quo excitamur ad
recolendam Passionem Christi
Domini.*

I. **A**saluberrimo Signo Crucis (a) omnes Horas Canonicas auspicari solemus. Nam, dum Sacerdos sacrarum precum initio divinum postulat adjutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus: orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam Dominus psallentes adjuvat & consolatur. Hujus autem tremendi ac sacratissimi Signi quanta sit virtus, quanta antiquitas, quanta potentia, audiamus. Præmittitur Signum Crucis, (b) à quo omnia auspicari semper Christianis solemne fuit,

^a Card. Bona lib. de Divina Psalmodia cap. 16. §. 5. num. 1. b
^b Idem Card. lib. 2. de Rebus Liturg. cap. 2. num. 3.

LXXXVIII. *Prefatio ad Lectorem*

fuit, teste *Tertuliano*, qui (c) inter ea quæ ex traditione sine ullius scripturæ testimonio usurpantur, hoc etiam recenset. *Clemens* Romanus Pontifex (d) Signum Crucis appellat infractum signum: quia sicut signum rem custodit, cui appositum & impressum est: ita Crux munitissima rerum omnium custodia est. *Sanctus Ignatius Martyr* in epistola ad *Philippenses* ait: Crux Christi perditio est diaboli. *Sanctus Martialis* in epistola ad *Burdigalenses* ait: Crucem Domini in quem credidistis, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini est armatura vestra. *Dionysius Areopagita* (e) docet, signum Crucis ad omnia Sacramenta adhiberi. *Justinianus Martyr*, (f) sive *Auctor questionum apud ipsum*, à diebus Apostolorum usum ostendit emanasse, quo Christiani dextera manu seipos & alia Signo Crucis obsignant. *Origines* (g) inquit: Quid timent demones? quid tremunt? Sine dubio Crucem Domini, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cum signum Crucis in nobis viderint fideliter fixum. *Hippolytus Martyr* (h) inter alias abominationes Antichristi hanc enumerat, quod suis cultoribus characterem dabit in dextera & in fronte, ne Crucis signum pingant in frontibus suis. *S. Cornelius Papa* in epistola ad *Fabianum Antiochia Episcopum*, Crucem vocat sigil-

c *Tertul. lib. de corona mil. cap. 3.* d *Clemen. lib. 1. Const. Ap. cap. 16.* e *Dionys. in Eccles. Hierar. f Just. quest. 118.* g *Origenes. Hom. 6. in Exod. h Hippol. Or. de consum. seculi.*

sigillum Domini, quo qui munitus non est, non potest accipere Spiritum Sanctum. *Cyprianus* (i) ad plebem Thibari consistentem inquit: Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. Et initio Libri de lapsis ait: Frons cum ligno Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini referavit. *Cyrillus Hierosolymitanus* (k) ait: Fac signum Crucis manducans & bibens, sedens & cubans, stans & loquens, & ambulans, & in summa in omni tuo negotio. *Hieronymus in epistola ad Eustochium* (l) ait: Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem. Et alibi refert, eundem Eustochium Paulæ matris ægrotæ os & stomachum signasse, ut Crucis impressione dolorem leniret. *Chrysostomus* (m) docet, Cruce signandum esse pectus ad turbatos animi motus cohibendos. *Augustinus* ait, occurrendum esse diabolo cum Crucis vexillo, ut talibus armis indutus facile vincat Christianus. *Arnobius Junior* (n) scribit, docuisse Dominum digitos nostros ad bellum: quia adversus visibiles & invisibiles docuit armare frontem triumpho Crucis. *Joannes Damascenus* (o) inquit: Crux signum nobis data est super frontem, ut Israël circumcisio: per ipsam discernimur ab infidelibus. Ipsa signaculum est, ut non tangat nos exterminator. *Corripus Poeta Africanus* (p) testatur, quod Justinus Imperator verba facturus ad populum, se signo

i Cyp. lib. 4. Ep. 6. k Cyrill. Cat. 4. l Hier. Ep. 2. & 27. m Chrys. Hom. 83. in Matth. n Arnob. in Psal. 143. o Damasc. de fide Ortod. lib. 4. cap. 12. p Corrip. lib. 2. de laud. Justini Imp.

signo Crucis muniebat. *Joannes Cretensis* (q) ait: Crux scala in cælum deducens, via ad virtutem adducens, vitæ conciliatrix, mortis solutio, corruptionis abalienatio, ignis extinctio, in Deum fiducia, clavis regni cælorum. Crux civitates sedat, domos tuetur, amicitias conglutinat, ab inimicorum injuria vindicat, hostibus resistit, Gentes persequitur, barbarorum est stimulus, pacis arbitra est. *Anselmus* (r) scribit: Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat. *S. Bernardus* (s) de *Sponsa Ecclesia* ait: Non enim erubescit ingredinem, quam novit præcessisse & in Sponso: cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nihil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsus exultationis & salutis: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi*, Grata ignomina Crucis ei, qui Crucifixo ingratus est. *Audoenus in vita Sancti Eligii* (t) inquit: Profectò magna res est signum Crucis; sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. *Thomas à Kempis* (u) ait: In tribus locis præcipuè statue signum Crucis: super cor, super os, & super brachium. Sed his prætermittis, (x) illud magis quaerendum videtur, qua ratione ipsum Crucis signum exprimi debeat, & manu formari. Sunt qui illud tribus digitis dexteræ ma-

nus

q *Andr. Cret. Orat. 1. de exaltat. Crucis.* r *Ansel. in Epist. S. Pauli ad Rom. ad cap. 10.* s *Bernard. ser. 25. in Cant. num. 8.* t *Audoen. lib. 2. cap. 16.* u *Tb. à Kemp. pauper. cap. 6. Hospital.*
 x *Card. Bona lib. de Div. Psalm. cap. 16. §. 5. num. 3.*

nus effingunt, sub Sanctissimæ Trinitatis invocatione: sunt qui duobus, ad duas Christi naturas contra Monothelitas, indicandas. Sunt (*Græci*) qui signantes se à superiori ad inferius descendunt, & à dextera transeunt ad sinistram: quia Christus de cælo descendit in terram, & à Judæis transivit ad Gentes. Usus tamen communis Occidentalis Ecclesiæ est, ut dextera manu Crucis expressio à fronte ad ventrem, & à sinistra ad dexteram producat. Dicimus autem, *In nomine*, ad significandam trium personarum indistinctam Divinitatem. *Pater* in fronte collocatur tanquam principium sine principio, prima persona Deitatis. *Filii* nomen pronunciat, cum uterum tangimus: quia ex utero ante Luciferum genitus, & in plenitudine temporis in utero Virginis incarnatus salutem operatus est in medio terræ. *Spiritum Sanctum* exprimimus, cum manum à sinistra parte ad dexteram protendimus: quia videlicet à Patre & Filio utriusque nexus, & amor procedit: & sicut Christus de morte transivit ad vitam, ita nos de miseria transire speramus ad gloriam secundum spem vitæ æternæ.

2. In Missa [y] Collecta expansis manibus brachiisque protensis recitatur, eo scilicet habitu qui Fidelibus orantibus in utroque Testamento solemniter fuit. Ideò psallebat David: *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum: in nomine tuo levabo manus meas: expandi manus meas ad te.* Nam sicut

y *Idem Card. lib. 2. de Rebus Liturg. cap. 5. n. 7.*

sicut Adam extēsa manu ad vetitæ arboris fructum, Dei præceptum transgressus est: ita credimus ipsum pœnitentem noxias manus ad Deum extendisse, cùm ab ipso veniam prævaricationis in oratione petebat; eumquè ritum filios & nepotes suos edocuisse. Hac ipsa de causa Christum in Cruce manus suas extendisse adversùs primi parentis manus incontinenter extensas Gregorii, Nazianzeni sententia est. Idcirco [*ait ille Orat. 1.*] lignum adversùs lignum, & manus adversùs manum: illæ fortiter extensæ adversùs incontinenter extensam: illæ clavis confixæ atque constrictæ adversùs remissam & solutam: illæ Orbis fines conjungentes adversùs eam quæ Adamum è paradiso exturbavit. *Consonat Melchissus Bernardus (z) cùm dicat; Verùm tamen, ut jam non sit, quod causeris, ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris: si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus suas: nescisti nihilominus quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. Utroque autem mysterio (a) Christianos hac forma orasse existimo, ut & Adami transgressionem, & Christi è patibulo pendentis ac pro nobis satisfacientis, imaginem exprimerent. Apparent passim in criptis & cæmeteriis Romanæ Urbis virorum &*

mulierum

z. S. Bern. Ser. 1. in Dom. 1. post Oct. Epiph. num. 2. & Card. Bona lib. 2. de Rebus Liturg. cap. 5. num. 7.

mulierum extensis brachiis, & elevatis manibus orantium antiquissimæ picturæ, quas Bosius spectandas exhibet in Roma Subterranea. Nec aliud Apostolus significat, cùm Timotheo scribens ait: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Consonant antiqui Patres. *Minutius Felix* ait: Crucis signū est, cùm homo porrectis manibus Deum pure veneratur. *Et Tertulianus* (b) *inquit*: Manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus, precantes semper sumus. *Item* (c) *ait*: Nos non attollimus tantū manus, sed etiam expandimus è Dominica passione modulatum & orantes confitemur Christo. *Sanctus Bernardus* (d) *inquit*: Fortassè Crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam Crucis habet: quam si manus extenderit, exprimet manifestiùs. Hunc usum orandi (e) Sancto Pachomio familiarem fuisse scriptor vitæ ejus tradit his verbis: Consueverat stans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minimè colligebat. *Herbertus Monachus Clarævallisensis, postea Archiepiscopus Turriunz Sardinia,* (f) *hac memoria prodit*: Quidam novitius Frater in Clarævalle, discipulus Sancti Bernardi, cùm ex toto corde Dominum quærere proposuisset, solitus erat, ubi opportunè potuisset, conjunctis sive expansis manibus frequenter orare. Quadam itaque nocte in principio Vigiliarum, cùm esset in choro, clausis

b *Tersul. in Apologetico cap. 30.* c *Idem lib. de orat. cap. 11.* d *S. Bern. Ser. 4. in Vig. Nat. Dom. nu. 7.* e *Card. Bona Lib. 2. de Reb. Liturg. cap. 5. nu. 7.* f *Herbert. Lib. 2. de Miraculis cap. 8. pag. 259.*

xciv *Prefatio ad Lectorem*

clausis oculis manibusque protensis ad Deum intendens, subito adfuit ibi Dominus Jesus Christus, loquens ad eum & dicens: *Porrige mihi manus tuas*. Ad hanc itaque vocem cum aperuisset oculos Frater ille multum obstupuit, & utrum dormiens an vigilans hoc audisset, non facile discernere potuit. Ex hac autem voce multam devotionem atque fervorem mentem concipiens, ipsam formam orandi servare deinceps sollicitus fuit. Post aliquantum vero temporis cum jam Monachus factus, in quodam ejusdem Ecclesie Claravallensis angulo foret, intento animo junctisque manibus stans & orans, subito fuit in spiritu raptus; & ecce adfuit ei Dominus Jesus Christus, suppositis atque expansis manibus suis manus illius suscipiens, & quasi ad professionem admittens. Quo facto cum fuisset homo reversus ad se, gavisus est gaudio magno valde. *Porrò idem Herbertus (g) narrat sic*: Dum Monachus quidam Claravallensis ægrotaret ad mortem, atque magnis febrium æstibus ureretur, ad relevationem ardoris exuta cucullam indutus est scapulari, & ita manendo exhalavit. Cumque post mortem duceretur usque ad introitum Paradisi, clausere Portarii portam, ipsumque exclusere, dicentes: Numquid iste sine cuculla recipiendus erit in ordine vel requie Monachorum? Repulsus itaque remanebat foris, pavibundus & trepidans; metuens nimirum damnationis audire & subire sententiam. Cumque ductores ejus pro illo

roga-

2 *Idem ibidem cap. 35. pag. 320.*

rogarent, dicentes eum (excepto sermone hoc) virum exitisse probabilem, & sine querela inter alios conversantem, jussus est ad humana redire, acceptâquè veniâ cum cuculla protinùs remeare. Reversus verò ad corpus, cuncta quæ viderat indicavit; induensquè cucullam, & accipiens pœnitentiam, in pace migravit. Constat ergo Monachicum habitum, in quo & forma Crucis exprimitur, si vita Monachi teneatur, magnum mysterium continere. *Hactenùs Herbertus.*

3. Inter candelabra *Crux(h)* in Altari collocari solet. *Quem ritum antiquissimum esse ostendunt plerique ex Canone tertio Concilii secundi Turonensis, habitanno 570. In quo statutum est, ut Corpus Domini in Altari non imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur.* Alii verò multò antiquiorem meritò existimant, utpotè qui ab Apostolica traditione proflexerit. Ab aspectu siquidem Crucis celebranti Sacerdoti passio Christi in memoriam revocatur, cujus Passionis viva imago & realis repræsentatio est hoc sacrificium Missæ, mortem cruentam Salvatoris nostri incruentè exprimens, tanquam idem sacrificium, quod in Cruce semel oblatum est; quamvis diverso modo offeratur. Ideo Sancti Patres (ut Seraphicus Benaventura testatur libro de mysteriis Missæ) statuerunt, ne quisquam Missas agat, nisi in Altari adsit imago Crucifixi. Adstat oranti [i] hominis Dei morientis imago, vel fringat neces-
sè

h Card. Bona lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 25. num. 8. i S. Bern. Ser. 20 in Cass. an. 7.

sè est animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Idè etiam Christi cultores (k) maximâ semper veneratione signum Crucis prosequuti sunt, adeo ut ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, frontem tererent Crucis signaculo, ut loquitur *Tertullianus* libro de Corona militis capite tertio. *Basilus* (l) inter dogmata (quæ sine Scripto recepimus) ex Apostolica traditione, hoc primo loco commemorat, ut signo Crucis signentur, qui spem in Christo collocârunt. *Augustinus* (m) ait: Quid est signum Christi, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate ungentur, sive sacrificio quo aluntur; nihil horum ritè perficitur. Post *Gregorium Nazianzenum* (n) *Freulphus Luxovien.* narrat, Julianum desertorem Fidei, etsi Cruci pertinaciter insensum, nihilominus adversus terrores dæmonû & spectra Cruce se signâsse. *Athanasius* (o) asserit, signo Crucis omnia magica compesci. *Sancta Elisabeth de Schonauvia* (q) signo Crucis nihil efficacius ad turpes effugandas tentationes asserit ex divina revelatione. Nec solum (r) Crucis signaculo in omni actu se munire con-

k *Card. Bona Lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 25. nuò 8.*

l *Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 27. in August. Tract. 118. in Ioan.* n *Greg. Naz. Orat. 1. in Jul. Freculph. lib. 4. Hist. cap. 6. o Athan. Orat. de Incarnat. Verbi. q. S. Elisabeth de Schonauvia Abbatisa Ord. Cist. Lib. Viarum Domini. apud Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 16. §. 5. nu. 3. & Henriq. in Monol. Cist. ad diem 18. Iunii. r Card. Bona Lib. 1. de Rebus Liturg. c. 15. nu. 5.*

confueverunt Fideles, sed & materialem ipsius Crucis figuram venerari . De qua re antiquos Canones collegit *Antonius Augustinus lib. 16. Juris Pontificii tit. 14. Damascenus (s) inquit*: Percussit Moyles silicem semel, & bis, non eodem modo, sed ita ut Crucis formam describeret, ut natura etiam inanimata Crucis notam veneraretur. *Hastenus (t) narrat*: Fuit olim infamis stipes, lignum ignominiosissimum, arbor infelix: postquam tamen in ea Salus mundi suspensa fuit, omnis illi ignominia detracta est: atque (ut Sybilla apud Sozomum lib. 2. cap. cecinit) *est lignum felix, in quo Deus ipse pependit*. Ipse enim Rex regum contactu membrorum suorum decorem & honorem huic ligno attulit. *Ludolphus Saxo Carthusianus (u) scribit*, Beatam Virginem Mariam primam fuisse, quæ Crucem adoravit: *Joannes Baptista Novatus (x) inquit*, à Beata Virgine lignum Crucis, in quo Christus pependit, adoratum fuisse, postquam fuit Christi demortui corpus ab eo depositum. Hanc Virginis religionem erga lignum Crucis contemplatur Divus Bonaventura in suis meditationibus capite 83. ubi Virginem è sepulchro ad Crucem redeuntem describens ait: Cum autem venerunt ad Crucem, ibi genuflexit ipsa, & adoravit Crucem dicens: Hic requievit Filius meus, & hic est pretiosissimus Sanguis ejus. Similiter & omnes fecerunt: cogitare namque potes, quod ipsa

g

prima

* *Damasc. Orat. 3. de Imag. t Hast. Ord. S. Bened. in Schola cordis lib. 4. lect. 10. u Ludolph. lib. de Vita Christi par. 2. cap. 66. x Joans. Bapt. Cleric. Regul. Cruciferorum Lib. 2. de Evanescent. Beig. cap. 5. quæst. 11.*

xcviii *Præfatio ad Lectorem*

prima fuit, quæ Crucem adoravit. *Julianus in Prognostico* (y) *inquit*: Crux ante Christum in die iudicii ab Angelis portabitur. *Eminentissimus Cardinalis Bona, spiritualis scientiæ thesaurus, cuius Opera spirituales doctrinam & cælestem pietatem redolent, docet nos verbo & exemplo suo salutare Crucem, (z) cum dicat*: Salve Crux bona, splendidior Stellis, Lunâ micantior, rutilantior Sole: quæ tanquam vernantibus gemmis membris ornata Salvatoris, & pretioso Dei Sanguine purpurata super astra cæli felices ramos expandis. Salve lignum electum germinans vitam, fructificans jucunditatem, oleum stillans lætitiæ, balsamum sudans spiritualium deliciarum. Tu salus mundi perditæ, tu portus periclitantium, tu iustitiæ norma, tu morum disciplina, tu pugnantium virtus, tu vincantium gloria, tu præmium, & corona. O Crux amabilis & dilecta, salva nos omnes tremendo tuo signaculo munitos, ut qui te fieri voluit nostræ redemptionis primum instrumentum, per te quoque sanctificatos ad suæ gloriæ consortium nos transferat: quatenus in hac nostra qualicumque pœnitentiæ cruce feliciter consummati, per ignominiam Passionis ejus ad resurrectionis gloriam perducamur. Amen.

2. IX.

¶ *Julianus lib. 2. cap. 4. 2. Card. Bona lib. de Div. Psalm. cap. 16. S. 5. n. 3.*

2. IX.

*Demirabili virtute Sacrosanctæ Cru-
cis, quâ excitamur ad recolendam
Passionem Christi.*

1. **C**RUX tutelarîs est, [a] & fidissimâ Christianorum custodia, & universorum ex adverso occurrentium insultum profigatrix. Idem Nicolaus Papa I. (b) in responsione ad Consulta Bulgarorum, eos hortatur exemplo Constantini, (cui dictum est, *in hoc signo vinces* :) ut Crucem ferant in signo militari, cum prius caudam equi portarent. De hoc etiam Consalvus (c) sic scribit: Vexillum nullum potest reperiri præstantius Salvatoris nostri Cruce, dignum sanè quod militaribus signis in serviat. Est enim Crux armatura contra hostes, invicta galea custodiens caput, lorica protegens pedus, clypeus ab inimicorum telis defendens, gladius nullo pacto propinquare sinens offendere aut lædere volentem : & ut rem paucis concludam, est nostræ salutis causa, & origo, & victoria contra Tyrannum. Meritò ergo Christus hoc loco præcipit Regi contra paganos bellum gerere volenti, ut tale vexillum in exercitu suo erigat : Crucis namque insignia propria

a Sopbron. Patriarcha Ierosolymis. Hom. de Cruce. b Nicol. 7. cap. 32. c Consal. Durans. Episc. Ferrar. in Notis ad cap. 43. Libri 8. Revelationum S. Brizite pag. pag. 667.

¶ Præfatio ad Lectorem .

pria sunt vexilla militum , teste Hieronymo in *Epistola septima ad Latam* . Hoc quoque vexillum Constantinus Magnus cum Maxentio pugnaturus crexit , eumquè in hoc signo vicit : iussitquè Labarum Romanorum antiquū vexillum (quod in exercitu Imperatorem præcedebat , & à militibus adorari solebat) in formam Crucis redigi , ut eo deinceps uterentur exercitūs Duces . Quod eo consilio fecit , ut eum solum verum Deum esse arbitrarentur , quem Imperator , Ducesquè exercitūs colentes propugnatorē adversūs hostes adhiberent , utquè milites Crucē adorare addiscerent , sicut scribunt Sozomenus lib. 1. cap. 4. & Nicephorus lib. 7. cap. 37. Porro Constantinus hoc salutari signo veluti cōtra hostes invicō propugnaculo semper est usus , ut annotavit Eusebius in *vita Constantini* lib. 1. cap. 15. Et lib. 4. cap. 9. & 8. affirmat eundem Constantinum quinquaginta viros in exercitu delegisse , ut Crucem deferrent . Et qua parte Crucis vexillum visum erat , hostes fugam arripiebant ; qui verò illud gestabat , illæsus evadebat , signo Crucis tela excipiente , sicut refert Sozomenus lib. 2. cap. 4. Neque solūm Crucis vexillum in militaribus signis insertum erat , verumetiam in ipsorum militum armis insculptum , ut idem Eusebius narrat in *vita Constantini* lib. 4. cap. 21. Hactenus *Consalvus* . Quod autem in præliis (d) Crux adversūs crucem congregiatur , portentum est , quod primò apparuit in expeditione Constantini adversūs Magnentium anno Domini 353. Non enim aliis auspici-

bus

d. Card. Bona Lib. de Div. Psalm. cap. 16. §. 5. nu. 3.

Philosophiæ Christianæ *ci*

bus tantum nefas debuit inchoare, quàm cum hæreticus Imperator adversus Tyrannum decertaret. Non desunt alii testes, & exempla multorum mirabilium, quæ Deo dilecti Viri per signum sanctæ Crucis sunt operati. Nam quis liber, aut quæ pagina Ecclesiasticæ historiæ, aut quæ vita sanctorum hominum legi potest, in quibus non statim invenias salutifero Crucis signaculo expulsos dæmones, profligatos exercitus militares, sedatas tempestates, fugatam pestilentiam, soluta maleficia, evacuatum virus, incendia extincta, interfectos dracones, erectos claudos, cæcos illuminatos, curatas infirmitates, mortuos ad vitam revocatos? Hoc signum S. Crucis [e] & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutæ (*herba venenosa*) vim dissolvit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Et enim si portas inferni perfregit, si cælorum ostia reclusit, si paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit; quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaquæ hujusmodi superavit? Theodosius, & Valentinianus Imperatores gravissimâ poenâ mulctari debere statuerunt, qui signum Crucis humi pingere sive insculpere præsumerent. *C. L. unic. Nemini licere.*

II. A. 1139. (f) dum Rex Ismarus cum alijs quatuor Regibus, ac propè infinito Maurorum exercitu Lusitaniam depopulandus invadit; primo diluculo

e Chryssostom. Hom. 55. in Matth. & Anton. Vasconzelius in *Assis* Reg. Lusit. Anacrophat. 2.

Princeps Alphonfus è tentorio egressus, suscipit signum Crucis miræ magnitudinis, & Jesum Christum in eo crucifixum: qui eum benevolè affatus, Scutum quinque vulneribus interpunctum (quale postea Lusitanæ Reges in regium Stemma coaptarunt) ostendit & concessit. Igitur Alphonfus Deo duce quinque Reges profligat, & ducenta millia Maurosum, victoriamquè obtinuit. *Hanc Historiam fuscè narrat Bernardus de Brito in Chronicis Cisterciensibus tomo primo, libro tertio, capite tertio; sed fusiùs Henriquez (g) prosecutus est in suo Fasciculo, ubi totius historie seriem describit, referens ipsiusmet Alphonfi testimonium tenoris sequentis: Ego Alphonfus Portugallie Rex, &c. coram vobis bonis viris Episcopo Bracharensi, & Episcopo Connibricensi, &c. in hac Cruce terrea, & in hoc libro sanctissimorum Evangeliorum juro cum tactu manuum mearum, quòd ego miser peccator vidi hisce oculis. meis indignis verum Dominum nostrum Jesum Christum in Cruce extensum, in hac forma. Ego eram cum meo hoste in terris ultra Tagum, in agro Auriquio, ut pugnarem cum Ismaële, & aliis quatuor Regibus Maurosum, habentibus secum infinita millia; & gens mea timorata propter multitudinem erat fatigata, & multùm tristis, intantum ut multi dicerent esse temeritatem inire bellum. Et ego tristis de eo quod audiebam, cæpi mecum cogitare quid agerem; & habebam unum Librum in meo papilione, in quo erat scriptum Testamentum antiquum, & Testamen-*

tam

cum Jesu Christi. Aperui illum, & legi victoriâ Ge-
 deonis, & dixi intra me: *Tu scis Domine Jesu Chri-
 ste, quia pro tuo amore suscepi bellum istud contra
 tuos inimicos, & in manu tua est dare mihi & meis
 fortitudinem, ut vincamus illos blasphemantes tuum
 nomen.* Et sic dicens, dormivi supra Librum, & vi-
 debam virum senem ad me venientem, dicentem-
 què mihi: *Alphonse, confide: vinces enim, debellabis-
 quâ Reges istos infideles, conteresquè potentiam eorum,
 & Dominus noster ostendet se tibi. &c.* Ego parui, &
 reverenter in terra positus, & nuncium & mitten-
 tem veneratus sum. Postea ense & scuto armatus,
 egressus sum extra castra, vidiquè subitò à parte dex-
 tra versùs Orientem micantem radium, qui paula-
 tim splendescens crescebat in majus. Et dum ocu-
 los ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipso
 radio clarius sole signum Crucis aspicio, & Jesum
 Christum in eo crucifixum, & ex una & altera parte
 multitudinem juvenum candidissimorum, quos san-
 ctos Angelos fuisse credo. Quam visionem dum
 video, deposito ense & scuto, retractisque vestibus &
 calceamentis, pronus in terram me projicio; lachry-
 misquè abundè missis, cæpi rogare pro confortatione
 Vasallorum meorū, dixiquè nihil turbatus: *Quid tu
 ad me venis Domine? credenti enim fidem vis augere?
 Melius est, ut se videant infideles & credant, quàm
 ego, qui à fonte baptismatis te verum Deum, Filium
 Virginis & Patris æterni agnovi, & agnosco.* Erat
 autem Crux miræ magnitudinis, & elevata à terra
 quasi decem cubitos. Dominus autem suavi vocis

sono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi: *Non ut tuam fidem augerem, hoc modo apparui tibi; sed ut corroborarem cor tuum in hoc conflictu, & initia Regni tui supra firmam petram stabilirem. Confide Alphonse: non solum enim hoc certamen vinces, sed omnia alia, in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris. Gentem tuam invenies alacrem ad bellum, & fortem, & potentem, ut sub Regis nomine in hac pugna ingrediaris. Nec dubites: sed quidquid petierint liberè concede. Ego enim adificator & dissipator Imperiorum & Regnorum sum: volo enim in te & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur Nomen meum in exteras Gentes. Et ut agnoscant successores tui datorem Regni, Insigne tuum ex pretio quo ego humanum genus emi, & ex eo quo ego à Judæis emptus sum, compones: & erit mihi Regnum sanctificatum, fide purum, & pietate dilectum. Ego ut hæc audiui, humi prostratus adoravi dicens: Quibus meritis Domine, tantam mihi annuncias pietatem? Quidquid jubes, faciam: & tu in mea prole, quæ promittis, oculos benignos pone, Gentemque Portugallensem salvam custodi; & si contra eos aliquod paraveris malum, verte illud potius in me, & in successores meos; populum verò, quem tanquam filium diligo, absolue. Annuens Dominus inquit: Non recedet ab eis, neque à te unquam misericordia mea: per illos enim paravi mihi messem multam, & elegi eos in messores meos in terris longinquis. Hæc dicens Dominus disparuit: & ego fiduciâ plenus & dulcedine redii in castra. Et quod taliter fuerit, juro*

ego Alphonſus Rex per ſanctiſſima Jeſu Chriſti Evan-
gelia hiſce manibus meis reverenter tacta . Idcirco
præcipio ſucceſſoribus meis in perpetuum futuris ,
ut Scuta quinque in Crucē partita propter Crucem
& quinque Vulnera Chriſti in Inſigne ferant , & in
unoquoque triginta argenteos, & inſuper ſerpentem
Moysi ob Chriſti figuram: & hoc ſit memoriale
noſtrum in generatione noſtra. &c. Facta eſt hæc
charta Conimbricæ tertio Kalendas Novembris,
Anno 1152. Hactenùs juramentum Regis Alphonſi
(h) poſt tertiumdecimum annum factum, notatum-
què contra morem ex ànno Chriſti, & fermè poſt
quingentos annos in lucem editum . Igitur cùm ſa-
cra viſio evanuit, (i) Alphonſus extaſi & exultatione
repletus, ad tentoria unde egreſſus fuerat rediit, ibi
reliquam partem noctis in orationibus & gratia-
rum actionibus conſumpſit. Mane autem factò, mi-
lites ſuos in unum congregatos, cùmquè magna lati-
tiæ ſignificatione Regem proclamantes ad prælium
exhortatus eſt. Aciebuſquè ad pugnam inſtructis,
ſacrum Miſſæ ſacrificium celebrari præcepit, quo
audito, & ſacra Communionem percepta, pugne ſi-
gnum proponitur, ſignaque inferri mandantur. Idem
hoſtes faciunt. Pugnatur ab utriſque acriter pro glo-
ria, pro ſalute, pro imperio. Maurorum tandem
multitudo virtute noſtrorum devicta eſt, magnus ex
iis numerus trucidatus, plerique capti, quinque Re-
gum ſigna in poteſtatem noſtrorum venerunt. Pro-
pterea

h *Manrique in Annał. Ciſt. tom. 1. ad annum 1142. cap. 3. nu. 6*
i *Henriquez in Faſc. Sanctor. Ord. Ciſt. lib. 1. diſt. 4. c. 12*

cvi *Præfatio ad Lectorem*

pterea Alphonſus primus Rex Luſitanorū. (k) qui bel-
licia operibus & eximiis virtutibus inſignis exiſtens,
ab ipſo Chriſto cœleſtibus favoribus affici meruit,
Regiſmquè titulum pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ab
Innocentio Papa II. procurante Sanctiſſimo Patre
Bernardo obtinuit. *Hactenus de rebus Luſitanis.*

III. Anno 1124. (l) Hieroſolymorum Rex
Balduinus captus à Saracenis, ſed miraculo non mi-
nùs inſigni, & rei Chriſtianæ longè fructuoſiori, li-
bertate donatus eſt per virtutem Crucis Chriſti.
Hanc capturam, & libertatem Robertus Sigibertus
(m) *ſic deſcribit:* Balduinus Rex Hieroſolymorum
à Saracenis præventus capitur: qua de re mente ex-
cedentes, undiqueverſùm evocati ad quadraginta
millia conglomerantur, ut Chriſtianos à finibus ſuis
exterminent, & apud Aſcalon impedimenta ſua
commendent. Chriſtiani verò in arcto poſiti, nihil
ſpei niſi in Deo habentes, exēplo Ninivitarum utri-
que ſexui jejunium indicunt; pueris etiam lactan-
tibus, infantibus, univerſo quoque pecori pabula
denegantur. Dies pugnæ indicitur: procedunt
Chriſtiani cum equitibus & peditibus, vix ad tria
millia æſtimati: Principes gradiuntur in fronte, ſci-
licet Patriarcha vexillo offerens Crucem Chriſti,
Abbas Cluniaceniſis Pontius præferens Lanceam
transfixam in latere Chriſti, Episcopos Bethlehe-
mites ferens in pixide Lac Sanctæ Mariæ Virginis.
Saraceni verò quaquaversùm effuſi, ex omni latere
in

k Idem in *Monol. Ciſt.* ad diem 22. Novemb. l *Manrique* in *Annal. Ciſt.* tom. 1. ad ann. 1124. cap. 1. num. 5. m *Robert. Sigibert. ſon-
ſinator Chronicor.* ad ann. 1124.

in orbem circumcingunt Christianos, ne quis possit evadere. Dum ita in promptu hærent Christiani, vident Deo sibi auspice splendorem, scisso aëre, super paganos subito cecidisse; non tamen prosperum, sed satis nocivum, quamvis hunc splendorem ipsi Saraceni non viderint. Illicò enim omnium vitium robore enervati, passim fugientes cæduntur non solum à viris, sed etiam à pueris & fœminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia: omnes verò Christiani incolumes reversi, summum & dulce epinicium roboant Deo in excelsis. *Hactenus Robertus de miraculosa illa victoria.* Hic est Balduinus Rex, (n) qui libertati per eam victoriam Regno redditus, amico Dei Bernardo jam tunc celebri, quasi in gratiam suscepti beneficii, locum obtulit Sancti Samuëlis, non longè ab Hierosolymis constitutum, simulquè mille aureos in opus fabricæ: quem Monachi è Claravalle missi inhabitarent. *De hac donatione etiam ipse S. Bernardus in sua Epistola (o) sic narrat:* Apud Hierosolymam Rex Balduinus, dum adhuc viveret, locum Sancti Samuëlis donavit nobis, & mille aureos simul, de quibus ædificaretur Ecclesia.

IV. Anno. 1144. (p) salutiferi ligni Crucis interventu, semel, & iterùm salus impetrata religiosiores fideles effecit. *Hanc historiam Guillelmus Tyrinus latius quidem, sed brevius ex ipso Baronius (q)*

iu

n *Maurique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1124. c. 1. n. 6. o S. Bern. in Epist. 252. n. 1. a l. Abb. Præmonstraten. p. Maurique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1144. cap. 4. nu. 1.*

cviij *Præfatio ad Lectorem*

in hunc modum describit. Erat Regio tota (scilicet Hierosolymitana) vepribus & frutetis humilibus, cardonibus aridis & sinapis sylvâ, veteribus stipulis & frugibus jam maturis obsita. His omnibus ignem subijciunt Saraceni, vento nostris obvio fomitum & vires ministrante. Hinc incendii vicinioris afflatu, fumiquè occurrentis nube densissima nostris Christianis ingeminatur molestia. Cùm ecce ad Venerabilem virum Dominum Robertum Nazarenum Archiepiscopum, qui lignum Crucis Dominicæ portabat, omnis populus cum clamore & ululatu conversus postulabat cum lachrymis, dicens: *Ora pro nobis pater, & per hoc vivifica Crucis lignum quod manibus gestas, in quo nostræ salutis Auctorem Jesum credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutius sustinere non possumus.* Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie quàm toto corporis habitu, nigredine factus decolor, & tam æstatis quàm incendiiorum caumate duplicato, ad supremum afflictus siti supra vires laborabat. Ad has itaque gementis populi voces Vir Deo amabilis compunctus corde, & animo valdè compatiens, salutare lignum Sanctæ Crucis erigit contra incendia, quæ illi hostes totis viribus procurabant. Et invocato de supernis auxilio, statim adfuit virtus divina, in momento conversis in oppositum flatibus, incendia tetra simul cum fumi caligine in hostes, qui

no-

q. Card. Baron. in *Annal. Eccl. ad annum 1144. ex Græll. Tyris & Bello Sacro lib. 16. cap. 11. 12. & 13.*

nostrum præcedebant exercitum , se direxerunt : & quæ in nostram paraverant læsionem , in suam viderunt retorta perniciem. Stupent hostes novitate miraculi , & singularem reputant Christianorum fidem , quæ tam præsens à Domino Deo suo pro nobis impetret beneficium. *Porrò audiamus adhuc alterum potentius miraculum.* Cùm in alia tam inevitabilia Christianorum exercitus incidisset discrimina , ut errarent omnes in invio & non in via , & angustiis locorum intercludendi , ab ingruentibusquè hostibus omnes cædendi essent : prævio ignoto duce , (nempe cælesti nuncio,) eodemquè signifero per alias vias est securè deductus Hierosolymam usquè. Qui & admirabili perfunctus hocce ministerio , ab omnium mox evanuit oculis. Sicquè sacratissimæ Crucis adminiculo , in expeditione omnium periculosissima , cum Rege omnis exercitus divina virtute est liberatus. *Hactenus Cardinalis Baronius ex Guillelmo Tyrio.* His tunc miraculis (r) recens gloriosum lignum Crucis Hierosolymorū Patriarcha pro hoc beneficio accepto veneraturus cum Bernardo divisit , transmissis fragmento in Claravallē : ut vel pars salutis tribueretur illius meritis , qui non cessabat orare pro victoria ; seu sacro ligno vicem qua posset redderet , transmissa parte in eam mundi plagam , ubi religiosius reverentiùsquè veneraretur. *De hoc autem munere ipsa Sanctus Bernardus in sua Epistola responsiva (s) ad literas Patriarchæ Hierosolymitani ita scri-*

(r) *Maurique in Annal. Cist. tom. 1. ad an. 1144. cap. 4. n. 4. s. S. Bern. inter suas Epistolas Epist. 174.*

scribit: Patriarchalibus scriptis sæpiùs visitatus, ingratus jam videbor, si non rescripsero. At si saluto eum qui me salutavit, quid amplius feci? Tu enim me prævenisti in benedictionibus dulcedinis, tu me prior dignatus es tuis transmarinis epistolis visitare, tu mihi primas humilitatis charitatisquè præripuisti partes: quid dignum jam referam? Nihil mihi denique reliquisti, quod pari queam rependere vice: qui etiam de thesauro sæculorum mihi impertire curasti, id est de ligno Crucis Domini. &c.

V. Anno 1188. [t] Clemens Papa III. statuerat, ut ab universali Ecclesia fieret sine intermissione oratio ad Dominum pro pace, & liberatione Jerusalem & Christianorum captivorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur. Deinde, ne vocali orationi deessent opera, aut animal pennatum sine manibus juxta exemplar à Domino monstratum inveniretur: provisum item fuit, ut potentissimi Gallie & Anglie Reges depositis, quibus offensi invicem erant, pristinis simultatibus, convenirent in unum; & junctis viribus in Orientem properare affectuosè disponerent, Crucem, Templum Jerosolymitanum, & Dominicum Sepulchrum (si Deus annuat] de manibus impiorum liberaturi. Et acceptasse Christus visus est utriusque Regis obsequium, signo Crucis in aère ostenso super utriusque caput, dum Crucem susciperent in die Sanctæ Agnetis, Gallie & Anglie Episcopis palàm adstantibus, Processionibus-

t *Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1188. cap. 1. n. 2.*

ribusquè, ut Rogerius Hovedenius in Annalibus Angliæ ad hunc annum testificatur. *Hactenus Maurique in Annal. Cist.*

VI. Anno 1210. (a) in expugnatione Castri Minervæ rebellium hæreticorum, contigit miraculum Tolosæ à multis visum hoc ipso tempore, quod Petrus Valsarniensis in Historia Albigeniensi capite 38. narrat in hæc verba: Miraculum illud quod contigit apud Tolosam, dum esset Comes noster in obsidione Castri Minervæ, hîc duximus inserendum. In Civitate illa propè palatium Comitis Tolosæ est quadam Ecclesia fundata in honorem B. V. Mariæ: parietes autem illius Ecclesiæ de novo erant forinsecus dealbati. Quodam autem die ud vesperum cæperunt videri infinitæ Cruces in parietibus ipsius Ecclesiæ circumquaque, quæ videbantur quasi argentæ, ipsis parietibus albiores. Erant enim Cruces semper in motu apparentes, quæ subito statim non videbantur. Siquidem multi eas videbant, sed aliis ostendere non valebant. Ante enim quàm posset digitum levare quis, disparuerat Crux quam volebat ostendere: nam in modum coruscationis apparebant, nunc majores, nunc mediæ, nunc minores. Duravit visio ista serè per quindecim dies, singulis diebus ad vesperam. Itaque serè omnis populus civitatis Tolosæ hæc viderunt. Accidit autem Deo disponente, (b) quòd Capellanus prædictæ Ecclesiæ Cruces videre non potuit prænotatas: quædam

^a *Ibid.* ad ann. 1210. cap. I. tit. II. b *Ibidem* tit. 12.

dam igitur nocte intrans ipsam Ecclesiam, dedit se in orationē, rogans Dominū, ut sibi etiam dignaretur ostendere hoc quod viderant fieri omnes. Subitò autem vidit innumerabiles Cruces, non in parietibus, sed in aëre circumfuso: inter quas una Crux cæteris major & eminentior cunctis erat. Mox egrediente majore Cruce de Ecclesia, omnes egressæ sunt post illam, cæperuntquè recto cursu tendere versùs portas Civitatis. Sacerdos autem vehementissimè stupefactus, Cruces illas sequebatur: & dum essent in ingressu Civitatis, visum est Sacerdoti, quòd quidam tendens in Civitatē reverendus & decorus aspectu, evaginatam tenens gladium, Crucibus illis præbentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de Civitate in ipso ingressu interfecit. Sæpèdictus itaque Sacerdos factus exanimis præ timore, cucurrit ad Dominum Vticensem Episcopum, procidensquè ad pedes ejus, istud sibi per ordinem enarravit. *Hactenus ille.*

VII. Anno 1211. (c) memorat Petrus Valsarniensis in Historia Albigeni capite. quinquagesimo primo id quod non licet silentio præterire, divinà providentiâ esse effectum, ut, quia obsessi Castrì Vaurensis irrississent signum Crucis, in ejus die Festo (mense nimirum Majo) & caperetur Castrum, & præcipui ex propugnatoribus ejusdem Castrì trucidarentur. Quadam die (*inquit Petrus*) erexerunt nostri propè murum Castrì castellum quoddam de lignis, in cujus summitate Christi milites posuerunt
signum

c *Maurique in Annal. Cist. tom. 3. ad annum 1211. c. p. 1. n. 8.*

CXVI *Præfatio ad Lectorem*

qua de causa egressi erant omnes, & ante fores Ecclesie prædicationem Abbatis audiebant. Circa finem vero prædicationis, cum Venerabilis Abbas vellet hortari populum qui aderat, super assumendis Crucibus contra Albigenes, subito videntibus cunctis apparuit Crux in aëre, quæ versùs partes Tolosanas tendere videbatur. Miraculum istud audivi ab ore dicti Abbatis, Viri religiosi, & grandis authoritatis. *Hæc Petrus Valsarnionensis.*

IX. Anno 1213. (f) Alphonfus Rex Castellæ Innocentio Papæ III. scribit de suscepta expeditione contra Saracenos, & de Calatrava expugnata, cæterisque, & de Catholici exercitus (Rustico quodam ducente) dispositione. Rusticum hunc, (g) à quo ductus est exercitus, Genium de cœlo missum qui putarent nequaquam defuere, eò quod postmodum quæsitus non comparuerit. Multum ad victoriam contulisse signum Crucis, vario colore in aëre sub ipsum confictum visum esse quidam scribant: negant alii argumentando quòd Rodericus Præsul Toletanus de re tanta nihil meminit, ne Rex quidem ad Innocentium in iis literis, quas de belli summa conscripsit. Convenit Paschasium (Toletanus is Canonicus erat, deinde Decanus, extatque sepulchrum ejus in Sanctæ Lucie sacello Templi maximi Toletani) Crucem, quam Roderico Præsuli de more præferbat insignem, per cuneos hostium semel & secundò circumtulisse, evalisseque incolumem, tametsi telis omnibus

f. *Mauriq. in Annal. Cister.* tom. 3. ad annum 1212. cap. 4. no. 2. & seqq. g. *idem ibidem* nu. 11.

omnibus petebatur, multæque sagittæ Crucis hostili confixæ sunt. *Certè hoc ultimum Toletanus Præsul scribit: Crux verò Domini, quæ coram Toletano Pontifice consueverat bajulari, præferente eam Paschasio Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculosè transivit, & ibidem illæso baculo, sine suis usque ad finem belli, sicut Domino placuit, perduravit. Hactenus Maurique ex Regest. Vatic. lib. II. cap. 24.*

X. Anno 1183. (h) B. Walterus de Bierbaç, sanguinis splendore, & sanctitatis titulo celeberrimus, sæculari militiæ valedicens, in Monasterio Hemmenrodensi Ordinis Cisterciensis cœnobicam vitam Conversorum amplexus est. Cùm adhuc sæculari militiæ deditus esset, (i) Deiparam pio affectu colebat, ab ipsa què singulariter dilectus, singularibus etiam favoribus meruit insigniri. Cùm enim aliquando sacrificio Missæ interesset, & Sacerdos post consecrationem Calicem more solito elevasset, vidit juxta ipsum Calicem Crucem auream miri decoris, & chartulam hæc verba continentem: *Crucem hanc defer ex parte mea* (Maria, inquit Mater Christi) *amico meo Waltero militi propè Bierbaç.* Quam cùm Sacerdos legisset post completionem Missæ, pulpitum ascendit, & clamavit: Estne aliquis hæc miles, qui vocatur Walterus de Bierbaç? Respondensibus quibusdam, Ecce hic est. Sacerdos eum seorsùm duxit, Crucem porrexit, & ubi

h 2

illam

h Henriquez in Monol. Cist. ad diem 22. Januarii i Idem ibidem in Annor. ex Casario Heisterbaech. lib. 7. cap. 39.

illam invenerit, vel quis miserit, intimavit. Quam lætus suscipiens, in Hemmenrode conversus eam Abbati consignavit. Cujus aurum tanti fulgoris erat, ut omne aurum in ejus palesceret comparatione. *Hactenus Henriquez, ex Casario, cujus verba per extensum refert Manrique in Annual. Cist. tom. 3. ad ann. 1183. cap. 5. n. 4. & 8.*

XI. Ante annum 400. & ampliùs, (k) Caravaca Urbs Regni Murciae adhuc Agarenis parebat, dum Rex barbarus à Sacerdote ergastulis suis educto, rem divinam se spectante vult peragi. Igitur ipso Inventionis Sanctæ Crucis die festo, dum Sacris operaturus ad Altare consistit Sacerdos, Cruxquè ejusmodi mysterio ritibusquè adhiberi solita deest; ecce ex fornice, qui Altari imminet, dehiscente magnus è vestigio splendor effulget, & per hiatus patentem duo Angeli de cælo Crucem deferentes, super Ara parata ritè deponunt. Stupet Rex Agarenus cum Proceribus suis, fidemquè complexus, Augusto Sacello intra arcem constructo, cæleste donum pretiosæ arcæ servandum includit. Idem ipsum citra cariem & putredinem inde usque illæsum, quotannis publicâ pompâ, innumeris hominibus undique circumfluentibus ad fontem defertur: cujus ille sacer fons attactu plurimos variâ ægritudine detentos pristinae restituit sanitati. *Hac Grosferus, ex Ciaccono.*

S. X.

k Grosferus *Paralip. lib. 2. de Cruce, ex Ciaccono lib. de signis Crucis cap. 35.*

§. X.

De Eucharistica Liturgia , qua excitamur ad recolendam Passionem Christi.

I. Sicut Reges & Magistratus (a) non vulgari, & quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quo potestas eorum appareat, & ipsis reverentia concilietur: ita Sacerdos celebraturus sacro & peculiari utitur habitu, Amictu scilicet, Albâ, Cingulo, Manipulo, Stolâ, Casulâ sive planetâ, quibus & Passio Christi ante sacrificium recolenda repræsentatur. *Amictus* velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cum percutiebant eum illudentes & dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* *Alba* vestem albam denotat, quâ ab Herode tanquam stultus indutus fuit. *Cingulum* significat funes, quibus in horto vinxerunt eum; sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissimè cæciderunt. *Manipulus* denotat vincula, quibus adstrictæ sunt manus ejus tanquam hominis nefarii & scelerati. *Stola* significat funes collo ejus injectos, sive Crucis patibulum humeris ejus impositum, & in quo pro nobis pependit. *Planeta* denotat vestem purpuream, quam ei milites in

a Card. Bona in Tract. de Sacrificio Missæ cap. 5. §. 2.

civ. *Prefatio ad Lectorem*

sono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi: *Non ut tuam fidem augerem, hoc modo apparui tibi; sed ut corroborarem cor tuum in hoc conflictu, & initia Regni tui supra firmam petram stabilirem. Confide Alphonse: non solum enim hoc certamen vinces, sed omnia alia, in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris. Gentem tuam invenies alacrem ad bellum, & fortem, & potentem, ut sub Regis nomine in hac pugna ingrediaris. Nec dubites: sed quidquid petierint liberè concede. Ego enim adificator & dissipator Imperiorum & Regnorum sum: volo enim in te & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur Nomen meum in exteras Gentes. Et ut agnoscant successores tui datorem Regni, Insigne tuum ex pretio quo ego humanum genus emi, & ex eo quo ego à Judais emptus sum, compones: & erit mihi Regnum sanctificatum, fide purum, & pietate dilectum. Ego ut hæc audiui, humi prostratus adoravi dicens: Quibus meritis Domine, tantam mihi annuncias pietatem? Quidquid jubes, faciam: & tu in mea prole, quæ promittis, oculos benignos pone, Gentemque Portugallensem salvam custodi; & si contra eos aliquod paraveris malum, verte illud potius in me, & in successores meos; populum verò, quem tanquam filium diligo, absolue. Annuens Dominus inquit: Non recedet ab eis, neque à te unquam misericordia mea: per illos enim paravi mihi messem multam, & elegi eos in messorum meos in terris longinquis. Hæc dicens Dominus disparuit: & ego fiducia plenus, & dulcedine redii in castra. Et quod taliter fuerit, iuro*

ego

ego Alphonfus Rex per sanctissima Jesu Christi Evangelia hinc manibus meis reverenter tacta . Idcirco præcipio successoribus meis in perpetuum futuris , ut Scuta quinque in Crucē partita propter Crucem & quinque Vulnera Christi in Insigne ferant , & in unoquoque triginta argenteos, & insuper serpentem Moysis ob Christi figuram: & hoc sit memoriale nostrum in generatione nostra. &c. Facta est hæc charta Comimbriæ tertio Kalendas Novembris, Anno 1152. Hactenùs juramentum Regis Alphonfi (h) post tertium decimum annum factum, notatumquè contra morem ex ànno Christi, & fermè post quingentos annos in lucem editum . Igitur cùm sacra visio evanuit, (i) Alphonfus extasi & exultatione repletus, ad tentoria unde egressus fuerat rediit, ibi reliquam partem noctis in orationibus & gratiarum actionibus consumpsit. Mane autem facto, milites suos in unum congregatos, cùmquè magna lætitiæ significatione Regem proclamantes ad prælium exhortatus est. Aciebusquè ad pugnam instructis, sacrum Missæ sacrificium celebrari præcepit, quo audito, & sacra Communionem percepta, pugnæ signum proponitur, signaquè inferri mandantur. Idem hostes faciunt. Pugnatur ab utriusque acriter pro gloria, pro salute, pro imperio. Maurorum tandem multitudo virtute nostrorum devicta est, magnus ex iis numerus trucidatus, plerique capti, quinque Regum signa in potestatem nostrorum venerunt. Propterea

^a Manrique in *Anna. Cist.* tom. 1. ad annum 1142. cap. 3. nu. 6
^b Henriquez in *Fasc. Sanctior. Ord. Cist.* lib. 1. dist. 4. c. 10

pterea Alphonſus primus Rex Luſitanorū. (k) qui bel-
licis operibus & eximiis virtutibus inſignis exiſtens,
ab ipſo Chriſto cœleſtibus favoribus affici meruit,
Regiūmq̃ titulum pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ab
Innocentio Papa II. procurante Sanctiſſimo Patre
Bernardo obtinuit. *Hactenùs de rebus Luſitanis.*

III. Anno 1124. (l) Hieroſolymorum Rex
Balduinus captus à Saracenis, ſed miraculo non mi-
nùs inſigni, & rei Chriſtianæ longè fructuoſiori, li-
bertate donatus eſt per virtutem Crucis Chriſti.
Hanc capturam, & libertatem Robertus Sigibertus
(m) *ſic deſcribit: Balduinus Rex Hieroſolymorum*
à Saracenis præventus capitur: qua de re mente ex-
cedentes, undiqueverſùm evocati ad quadraginta
millia conglomerantur, ut Chriſtianos à finibus ſuis
exterminent, & apud Aſcalon impedimenta ſua
commendent. Chriſtiani verò in arcto poſiti, nihil
ſpei niſi in Deo habentes, exēplo Ninivitarum utri-
que ſexui jejunium indicunt; pueris etiam lactan-
tibus, infantibus, univerſo quoque pecori pabula
denegantur. Dies pugnæ indicitur: procedunt
Chriſtiani cum equitibus & peditibus, vix ad tria
millia æſtimati: Principes gradiuntur in fronte, ſci-
licet Patriarcha vexillo offerens Crucem Chriſti,
Abbas Cluniaceniſis Pontius præferens Lanceam
transfixam in latere Chriſti, Episcopuſ Bethlehe-
mites ferens in pixide Lac Sanctæ Mariæ Virginis.
Saraceni verò quaquaverſùm effuſi, ex omni latere
in

k Idem in *Monol. Ciſt.* ad diem 22. Novemb. l *Manrique* in *An-
nal. Ciſt.* tom. 1. ad ann. 1124. cap. 1. num. 5. m *Robert. Sigiber. con-
ſtitutor Chronicor.* ad ann. 1124.

in orbem circumcingunt Christianos, ne quis posset evadere. Dum ita in promptu hærent Christiani, vident Deo sibi auspice splendorem, scisso aëre, super paganos subito cecidisse; non tamen prosperum, sed satis nocivum, quamvis hunc splendorem ipsi Saraceni non viderint. Illicò enim omnium virium robore enervati, passim fugientes cæduntur non solum à viris, sed etiam à pueris & fœminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia: omnes verò Christiani incolumes reversi, summum & dulce epinicium roboant Deo in excelsis. *Hactenus Robertus de miraculosa illa victoria.* Hic est Balduinus Rex, (n) qui libertati per eam victoriam Regno redditus, amico Dei Bernardo jam tunc celebri, quasi in gratiam suscepti beneficii, locum obtulit Sancti Samuëlis, non longè ab Hierosolymis constitutum, simulquè mille aureos in opus fabricæ: quem Monachi è Claravalle missi inhabitarent. *De hac donatione etiam ipse S. Bernardus in sua Epistola (o) sic narrat:* Apud Hierosolymam Rex Balduinus, dum adhuc viveret, locum Sancti Samuëlis donavit nobis, & mille aureos simul, de quibus ædificaretur Ecclesia.

IV. Anno. 1144. (p) salutiferi ligni Crucis interventu, semel, & iterùm salus impetrata religiosiores fideles effecit. *Hanc historiam Guillelmus Tyrius latius quidem, sed brevius ex ipso Baronius (q)*

iii

D *Maurique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1124. c. 1. n. 6. O S Bern. in Epist. 252. n. 1. a l Abb. Præmonstraten. p Maurique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1144. cap. 4. nu. 1.*

in hunc modum describit. Erat Regio tota (scilicet Hierosolymitana) vepribus & frutetis humilibus, cardonibus aridis & sinapis sylvâ, veteribus stipulis & frugibus jam maturis obsita. His omnibus ignem subijciunt Saraceni, vento nostris obvio fomitem & vires ministrante. Hinc incendii vicinioris afflatu, fumiquè occurrentis nube densissima nostris Christianis ingeminatur molestia. Cùm ecce ad Venerabilem virum Dominum Robertum Nazarenum Archiepiscopum, qui lignum Crucis Dominicæ portabat, omnis populus cum clamore & ululatu conversus postulabat cum lachrymis, dicens: *Ora pro nobis pater, & per hoc vivifica Crucis lignum quod manibus gestas, in quo nostræ salutis Auctorem Jesum credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutius sustinere non possumus.* Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie quàm toto corporis habitu, nigredine factus decolor; & tam æstatis quàm incendiorum caumate duplicato, ad supremum afflictus siti supra vires laborabat. Ad has itaque gementis populi voces Vir Deo amabilis compunctus corde, & animo valdè compatiens, salutare lignum Sanctæ Crucis erigit contra incendia, quæ illi hostes totis viribus procurabant. Et invocato de supernis auxilio, statim adfuit virtus divina; in momento conversis in oppositum flatibus, incendia tetra simul cum fumi caligine in hostes, qui

no-

q. Card. Baroz. in *Annal. Eccl. ad annum 1144. ex Guillel. Tyrio de Bello Sacro lib. 16. cap. 21. 12. & 12.*

nostrum præcedebant exercitum, se direxerunt: & quæ in nostram paraverant læsionem, in suam viderunt retorta perniciem. Stupent hostes novitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tam præsens à Domino Deo suo pro nobis impetret beneficium. *Porrò audiamus adhuc alterum potentius miraculum.* Cùm in alia tam inevitabilia Christianorum exercitus incidisset discrimina, ut errarent omnes in invio & non in via, & angustiis locorum intercludendi, ab ingruentibusquè hostibus omnes cædendi essent: prævio ignoto duce, (nempe cælesti nuncio,) eodemquè signifero per alias vias est securè deductus Hierosolymam usquè. Qui & admirabili perfunctus hocce ministerio, ab omniū mox evanuit oculis. Sicquè sacratissimæ Crucis adminiculo, in expeditione omnium periculosissima, cum Rege omnis exercitus divina virtute est liberatus. *Hactenus Cardinalis Baronius ex Guillelmo Tyrio.* His tunc miraculis (r)recens gloriosum lignum Crucis Hierosolymorū Patriarcha pro hoc beneficio accepto veneraturus cum Bernardo divisit, transmissio fragmento in Claravallē: ut vel pars salutis tribueretur illius meritis, qui non cessabat orare pro victoria; seu sacro ligno vicem qua posset redderet, transmissa parte in eam mundi plagam, ubi religiosius reverentiūsqùè veneraretur. *De hoc autem munere ipse Sanctus Bernardus in sua Epistola responsiva (s) ad literas Patriarchæ Hierosolymitani ita scri-*

† *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad an. 1144. cap. 4. n. 4. § 5.*
Bern. inter suas Epistolas Epist. 174.

ribusquè, ut Rogerius Hovedenius in Annalibus Angliæ ad hunc annum testificatur. *Hactenus Mauriqui in Annal. Cist.*

VI. Anno 1210. (a) in expugnatione Castri Minervæ rebellium hæreticorum, contigit miraculum Tolosæ à multis visum hoc ipso tempore, quod Petrus Valsarniensis in Historia Albigenâ capite 38. narrat in hæc verba: Miraculum illud quod contigit apud Tolosam, dum esset Comes noster in obsidione Castri Minervæ, hîc duximus inferendum. In Civitate illa propè palatium Comitum Tolosæ est quadam Ecclesia fundata in honorem B. V. Mariæ: parietes autem illius Ecclesiæ de novo erant forinsecus dealbati. Quodam autem die ad vesperum cæperunt videri infinitæ Cruces in parietibus ipsius Ecclesiæ circumquaque, quæ videbantur quasi argentæ, ipsis parietibus albiore. Erant enim Cruces semper in motu apparentes, quæ subito statim non videbantur. Siquidem multi eas videbant, sed aliis ostendere non valebant. Ante enim quàm posset digitum levare quis, disparuerat Crux quam volebat ostendere: nam in modum coruscationis apparebant, nunc majores, nunc mediæ, nunc minores. Duravit visio ista ferè per quindecim dies, singulis diebus ad vesperam. Itaque ferè omnis populus civitatis Tolosæ hæc viderunt. Accidit autem Deo disponente, (b) quòd Capellanus prædictæ Ecclesiæ Cruces videre non potuit prænotatas: quædam

^a *Ibid. ad ann. 1210. cap. 1. rub. 11.* ^b *Ibidem. nu. 12.*

dam igitur nocte intrans ipsam Ecclesiam, dedit se in orationē, rogans Dominū, ut sibi etiam dignaretur ostendere hoc quod viderant fieri omnes. Subitō autem vidit innumerabiles Cruces, non in parietibus, sed in aëre circumfuso: inter quas una Crux cæteris major & eminentior cunctis erat. Mox egrediente majore Cruce de Ecclesia, omnes egressæ sunt post illam, caperuntquē recto cursu tendere versūs portas Civitatis. Sacerdos autem vehementissimè stupefactus, Cruces illas sequebatur: & dum essent in ingressu Civitatis, visum est Sacerdoti, quōd quidam tendens in Civitatē reverendus & decorus aspectu, evaginatū tenens gladium, Crucibus illis præbentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de Civitate in ipso ingressu interfecit. Sæpèdictus itaque Sacerdos factus exanimis præ timore, cucurrit ad Dominum Vticensē Episcopum, procidensquē ad pedes ejus, istud sibi per ordinem enarravit. *Hactenus ille.*

VII. Anno 1211. (c) memorat Petrus Valfarniensis in Historia Albigenſi capite quinquagesimo primo id quod non licet silentio præterire, divinā providentiā esse effectum, ut, quia obsessi Caſtri Vaurenſis irrissiſſent signum Crucis, in ejus die Feſto (mense nimirum Majo) & caperetur Caſtrum, & præcipui ex propugnatoribus ejusdem Caſtri trucidarentur. Quadam die (*inquit Petrus*) erexerunt noſtri propè murum Caſtri caſtellum quoddam de lignis, in cujus ſummitate Chriſti milites poſuerunt ſignum

c *Manrique in Annal. Citi. tom. 3. ad annum 1211. c. p. 1. 12. 8.*

signum Crucis. Adversarii verò ad Crucis vexillum instantius cum machinis jacentes, inde supra-dictæ Crucis brachium confregerunt: statimquè canes impudentissimi tantum emisertunt ululatum pariter & cachinnum, ac si de confractione Crucis maximam victoriam reportarent. Sed dedicator Crucis injuriam istam miraculosè & manifestissimè vindicavit. Contigit autè non multò post res mirabilis, & mirificè extollenda: Cruce suas injurias vindicante, in festo S. Crucis capti fuerunt. Mox eductus de Castro Aymericus, (d) qui fuit Dominus Montis Regalis, suspensus est in patibulo, & alii milites ejus octuaginta occisi sunt. Domina verò Castri (quæ erat soror Aymerici] hæretica pessima, in puteum projecta, lapidibus obruta est. Innumerabiles etiam hæreticos peregrini nostri cum ingenti gaudio combufferunt. *Hæc Petrus Valsarniensis.*

VIII. An. 1212.(e) Cisterciensibus prædicantibus per Galliam contra hæreticos, cùm Abbas Bonævalis Rutinensis multos Cruce signaret ad bellum facerum, ingens in cœlo miraculum apparuit, quod ab eodem Petro Valsarniensi in Historia Albigeni capite sexagesimo memoriæ proditum, nequaquam licet silentio præterire. Miraculum, *inquit*, quod contigit ipso tempore in Diocesi Rutinensi, volumus hîc præterire. Prædicabat namque quadam die Dominica in quodam Castro Abbas quidam de Bonavalle Ordinis Cisterciensis: Ecclesia autem modica erat, & non poterat capere populum qui aderat;

h

qua

ibid. n. 9. c. *Idem ad ann. 1212. cap. 2. n. 1.*

qua de causa egressi erant omnes, & ante fores Ecclesiae praedicationem Abbatis audiebant. Circa finem verò praedicationis, cum Venerabilis Abbas vellet hortari populum qui aderat, super assumendis Crucibus contra Albigenes, subito videntibus cunctis apparuit Crux in aëre, quae versùs partes Tolosanas tendere videbatur. Miraculum istud audivi ab ore dicti Abbatis, Viri religiosi, & grandis autoritatis. *Hac Petrus Valsarniensis.*

IX. Anno 1213. (f) Alphonfus Rex Castellae Innocentio Papae III. scribit de suscepta expeditione contra Saracenos, & de Calatrava expugnata, caeterisque, & de Catholici exercitus (Rustico quodam ducente) dispositione. Rusticum hunc, (g) à quo ductus est exercitus, Genium de caelo missum qui putarent nequaquam defuere, eò quòd postmodum quaesitus non comparuerit. Multum ad victoriam contulisse signum Crucis, vario colore in aëre sub ipsam confictum visum esse quidam scribunt: negant. alii argumentando quòd Rodericus Praesul Toletanus de re tanta nihil meminit, ne Rex quidem ad Innocentium in iis literis, quas de belli summa conscripsit. Convenit Paschasium (Toletanus is Canonicus erat, deinde Decanus, extatque sepulchrum ejus in Sanctae Luciae sacello Templi maximi Toletani) Crucem, quam Roderico Praesuli de more praeferebat insignem, per cuneos hostium semel & secundò circumtulisse, evasisseque incolumem, tametsi telis omnibus

f. *Mairsiq. in Annal. Ciste. tom. 3. ad annum 1212. cap. 4. p. 111. 2. & seqq. g. Idem ibidem nu. 11.*

omnibus petebatur, multaque sagittæ Crucis hostili confixæ sunt. *Certe hoc ultimum Toletanus Præsul scribit:* Crux verò Domini, quæ coram Toletano Pontifice consueverat bajulari, præferente eam Paschasio Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculosè transiit, & ibidem illaeso baculo, sine suis usque ad finem belli, sicut Domino placuit, perduravit. *Hactenus Maurique ex Regest. Vatic. lib. II. cap. 24.*

X. Anno 1183. (h) B. Walterus de Bierbaç, sanguinis splendore, & sanctitatis titulo celeberrimus, sæculari militiæ valedicens, in Monasterio Hemmenrodensi Ordinis Cisterciensis cœnobicam vitam Conuersoram amplexus est. Cùm adhuc sæculari militiæ deditus esset, (i) Deiparam pio affectu colebat, ab ipsaque singulariter dilectus, singularibus etiam favoribus meruit insigniri. Cùm enim aliquando sacrificio Missæ interesset, & Sacerdos post consecrationem Calicem more solito elevasset, vidit juxta ipsum Calicem Crucem auream miri decoris, & chartulam hæc verba continentem: *Crucem hanc defer ex parte mea* (Maria inquit Mater Christi) *amico meo Waltero militi prope Bierbaç.* Quam cùm Sacerdos legisset post completionem Missæ, pulpitum ascendit, & clamavit; Estne aliquis hîc miles, qui vocatur Walterus de Bierbaç? Respondensibus quibusdam, Ecce hic est. Sacerdos eum seorsùm duxit, Crucem porrexit, & ubi

h 2

illam

h *Henriquez in Monol. Cist. ad diem 22. Ianuarii i Idem ibidem in Annot. ex Cesario Heisterbaech. lib. 7. cap. 39.*

illam invenerit, vel quis miserit, intimavit. Quam lætus suscipiens, in Hemmenrode conversus eam Abbati consignavit. Cujus aurum tanti fulgoris erat, ut omne aurum in ejus palefceret comparatione. *Hactenus Henrriquez, ex Casario, cujus verba per extensum refert Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1183. cap. 5. n. 4. & 8.*

XI. Ante annum 400. & ampliùs, (k) Caravaca Urbs Regni Murciae adhuc Agarenis parebat; dum Rex barbarus à Sacerdote ergastulis suis educto, rem divinam se spectante vult peragi. Igitur ipso Inventionis Sanctæ Crucis die festo, dum Sacris operaturus ad Altare consistit Sacerdos, Cruxquè ejusmodi mysterio ritibusquè adhiberi solita deest; ecce ex fornice, qui Altari imminet, dehiscente magnus è vestigio splendor effulget, & per hiatus patientem duo Angeli de cælo Crucem deferentes, super Ara parata ritè deponunt: Stupet Rex Agarenus cum Proceribus suis, fidemquè complexus, augusto Sacello intra arcem constructo, cæleste donum pretiosæ arcæ servandum includit. Idem ipsum citra cariem & putredinem inde usque illæsum, quotannis publicâ pompâ, innumeris hominibus undique circumfluentibus ad fontem defertur: cujus ille sacer fons tactu plurimos variâ ægritudine detentos pristinae restituit sanitati. *Hæc Grosferus, ex Ciaccono.*

S. X.

k Grosferus *Paralip. lib. 2. de Cruce, ex Ciaccono lib. de signis Crucis cap. 35.*

§. X.

De Eucharistica Liturgia , qua excitamur ad recolendam Passionem Christi.

I. Sicut Reges & Magistratus (a) non vulgari, & quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quo potestas eorum appareat, & ipsis reverentia concilietur: ita Sacerdos celebraturus sacro & peculiari utitur habitu, Amictu scilicet, Albâ, Cingulo, Manipulo, Stolâ, Casulâ sive planetâ, quibus & Passio Christi ante sacrificium recolenda repræsentatur. *Amictus* velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cum percutiebant eum illudentes & dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* *Alba* vestem albam denotat, quâ ab Herode tanquam stultus indutus fuit. *Cingulum* significat funes, quibus in horto vinxerunt eum; sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissimè cæciderunt. *Manipulus* denotat vincula, quibus adstrictæ sunt manus ejus tanquam hominis nefarii & scelerati. *Stola* significat funes collo ejus injectos, sive Crucis patibulum humeris ejus impositum, & in quo pro nobis pependit. *Planetâ* denotat vestem purpuream, quam ei milites in

h 3

domo

a Card. Bona in Tract. de Sacrificio Missæ cap. 5. §. 2.

CXX *Præfatio ad Lectorem.*

domo Pilati tanquam ludicro Regi imposuerunt. Quem ritum Catholica Ecclesia (b) ab Apostolis acceptum usq; ad nostram transmisit ætatem, quamvis in vestium numero & forma aliquid fuerit successu temporis immutatum. Præcesserat hujus rei typus in veteri Testamento: nam Sacerdotibus & Levitis specialia vestimenta certis ritibus & ceremoniis consecrata in usu erant, cum legales Deo victimas immolabant. Quorum antitypum in Ecclesia reperiri congruum fuit, ut habeant legales umbræ aliquid sibi respondens non solum in cœlestibus exemplaribus, ad quæ jussit Deus omnia fieri; sed etiã in rebus nostris, quæ (ut ait Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia) partim sunt typi cœlestium, partim Mosaicarum umbrarum corpora, testante Apostolo ad Hebræos capite decimo, quod habuerit lex umbram futurorum. Cum autem hæc indumenta signa sint eorum, (c) quæ Christus pro nobis perpeffus est, varii actus à Sacerdote, dum illis induitur, eliciendi sunt, amoris, doloris, gratitudinis, & intensissimi desiderii ejus patientiam & humilitatem imitandi in doloribus, affectionibus, opprobriis, aliisque adversitatibus sustinendis. Sacerdos denique, (d) cum ad Sacrum faciendum se præparat, fasciculum sibi colligat ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini, & inter ubera sua collocet, cordisque medullis inserat, mente & affectu sedulo revolvens omnia tormenta, quæ Dominus Jesus pro salute

b *Idem lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 2. n. 1.* c *Idem Card. in vultu de Sacrif. Missæ cap. 5. §. 2.* d *Idem ibidem cap. 4. §. 13.*

salute nostra perpeffus est. Hæc frequenter in ore, hæc semper in corde habeat: & hæc sit ejus sublimior philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Quid enim tam efficax (e) ad curanda conscientiaæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Meditatio ruminet livores vulnerum, (f) fixuram clavorum, lanceam, persecutorum sæviciam, mortem turpissimam, & corporis sepulturam. Oratio fundat suspiria, piæ devotionis stillet aromata, tota resolvatur in lamenta.

II. Apparatus mensæ Eucharisticae, (g) non hominis est, sed fidei: non facioris, sed mysterii: non temporalis alimenti, sed æterni. *Altare* cui assistit Sacerdos, repræsentat Crucem, quam pro nobis sustinuit Christus: *Calix* sepulchrû, in quo mortuus quievit: *Patena* lapidem superpositum: *Corporale* sudarium: *Substratoria* Corporalis repræsentant linteamina, quibus involutus fuit. *Hostia* quam videmus, jam non est panis, sed Caro illa quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis. Virtus hoc facit, non usus: effectus est potentiaæ, non usus naturæ: dignatio est, non ratio. Vix fieri poterit (h) ut non attentè & devotè ac reverenter celebres, quisquis es sacerdos Christi; si fide viva hanc veritatem per-

g S. Ber. Ser. 62. in Cant. num. 7.

f Idem Ser. in ser. 2. Paschæ nu. 2. tom. 6. pag. 717. g Idem Ser. de' excell. Sacram. n. 11. tom. 6. pag. 737. h Card. Bona in Tract.

de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 5.

ceperis, & intimo sensu apprehenderis te ipsum Christum offerre, Unigenitum Dei Filium, Salvatorem & Judicem tuum. Sed huic veritati magnum momentum ex hoc accedit, quòd perfectiorem Christi humanitatem nunc in Missa Deo offers, quàm ipse obtulerit in ultima Cæna. Nam *primò* Christus mortalem obtulit, tu immortalem: ille passibilem, tu impassibilem. *Secundò* nunc eadem humanitas offertur cum plena pro nobis satisfactio-
 ne: omnia siquidem ipsius merita ejusdem morte completa sunt. *Tertiò*, quia humanitas Christi etsi à principio sanctificata fuit in unione hypostatica, cum tamen in passione oblata est Deo, novam acquisivit sanctificationem, ut hostia scilicet tunc actualiter exhibita, & nunc offertur in Missa hac nova sanctificatione exornata. Adde quòd Christus mirabili-
 modo in Sacramento existit quàm in cælo. Totum enim ejus Corpus in totis speciebus est, & totum in qualibet minima earum parte sine quantitate coextensa ad locum; ita ut ejus præsentia nec quidem à supremis Spiritibus per principia naturalia naturaliter videri possit. In hoc denique incruento Sacrificio cruentum illud, (i) quod semel in Cruce peractum est, non verbis sed re ipsa repræsentatur: una siquidem & eadem est hostia, idem qui per Sacerdotis ministerium offert, idem Christus qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eò quòd mortuus censeatur in figuris animalium, quæ
 in

i *Idem ibidem cap. 4. §. 13.*

in ipsius memoriam mactabantur: ita non immeritò eundem vocare possumus Agnum, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirum suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec mundus durabit. Inde est, (k) quòd sicut quodammodò immolatur Christus adhuc quotidie, donec mortem ejus annunciamus: sic videtur & nasci, dum fideliter repræsentamus ejus Nativitatem. Idèd sancti Patres (l) mortis Christi memoriam hoc sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Hoc ipsum autem idem Salvator noster præcepit, cum instituto hoc Sacramento ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* O summè pia & verè suavis memoria, (m) annunciare mortem Domini donec veniat. Mors Christi opus sine exemplo, humilitas sine modo, donum sine pretio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum: cujus livore sanati sumus. Novit quicumq; rectè sapit, (n) quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat sacrosanctæ passionis ipsius fideliter recollere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem in memoria

k S. Bern. ser. 6. in vig. Nat. Dom. n. 6. l Card. Bona in Tract. de Sacrif. Missæ cap. 4. §. 13. m S. Bern. ser. de excellent. Sacram. num. 6. tom. 6. pag. 735. n Idem Ser. 2. in Cena Dom. nu. 9.

CXXIV *Præfatio ad Lectorem*

ria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus qui credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

III. Cùm hoc sacrificium (o) Christi passionem & mortem repræsentet, veluti quædam imago & actio tragica est, non verbalis, quales sunt Poëtarum Tragædiæ, sed realis & substantialis, exprimens incruentè passionem illam & mortem cruentatam, ex qua omnia bona tua, [dilectæ Dei sacerdos] & aliorum, omnesquè thesauri divinæ gratiæ proflexerunt. Solerter itaque adverte, quàm fervida devotione tanti boni repræsentatio à te fieri debeat. Sunt spectatores hujus Tragædiæ Sanctissima Trinitas, Humanitas Christi in cœlo, Angeli, & Animæ beatæ: cave ne quid ineptum & indecens in te appareat, quod Dei ac cælestium Civium purissimos oculos possit offendere. Id verò assequeris, si perpetuam in teipso corporis afflictionem, & passionum mortificationem expresseris, vivamquè memoriam in te conservaveris acerbissimorum Christi cruciatuum, quos hoc sacrificio commemoras & repræsentas. Attende quantum Deus tuus te extulit, (p) quantum præ omnibus creaturis sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuæ in cœlo, eum ritè assistis sacris Altaribus, cùm sanctissimum Mysterium cælestis sacrificii celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad verbum tuum vivificum,
ad

6. Card. Bona in *Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 5. p. S. Beru. Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. nu. 24.*

ad postulationem tuam salutarem, Summus Pater dulcissimum Filium suum deponit, & manibus tuis imponit; transmittit ab altissimis, & digitis tuis immittit. Verus est enim Filius Dei, (q) quem tu sacerdos immolas, quem manibus atrectas, quem ore furnis, quem in corpus tuum transmittis. Sed non sola ad te venit illa Majestas: venit ad te Filius, sed non sine Patre. *Qui me misit, inquit, mecum est, & non me reliquit solum.* Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu Sancto. Quid enim ait Joannes: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, ipse est Christus?* Super alios descendit Spiritus Sanctus, sed non semper manet. Super Christum verò semper mansurus descendit. Adest nihilominus totus supernorum exercitus Civium: *Millia [inquit Propheta] millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Semper enim Angeli licet sint administratorii spiritus, & in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui Majestatis, in quem desiderant prospicere. Quanta luce credis te circumfundi sancte sacerdos, in presentia tantæ Majestatis, in tam solemni adventu Trinitatis, & totius militiae cælestis? Quantam æstimas claritatem adesse, & inesse toti curiæ cælesti? Tantam nimirum quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmati ad ferendum umbraret.

Attende

Attende igitur, [r] & semper in mente habe: jugi memoria retine gratiam tibi singulariter à Deo collatam, quam nec Angelis praestitit, nec cæteris hominibus cōcessit. Panis enim in manibus tuis in Corpus Unigeniti Filii Dei transubstantiatur: Vinum in sanctissimum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi tua benedictione convertitur. Panis iste [s] per excellentiam dicitur *Eucharistia*, id est bona gratia. In hoc enim Sacramento non solum quælibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur. Christus enim pro salute totius mundi semel factus est Hostia salutaris, reconciliatio generalis, omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequētib; virtutem dedit, & efficaciam, ut tanta & tali Hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Mira sunt, (t) quæ de Sacramento Eucharistiæ dicuntur. Fides est necessaria: scientia rationis est supervacua. Scientia ratione & intellectu colligitur; fides sola auctoritate inducitur. Unde Augustinus contra Felicianum ait: *Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare*. Hæc sunt quæ fidem necessariò exigunt, rationem omninò non admittunt. Expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem. Et idè credi oportet simpliciter, quod investigari non potest utiliter. Cùm autem unum sit Sacramentum, (u) tria ibi discreta proponuntur

r *Ibid.* cap. 6. n. 26. s. S. Ber. *Ser. de excell. Sacram.* n. 4. t *Ibid.* n. 12. u *Ibid.* n. 15.

nuntur, scilicet species visibilis, veritas Corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Aliud est species visibilis, quæ visibiliter cernitur. Aliud est veritas Corporis, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur. Atque aliud est gratia spiritualis, quæ cum Corpore & Sanguine visibiliter & spiritualiter percipitur à solis dignè communicantibus. Tria quippè in Sacramento Altaris attendere debemus: speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Usque ad speciem panis sensus pertingit exterior: ad veritatem carnis fides interior: ad virtutem gratiæ spiritualis charitas superior. Speciem panis Christianus recipit etiam pessimus: virtutem gratiæ spiritualis non nisi prædestinatus recipit. Quod itaque videmus, species est panis & vini. Quod autem sub specie illa credimus, verum Corpus est & verus Christi Sanguis, quod pependit in Cruce, & qui fluxit de latere ejus. *Sed hoc exemplis magis perspicuum fiet.*

2. XI.

De variis documentis, quibus ostenditur, præsentiam Corporis Christi realiter existere in Sacramento Eucharistiæ, in memoriam Passionis sue.

- I. **A** Nno 1123. indignè communicans, non potuit glutire sacram Hostiam, nisi absolutus à San-

à Sancto Bernardo. Agebatur solemnitas quædam præcipua; [a] & Brater aliquis, quem pro secreta culpa ab Altaris communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit; sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque furens homo Eucharistiam non poterat ad interiora trajicere, & diu multumquæ conatus cum nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clausam ore servabat. Expleta denique horâ orationis Sextâ, Patrem sanctum traxit in partem, cujus pedibus advolutus, cum multis ei lachrymis quod patiebatur aperuit, & aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absolvit, & ex eo sine difficultate recepit Dominica Sacramenta. *Hactenus Guillelmus Abbas: cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1127. cap. 2. num. 3.*

II. *Eodem anno* [b] quidam Monachus hujus S. P. Bernardi per fallacias dæmonum, & per proprii sensus simplicitatem in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret panem & vinum aquâ mixtum, quæ proponuntur in Altari, nequaquam transsubstantiari posse in verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Quapropter eadem vivifica Sacramenta, tanquam nihil profutura sibi sumere

a *Guillel. Abb. Lib. de vita S. Bern. cap. 81. num. 51.* *b* *Antior Exordii magni Ord. Cist. lib. 2. cap. 6. & lib. 7. de Vita S. Bernardi. cap. 6.*

mere despiciebat . Notatus denique à Fratribus quoddam Sacramentis Altaris non participaret , convenitur secretò à Senioribus suis . Requisitus causam non negat , dicens , Sacramentis se nequaquam fidem adhibere . Quibus dum docentibus & monentibus non acquiesceret , nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet : ad Venerabilem Abbatem res delata est . Cùmque vocatus venisset , & Abbas Sanctus secundùm datam sibi sapientiam , infidelitatem illius confutaret , ille respondit : Ego nullis assertionibus ad hoc poterò induci , ut panem & vinum quæ in Altari proponuntur , credam verum Corpus & Sanguinem esse Christi , & propterea scio me in infernum descenduram . Quod audiens Vir Dei , sicuti semper in rebus arduis solebat mirabilem ostendere virtutem , dixit : *Quid ? Monachus meus in infernum descendet ? absit . Si tu fidem non habes , per virtutem obedientiæ præcipio tibi , vade , communica in fide mea .* Constrictus itaque virtute obedientiæ , penitus sine fide [ut sibi videbatur] ad Altare accessit & communicavit , & per virtutem obedientiæ , Sanctique Patris merita confestim illuminatus , fidem Sacramentorum recepit , quam etiam intemeratam usque in diem mortis suæ conservavit . *Hactenus Auctor Exordii magni : cuius verba refert Manrique loco supra citato .*

III. Anno 1125. maleficiis virum pauperem affligens daemon, Eucharistiâ superpositâ fugatur à Sancto

CXXX *Præfatio ad Lectorem*

Et Bernardus . De hoc miraculo Guillelmus (c) sic narrat . Virum pauperem non longè à Monasterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat . Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata , egerat per malignas incantationes , ut miser homo consumptis carnibus nec posset mori , nec vivere sineretur . Sæpiùs deniquè & vocis usum , & sensum omnem corporis amittebat ; iterùmquè redibat non ad vitam , sed ad mortem prolixiorè crudeliter revocatus . Adducitur tandem homo ad Virum Dei in Monasterio detinorantem , & ei tragedia miserabilis explicatur . Qui vehementer indignans , antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum hominem usurpasse , vocans duos è Fratribus , ante sanctum majus Altare hominem deportari , ibiquè superposito capiti ejus vasculo Eucharistiam continente , in ipsius Sacramenti virtute , à læsione Christiani hominis . jubet dæmonem prohiberi . Factum est ut præcepit : & miserum hominem post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati . *Hactenus Guillelmus : cujus verba citat Maurique in Annual. Cist. tom. 1. ad ann. 1125. cap. 3. num. 3.*

IV. Anno 1134. Sanctus Bernardus corporali Christi Domini in Sacramento Eucharistia presentia expulit dæmonem à quadam matrona Mediolanensi . De hoc Bernardus Abbas Bonavallis [d] ita scribit :

c Gaill. Abb. lib. de Vita S. Bernard. cap. 10. num. 49.

d Bern. Abb. Bonaval. libro de vita S. Bern. cap. 3. cujus verba refer. Adaurique in Annual. Cist. tom. 1. ad ann. 1134. cap. 3. num. 5.

scribit: Maxima quidem ei [*Sancto Bernardo*] in curationibus aegritudinum gratia, sed in dæmonibus elimandis frequentior operatio erat: quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrerat. Inter eos igitur qui vexabantur, erat mulier grandæva Civis Mediolanensis & honorata matrona, quæ usque ad Ecclesiam B. Ambrosii post Beatum Bernardum à multis tracta est: in cujus pectore pluribus annis diabolus federat, & jam ita suffocaverat eam, ut visu & auditu & verbo privata, frendens dentibus, & linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum non fœmina videretur, &c. Hanc cùm accepisset Vir Dei Bernardus, cognovit inhærentem ei & invisceratum diabolum, nec facilè egressurum de domo quam tanto tempore possederat. Conversus ad populum (cujus innumera erat multitudo) orare jubet attentius, Clericis autem & Monachis secum juxta Altare consistentibus jubet mulierem ibidem constitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica non naturali virtute reluctans, (non sine aliorum injuria) ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit: & ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione Deum invocat adiutorem: & ad immolationem Hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem sacram Hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo Crucis edito spiritum nequam Athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus spiritus, quoties adversus eum signum

Crucis intenditur, percussum se indicans acrius
 sævit, & recalcitrans contra stimulum, quidnam
 toleret tunc prodit invitus. Expleta autem oratione
 Dominica, efficacius hostem aggreditur Vir bea-
 tus. Patenæ siquidem calicis Sacrum Domini Cor-
 pus imponens, & mulieris capiti superponens, ta-
 lia loquebatur: *Adest, inique spiritus, Judex tuus;*
adest summa potestas; jam resiste si potes. Adest ille
qui pro nostra salute passurus, Nunc, inquit, prin-
ceps hujus mundi ejicietur foras. Hoc illud Corpus
est, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in
stipite Crucis extensum est, quod in tumultu jacuit,
quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis
ascendit in calum. In hujus ergo Majestatis terribili
potestate tibi spiritus maligne præcipio, ut ab hac an-
cilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præ-
sumas. Cùmquè eam invitus deserens, & mane-
re ultra non valens, atrociùs afflicta ret, tam ma-
gnam iram, quàm modicum tempus habens: re-
diens Pater sanctus ad Altare, fractionem Hostiæ
salutaris ritè complevit, diffundendamquè in po-
pulum pacem ministro dedit: & confestim salus in-
tegra reddita est mulieri. Sic ille nequam spiritus,
divina mysteria quantæ sint efficaciz & virtutis, non
confessione, sed fugâ coactus ostendit. Fugato dia-
bolo mulier (quam in tantorum sartagine tormen-
*torum carnifex pestilens tanto tempore frixerat)
 mentis suæ compos effecta, redditis sibi sensibus &*
ratione, revolutâ intra fauces linguâ, Deum con-
fessa gratias egit; & intuitâ curatorem suum, pe-
 dibus

dibus ejus advoluta est. Ingens per Ecclesiam at- tollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus; ex- cedit veneratio modum, & servum Dei supra homi- nem (si dici fas est) liquefacta charitate Civitas ve- neratur. *Hactenus Abbas Bonavallis.*

V. Anno 1135. Sanctus Bernardus Eucharistiâ manibus apprehensâ, Guillelmum Aquitaniæ Ducem solo prosternit, proferens sententiam, ut eam statim exequeretur. Hanc Historiam Bernardus Abbas Bo- navallis testis oculatus (e) ita describit: Diu per Internuncios protractus est sermo: & dum vicissim verbis se mutuo occupant, Vir Dei efficacioria ar- ma arripens, ad Altare sanctum oblaturus & sup- plicaturus accedit. Intraverant Ecclesiam multi, quibus licebat divinis interesse Mysteriis. Comes verò sustinebat præ foribus, scilicet Guillelmus Dux Aquitania. Peractis igitur consecrationibus Ho- stia, & pace data & diffusa in populum, Vir Dei jam non se agens ut hominem, Corpus Domini super patenam ponit & secum tollit, ignea facie & flammis oculis non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem, inquires: *Rogavimus te, & sprevisisti nos: Supplicavit tibi in altero, quem iam tecum habuimus, Conventu servorum DEI ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput &*

e Bern. Abb. Bonval. lib. de vita S. Bern. cap. 6. nu. 37. & 38. cujus verba refert Manrique in *Annal. Cist.* tom. 1. ad ann. 1135. cap. 5. nu. 5. & seqq. & Henriquez in *Fasciculo Sanctior. Ord. Cist.* lib. 2. distincti. 12. cap. 2. pag. 141.

CXXXIV *Praefatio ad Lectorem*

*Dominus Ecclesia, quem tu persequeris. Adest Iudex tuus, in cuius Nomine omne genu curvatur, caelestium, terrestrium, & infernorum. Adest Vindex tuus, in cuius manus illa anima tua deveniet. Numquid & ipsum spernes? numquid & ipsum, sicut servos eius, contemnes? Lachrymabantur universi qui aderant, & orationibus intenti praestolabantur exitum rei: & omnium suspensa expectatio; nescio quid divinum fieri caelitibus expectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & Sacratissimi Domini Corpus ferentem in manibus, expavit & dirigit: membrisque tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo provoluitur. Elevatus à ministris rursùm in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem; salivis in barbam defluentibus, cum profundis ejulans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum Vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans, acclivem surgere jubet, & stare supra pedes, & Dei audire sententiam: *Præsens est (inquit) Pictavensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti, vade & reconciliare ei, & in osculo sancto pacis cum eo iungito fadera, & ipse ad Sedem suam eum reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in universo Principatu tuo divisos & discordes ad eharitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papa, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, in quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus Sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentia victus, non audebat respondere,*
nec*

nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & eadem qua eum abjuraverat manu reduxit ad propriam Sedem, cum totius exultatione Civitatis. Sed deinceps Abbas cum Comite jam familiarius & suavius loquens, paternè eum monuit, ne ad tam impios & tam temerarios ausus ultrà exurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. Sicquè post varia, (f) quæ idem Auctor recenset, Guillelmus Ecclesiæ reconciliatur, sequè Sancti Patris Bernardi voluntati subiecit. Et cum postea idem Comes Ecclesiam turbare iterùm inciperet, & Clericos Sancti Hilarii è Civitate expulisset, literis eum Sanctus Abbas ad pœnitentiam revocavit. Qui tunc verè conversus, austerissimum vitæ genus arripuit, & Christianæ perfectionis verticem summum attigit.

VI. Anno 1145. (g) B. Eugenius hujus nominis III. Pontifex Summus, olim in Claravalle Monachus, & Sancti Bernardi discipulus, ex Abbate S. Anastasii de Urbe universalis Ecclesiæ Pastor constitutus, oves Christi mirâ prudentiâ & sanctitate pavit. Super cujus caput, dum Hostiam immaculatam offerret, divinus fulgor, & duæ splendidissimæ columbæ apparuerunt: & post obitum multis miraculis clarus effulsit. *De hac apparitione miraculosa Ottho (h) ita scribit:* Ea tempestate Armenorum

f Henriquez in *Mouolog.* ad diem 10. Febr. in *Annotat.* g Idem ibidem ad diem 8. Julii. h Ottho Episc. *Frising.* lib. 7. cap. 32. apud *Manrique* in *Anal. Cist.* tom. 2. ad ann. 1145. cap. 3. num. 4. & seqq. & apud Henriquez in *Fasc. Sanctor. Ord. Cist.* l. 2. dist. 6. c. 5.

Episcoporum Legati ab ultimo penè Oriente, laboriosum iter per annum & sex menses complentes, Summum Pontifitem Eugenium Viterbii adeunt, eiq; ex parte Ecclesiæ Orientalis subjectionem omnimodam (eum consultando) offerentes, causas viæ apud veterem Aulam aperiunt: quodd inter ipsos & Græcos quædam de ritu Sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi; aquam autem vino non admiscent, sicut nos, & illi, &c. Romanus Pontifex gratanter suscipiens Armenorum Legatos, Missarum solemnibus ac sacrificiis secretis adhibuit, diligenterquè ea quæ fiebant ibidem animadvertere monuit. Dum autem intenti sacro Altari adstarent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus, (sicut postmodum in plena Curia retulit) in Beati Martini die octava, quando Dedicatio Ecclesiæ Beati Petri Apostoli celebrari solet, Summo Pontifice Eugenio divina mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cumquè diligentius hac illacquè oculos circumferret, nullumquè aditum per quem lux illa transfunderetur, inveniret: deificum hoc esse agnoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat aperuit. At Venerabilis Pater Eugenius non suis hoc meritis attribuens, sed ipsius potiùs fide cælitus hoc sibi monstratum afficmabat: ut videlicet Ecclesia, à qua missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognos-

cognosceret, ac deinceps quali reverentia & forma tractare deberet, addisceret. *Hactenus Otho Episcopus: cuius verba etiam Casar Baronius refert in Annal. Eccl. tom. 12.*

VII. Anno 1143. (i) Beatus Wallenus Abbas Meilrosensis Ordinis Cisterciensis, in Natali Domini Missam celebrans, puerum Jesum in manibus suis coronâ aureâ gemmis stelliferis rutilante redimitum vidit: qui sereno vultu, blandoquè manuum applausu caput & faciem ejus contrectans demulcebat, & quasi caput capiti, & os ori applicans, oscula crebriùs imprimebat. *De hoc favore caelesti Joscelinus (k) his narrat verbis: Quadam die sanctissimi Natalis Domini celebrans Missam Wallenus in magna cordis contritione & devotione, necnon & consueto lachrymarum fervore, cum infra secreta Canonis Hostiam elevaturus deprompsisset verba, quibus panis transubstantiatur in Corpus Christi, intuens in Sacramentum quod conficiebat, invenit in manibus suis non Hostiam sed infantulum speciosum formâ præ filiis hominum, coronam quasi auream in manibus gestantem, gemmis stelliferis coruscantem. Videbatur puerulus ille omni nive candidior, & dulcissimo luminum visu vultuque sereno & blando, qui manuum tactu faciem & caput ejus tangens & contrectans, inenarrabili suavitate mulcebat. Ille verò inebriatus à torrente voluptatis domûs Domini, utpotè in cellam vinariam dulcissimi animarum Sponsi introdu-*
ctus,

i *Ideus Henricus in Monol. Cist. ad diem 9. Aug. k Joscel. Furnesius lib. 1. cap. 8. relatus à Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad an. 1143. cap. 5. 111. 5.*

CXXXVIII *Præfatio ad Lectorem*

Ortus, pedibus ac manibus & singulis membris celestis infantuli oscula numerosa libavit, ac dilectum suum sibi totum desiderabilem, dulcem & admirandum felici sensit experimento. Tum depositâ Hostiâ, divinus infantulus elevatis manibus cum Crucis impressione benedixit ei, & ab oculis ejus disparuit: nihilquè ante se nisi Hostiam consecratam conspexit. *Huic favori aliud miraculum subjungam cunctis perspicuum, ortum ex ejusdem Sacramenti veneratione: id in quodam Canonico patratum, cum venenosam animal (araneam) in Calicem immersum, Walleno jubente; consumpsisset, ejusdem Joscelini verbis (1) placuit describere.* Die quadam Canonicus quidam de Kirkeham, cum Missam celebraret in præsentia Walleni; aranea quædam in sanctum Calicem circa *Agnus Dei* cecidit, metumquè ingentem sacrificanti ob periculum vitæ ex venenoso verme incussit. Et quid ageret ignorans, tussi ac nutibus (quibus modestè potuit) Wallenum accersivit, & quod contigerat ostendit. Wallenus parumper secum deliberans, fusa oratione, ac data benedictione, fervens fide & zelo divini cultus, ut araneam cum sacro libamine confidenter sumeret, in nomine Domini præcepit, promissâ vitæ & salutis indemnitate. Sacerdos statim Walleni imperio paruit, & quidquid in Calice continebatur, fideliter ac fiducialiter sumpsit. Id tantummodò tunc expertus est, quoddædum animal visu nedum tactu & gustu, nullum illi horrorem incussit, nullam nau-

1 Idem Joscel. lib. 1. cap. 9. apud eundem Maurique loccit. mem. 7. & apud Henricum Fasc. SS. Ord. Cist. lib. 2. dist. 26. cap. 58.

nauseam, ac si nihil tale sumpsisset: at id ipse miraculo attribuit, quippè supra naturæ consuetum ordinem. Verùm manifestiora Deus parabat. Eadem enim die aliis post prandium sedentibus in Claustro, Canonicus ille residens cum cæteris, digitum fricare cæpit, & post modicam morulam tumor turgens in digito apparuit: & ecce aranea, rupta antè, viva egreditur, quæ coram omnibus assidentibus & mirantibus, jubente Walleno, flammis comburenda tradita est. *Hactenus Joscelinus.*

VIII. Anno 1144. (m) B. Petrus Tolosanus, Monachus Clarævallensis, egregiis virtutibus, ac cælestibus revelationibus, omnibus admirandus effulsit. Qui inter cætera dona, (n) spiritualem acceperat devotionis gratiam in oratione, præcipuè verò in Dominici Corporis & Sanguinis consecratione. Unde Fratres qui ei ad Missas ministrabant, satis superque mirabantur in eo redundantiam lachrymarum, quâ totus ibidem affluere solebat. Dum autem Vir beatus sacris Altaribus offerens vivifica Sacramenta adstaret, in ipsa perceptionis hora, tenenti in manibus sacrosanctum Domini Corpus apparuit in specie parvuli, parvulus ille speciosus formâ præ filiis hominum, verus Deus & verus homo, Dominus noster Jesus Christus; ille mitis & humilis corde, qui seipsum sapientibus & elatis corde abscondere, parvulis verò revelare consuevit. Quod cum ille cerne-
ret tremefactus & stupens, primitus præ fulgore ac
reve-

m *Henriq. in Monolog. Cist. ad diem 21. Febr. n Herbertus lib. 1. d Miraculis cap. 3. relatus à Mauriq. in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1144. cap. 2. num. 7.*

cxl *Præfatio ad Lectorem*

reverentia Majestatis illius, claudebat oculos suos: non enim audebat respicere contra Deum, licet etiam tunc clausis oculis videbat eum, sicut apertis. Cùmquè declinaret vultum suum in alteram partem, & aliquandiù maneret palpebris obductis, faciequè averfa; videbat eum nihilominùs sicut ante se positum, aliquando super manum, aliquando super brachium suum, miro videlicet atque ineffabili modo, tanquam si alios oculos haberet in occipitio vel temporibus defixos, quibus eum intueretur. Hæc autem tam dulci tamquè mirabili revelatione, non semel aut secundò, sed frequenter atque innumeris vicibus ille Vir Dei lætificatus est. Plerumque enim per quatuor aut quinque menses singulis diebus illi apparebat. Quòd si interdum solito ampliùs tardare videretur, tanta inerat ei cum Deo familiaritas, & tanta de ejus pietate fiducia, ut ipsius Sacrificii consummationem protelaret, nec facilè vellet illud explere, donec redditâ sibi lætitiâ Salvatoris Dei consuetam benedictionem mereretur accipere. *Hæc Herbertus: quæ etiam leguntur in Exordio magno Ord. Cisterc. lib. 3. cap. 13.*

IX. Anno 1216. (o) B. Godescalcus de Volmensteyne, Monachus Monasterii Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis, cùm aliquando in die Natalis Domini Missam inchoâisset, & ad verba consecrationis perveniret, facta transubstantiatione, non jam in manibus suis speciem panis, sed Infantem pulcherrimum, in quem & Angeli prospicere concupiscunt, tenuit &

Henriq. in Monol. Cist. ad diem 7. Martii.

& vidit. *Hanc visionem Casarius (p) narrat in hac verba:* Fuit apud nos Monachus quidam, Godescalcus nomine, de Castro Volmensteyne oriundus. Hic cum in die Natalis Domini Missam cum multa devotione & lachrymis (ut ei moris erat) inchoasset, scilicet, *Puer natus est nobis*, factaque transubstantiatione, non jam in manibus suis speciem panis, sed Infantem pulcherrimum, imò speciosissimum illum formâ præ filiis hominum, in quem & Angeli prospicere concupiscunt, tenuit & vidit: cujus charitate succensus, & mirâ pulchritudine delectatus, complexus est eum ac deosculatus. Timens tamen moram propter circumstantes, super Corporale dilectum posuit: & ille ut Missa perfici posset, formam sacramentalem resumpsit. Quamdiu Beatus ille Monachus vidit speciem Infantis, nullam ibi vidit speciem panis, & è converso. *Refert etiam idem Casarius (q) aliud miraculum ejusdem Godescalchi, quod ejus item ferventem devotionem in sacrum Christi Corpus satis commendat.* Godescalcus, inquit, cum die quadam Corporale cum Sacrista nostro extendisset ad poliendum, illudquè per medium rupisset, Custos illud complicans in theca reposuit: postea autem illud explicans cum integrum reperisset, miratus est valdè, sanctitati prædicti Viri illud adscribens. *Hætenus Casarius.*

X. Anno 1216. B. Ida de Nivella, (r) quæ in Cœnobio

p Casarius in suis Dialog. lib. 9. cap. 2. relatus à Manrique in Annal. Cist. som. 4. ad ann. 1216. cap. 6. num. 8. q Idem Casarius lib. 2. cap. 67. apud eundem Manriq. loco cit. num. 9. r Henr. in Monol. Cister. ad diem 11. Decembr.

cxlii *Præfatio ad Lectorem*

nobis de Rameya Cisterciense Institutum amplexa est, frequenter puerum Jesum videre, amplecti & osculari meruit. Frequenter (s) utique Christum post consecrationem, tanquam puerum pulcherrimum in sacrificio Missæ contemplabatur. Cùmquæ timeret, ne fortè minoris apud Deum esset meriti, quandoquidem ei hæc frequens & mirabilis visio tanti Sacramenti præbisset experimentum; vidit eundem puerum Jesum venientem ad se, qui ei amplexum & osculum præbens, dixit: *Quia speciem Humanitatis meæ sub forma panis tibi, ô dulcis amica mea, visibilem ostendo, non hoc facio quasi de fidei tuæ credulitate ambigam, sed ut tibi notum faciam, quanto amore, quantapè sollicitudine zelotes tui sim, &c.* Hactenùs Henriquez in Monolog. Cisterc.

XI. Anno 1178. novimus (t) Monachum quendam Clarævallensem, Virum sanctissimum. Hic ab adolescentia mundo renuncians, quadragesimum in Monasterio supergreditur annum: ubi in omni sanctitate & justitia Deo serviens, etiam corporis integritatem magno Dei munere à matris utero conservat. Accidit aliquando, ut die Dominica divinis interesset Officiis in quadam Ecclesia Parochiali, in qua dicla tunc Offerendâ, cùm jam ministratio panis & calicis Sacræ mensæ fuisset imposita, protinùs apparuit ei Dominus Jesus, stans super eandem Aram in forma parvuli valdè formosi, ita manifestè atque morosè, ut usque ad consummationem Sacrificiû
pro-

^s Idem ibid. in Annotat. t. Herbertus lib. x. de Miraculis cap. 19. quorundam libros 3. scripsit anno, 1178. ut in præfat. legitur.

propemodùm visio perseveraret. Verumtamen Presbyter ejusdem loci qui Missam celebrabat, homo inhonestæ vitæ atque flagitiosæ erat. Quamdiù ergo Sacerdos ille, sive oblationes fidelium recipiendo, sive sermonem (ut in die festo fieri solet) ad populum proferendo, seu aliquid aliud faciendo, dorsum ad Altare habebat; tamdiù Sanctus Infans ante Calicem stabat. Quamdiù verò Sacerdos ad Sacramentum faciem tenebat; tamdiù Sacer ille parvulus, tanquam immundi Presbyteri halitum abhorrens, longè remotus ab eo post Calicem consistebat. Quod cum Monachus ille conspiceret, compunctus est vehementer, ita ut inundatio lachrymarum interdum à visione visum præpediret. Completa autem revelatione glorificavit Deum, qui sibi dignatus est talia demonstrare. Et verè cognovit, quòd distantia meritòrum non facit differentiam Sacrificiorum: quoniam Sacramenti effectus nullatenùs constat ex virtute & merito Sacerdotis, sed ex institutione & gratia Redemptoris. *Hactenus Henriquez.*

XII. Anno Domini 1193. ^(u) memoria nobis incidit Venerabilis & vetè Beati viri Simonis, Conversi in Monasterio Alnæ Ordinis Cisterciensis: qui ab annis teneris ibidem enutritus, & longo vivens tempore, prophetiæ & miraculorum spiritu clarus, Ecclesiam sanctitatis suæ famâ replevit, & Cistercium meritis. Multa quidem [x] de hoc viro Dei referuntur factis magnifica; sed inter alia illud admirabile,
sive

^u *Manriq. in Annal. Cisterc. tom. 3. Ad ann. 1. 93. cap. 4. 1193. 1.*
^x *Idem ibid. tom. 5.*

cxliv *Praefatio ad Lectorem*

sive quia singularius, sive quia patentius. Quod cum quadam die accedens ad Altare Corporis Christi particeps futurus, casu fortuito eadem ipsa Hostia quam suscepturus erat, in terram decidisset, atque cum eam vellet Sacerdos levare manu, ipso jubente, in pavimento ubi erat, relicta est, quamdiu supplex oraret, & an suis peccatis exigentibus ab ejus ore Christus refugisset, inter lachrymas & singultus percontaretur. Et ecce (mirum dictu!) Hostia exiliens, ad os orantis fursum evolavit; atque ipsum ingressa, pacatum sibi Deum, neque averlantem, sed magis quaesitum testata est: nec cecidisse ut ab ipso deviaret, sed ut ostenderet magnete labiorum ejus toties trahi, quoties in oratione movebantur: neque minus de caelo descensurum, quam de terra ascenderet, ad ejus vocem semper pertrahendum. Hinc charitas Simonis erga Deum in dies augmentabatur, à quo se redamari per tot indicia, non poterat in dubium revocari. *Hactenus Manrique.*

2. XII.

De aliis documentis, ad excellentiam sacrificii Missæ, & efficaciam Sacramenti Eucharistiæ pertinentibus.

I. **B**Eatus Jacobus, (a) Monachus Monasterii S. Galgani Eremitæ, Ordinis Cisterciensis in Tuscia, crebris miraculis & cælestibus revelationibus insignis fuit. *Inter quas hanc Abraham Bzovius (b) præcipuè narrat sic:* Eo tempore cuidam Monacho Monasterii Sancti Galgani, Jacobo nomine, Viro religioso & simplici, cum quadam die Missam celebraret, inter Crucem & Calicem nebula apparuit. Cumque ab illa oratione quæ dicitur, *Supplices te rogamus*, caput elevâisset, prospiciens & admirans, vidit in eadem nebula lumen in modum candelæ ardentis lucens. Et cum hoc intueretur, exivit manus de nebula & lumine, & extendens se super Corporale quod positum erat super Altare, scripsit multa ad correctionem generis humani depravati: & non semel, sed in quatuor Missis ei apparuit, diversam in qualibet prophetiam scribens. *Hac Bzovius refert ex Magno Chronico Belgii pag. 221. cujus verba allegat Manrique*

iii

a Henriq. in Monol. Cister. ad diem 30. Maii b Abraham Bzeu. in Annal. Eccl. ad an. 1222.

cxlvi *Praefatio ad Lectorem*

in Annal. Cister. tom. 4. ad ann. 1221. cap. 2. num. 9.

II. B. Conradus, (c) primùm Villarii, postea Claravallis, demùm Cistercii Abbas fuit, ac tandem S. R. E. Cardinalis Episcopus Portuensis, vitæ sanctimoniâ celeberrimus, cujus digiti instar candelarum ardebant: & tandem postquam Terram Sanctam pio affectu invisisset, feliciter obdormivit in Domino, & in Claravalle locum sepulturæ obtinuit anno 1227. In cujus Epitaphio, (d) de ipso legitur illud memoriâ dignum, quod digiti sacri, quibus Dominici Corporis & Sanguinis Hostiam offerre solitus erat, tanta luminis claritate frequenter effulgere visi sunt, ut noctis ei tenebras, tanquam Sol meridiem, illustrarent. *Ego crediderim contigisse circa hoc tempus, (e) quod Venerabilis Thomas Cantipratanus ferè coævus Author memoriæ prodit, quatuor Conradi digitos, indicem scilicet & pollicem, utrumque utriusque manus libris adhibitos pro lucernis fuisse sancto Viro, quoties lectioni vacare animus erat. Sed ipsam Thomam loquentem (f) audiamus: De hoc Viro excellentissimo quiddam dictum mirabile ab Abbate Villariensi Guillelmo probatissimâ veritate cognovi, quod digiti manuum ejus, quas in consecrationem Corporis Christi extendebat, ad studium & inspectionem literarum vel librorum nocte instar candelarum in tenebris relucebant. Hactenus Cantipratanus.*

III. B. Fulco Episcopus Tolosanus, [g] verus Sancti

c *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 30. Septemb. d Idem in Annotat. e. Martiq. in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1208. cap. 7. num. 5. f Tb. Cantiprat. in libro de Apibus cap. 19. num. 3. g Henriq. in Monolog. Cist. ad diem 25. Decemb.*

Sancti Bernardi æmulator, qui ex Abbate Monasterii Grandissilvæ Ordinis Cisterciensis ad Pontificiam dignitatem evocatus, mirabili constantia hæreticorum conatibus se opposuit: super cujus caput inter celebrandum non semel columba splendidissima apparuit. *Quem [h] Cardinalis Jacobus de Vitriaco in Prologo ad Vitam Beatæ Mariæ Equiacensis apud Surium mense Junio, fortem totius Ecclesiæ Columnam vocat, atque laudes illius latè prosequitur in libro primo Vitæ capite tertio: quin & de eadem Beata Maria loquens libro primo capite duodecimo, ait, super caput Falconis Missam celebrantis visam esse à Sancta fæmina columbam candidam, & ipsi in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem eum intus penetrantem, ejusquè animam illustrantem. Hæc ex Vitriaco Episcopo Aconensi, mox Cardinali S. R. E.*

IV. *Cæsarius in suis Dialogis[i] scribit sic: Novi quendam Sacerdotem Ordinis nostri Cisterciensis, qui tantâ gratiam accepit à Domino, ut quoties cum devotione Missam celebrat, toties per totū Canonem usque ad Sacramenti perceptionem in aëre ad mensuram pedis unius se stare sentiat. Nec mirum. Devotio enim ignea est, & tendit sursùm: nec magnipendo, si quandoque sibi attrahat suum exterius domicilium, mens est in qua majorem habet potestatem, quia illud in cælum sublevat. Cùmquè tantam gratiam ab alio quodam Sacerdote ejus amicissimo comperiissem, scire volens veritatem, non absque*

k

timore

h Mauriq. in Anal. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 4. num. 5. i Cæsarius in suis Dialog. lib. 9. cap. 39. apud Mauriq. in Anal. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 12. num. 4.

cxlviii *Prefatio ad Lectorem*

timore ab ipso capi sciscitari quæ audieram. Qui statim rubore perfusus, cum me confundere nolle, ita esse confessus est, dicens: Quando festinanter & sine devotione celebrat, vel quando strepitu circumstantium impeditur, tunc prædicta ei gratia subtrahitur. *Hactenus ille.*

V. In Monasterio Grandissilvæ Ordinis Cisterciensis [k] erat Monachus quidam, Magister novitiorum, vir sanctitatis eximiæ, magnum habens desiderium dissolvi & esse cum Christo. Hic ergo in cæna Domini, sancta Communionem percepta, cum adhuc eandem Eucharistiam in ore teneret, facta est magna exultatio Dei in gutture ejus; & nimio perurgente desiderio, petivit animæ suæ ut moreretur. Et admovens gutturi suo digitum, hujusmodi orationem fudit ad Dominum: *Christe Salvator Omnipotens, si tibi non displicet ista petitio mea, precor & supplico, ut per meatum gutturis hujus non transeat amodò terrenus aliquis cibus.* Facta autem oratione, viribus corporis cæpit repenti desitui, & die tertiâ, scilicet Sabbatho Paschæ in Domino obdormivit.

VI. *Cæsarius in suis Dialogis* [l] ait: Novi quandam Sanctimonialium Ordinis nostri, quæ tantam accepit à Domino gratiam, ut quando communicat, talem ex ipso sacro Corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet: non saporem panis, sed mellis [ut dixi] in masticatione sentit tota illa die, maximè ante perceptionem cibi corporalis, salivam habens mellifluam.

k *Herbertus de Miraculis lib. 2. cap. 1. l Cæsarius in suis Dialog. lib. 9. cap. 39. apud Manriq. in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1222 cap. 12. num. 9.*

am. Nec mirum. Legitur enim de manna, quòd gustus ejus fuerit quasi simile cum melle. Est autem eadem Sanctimonialis virgo vitæ venerabilis, cujus personam supprimo, eò quòd adhuc vivat, & se prodi non permittat. *Hactenus Casarius.*

VII. Frater quidam Monasterii Clarævallis, [m] cùm quadam die Dominica solito more sacram Communionem acciperet, visum est illi tunc & per totam deinceps diem, quòd favum mellis dulcissimum in ore teneret. Sequenti verò Dominica cùm similiter accepisset Eucharistiam, per continuum triduum similes expertus est gratias. Tertiâ quoque Dominicâ divinam nihilominùs alimoniam reaccepit, & jam totâ hebdomadâ semel indultam suavitatem sentire promeruit. Extunc ergo & deinceps hanc benedictionem dulcedinis multipliciter & multo tempore sensit, modò rariùs, & modò crebriùs, prout datori gratiæ placuit. Factum est autem aliquando, quòd quempiâ de amicis suis pro culpa illius objurgans, justæ invectionis modum supra modum excefferat: cùmquè pacificam Hostiam necdum fratre pacificato perciperet, visum est illi quòd amarissimum absinthii pabulum injecisset. *Hactenus Herbertus.*

VIII. In Monasterio Longipontis Ordinis Cisterciensis, [n] Conversus quidam denarium unum, & unâ buccellam absque licentia retinebat peculiari vitio. Igitur die Paschæ cùm sacram Oblationem

k 2

rece-

m *Herbert. de Miraculis lib. 1. cap. 22. n Ignatius Fiterien. in Additis ad Exordium magnum Ord. Cist. lib. 3. cap. 17. apud Marriq. in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1131. cap. 6. num. 6.*

cl *Præfatio ad Lectorem*

recepisset, visum est ei quoddam prunam ardentem præcordiis ejus aliquis injecisset: qui mox de Oratorio exiens, & suum diverforium adiens, quantocitiùs id quod acceperat, nausèâ perurgente rejecit in cineres, antequam vas aliquod ad excipiendum apprehendere posset. Tunc accersito Abbate loci, confessus est peccatum quod commiserat, & periculum præsens quod ex eo incurrerat. In crastinum autem Abbas cuncta quæ acciderant, in Capitulo ad Fratrum audientiam retulit, & pro irreverentia sacræ Eucharistiæ communem pœnitentiam omnibus qui adfuerunt, injunxit. Porro Conversus idem Frater crescente ægritudine lecto decubuit; & diutissimè postea languens, utrum autem convaluit, incompertum est nobis.

IX. Sancta Lutgardis Virgo, (o) Monialis Cœnobii Aquiriæ Ordinis Cisterciensis in Brabantia, cùm iret ad Altare ut communicaret, à duobus Angelis tenebatur & deducebatur. Aliàs etiam visa est Dei Genitrix cum Sancto Joanne Baptista eam comitari. *De quo miraculo Thomas Cantipratanus (p) ita scribit.* Ut autem quibusdam Aquiriæ Monialibus, quæ fortassis minùs dignè de illa sentiebant, Lutgardis meritum innotesceret, insigne hoc miraculum accidit. Consueverat illa singulis diebus Dominicis Corpus Christi percipere: cùmquè euntem ad Altare nemo licet debilem sustentaret, quidam (quibus id videre concessum est) perspicuè viderunt duos Angelos mediam eam tenere, & deducere ad Altare.

Aliàs

o *Henriq. in Monol. Cister. ad diem 16. Junii. in Annotat. p. Tb. Cantiprat. in Visa S. Lutgard. lib. 2. cap. 30. relat. d. Marriquin. Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1233. cap. 2. tit. 5.*

Aliàs etiam manifestissimè visa est Beatissima Dei Genitrix cum Sancto Joanne Baptista eam officiosissimè comitari. *Hactenus Thomas Cantipratanus.*

X. B. Ida de Lovanio, [q] Virgo Monialis Cœnobii Vallisrosarum Ordinis Cisterciensis, ab ipsa infantia cœlestibus favoribus & consolationibus affuefacta erat. Nam cum septem tantum esset annorum, & Missæ sacrificio interesset, stellam lucidam splendidissimos radios circumquaque emittentem, è cœlo descendere, & locum Sacrificii mirabiliter illuminare conspexit. *Hanc visionem fusiùs describit in Vita ejus lib. 2. cap. 9. Auctor Agiologii Sanctorum Brabantia: cuius verba refert Maurique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1226. cap. 4. nu. 9. Ibidemquè cap. 5. num. 8. ex eodem Auctore capite septimo transcribit verba sequentia:* Quodam etiam tempore, cum in Ecclesia sacrosanctis Missarum solemnibus interesset Dei Virgo, & cor suum in orationibus & gratiarum actionibus dilataret in præsentia salutaris Hostiæ, ex nimia devotione & dulcedine quam in anima sentiebat, ex ore & naribus tanta sanguinis abundantia confestim erumpendo cæpit effluere, ut ipsum quoque pavementum Ecclesiæ visum sit in multa copia circa locum, quem ipsa Dei famula jacens occupaverat, irrigasse. Quod aliis quoque temporibus eidem frequentius accidisse dignoscitur, cum scilicet ex amore Dei conceptâ (supra capacitatem humanarum virium) internæ suavitatis abundantia dulcedine fruëretur. *Porro ibidem cap. 7. num. 10. ex eodem*

clii *Præfatio ad Lectorem*

dem Auctore cap. 46. hæc transcribit: Quadam die sacram communionis Hostiam accipere mente proposuit, & propositum opere confirmavit. Cùm enim expleto venerandæ consecrationis officio, jam tempus adesset communicandi, processit Venerabilis Ida In medio tamen itineris subsistens, Sponso suo cæpit dulciter conqueri dicens: O omnipotentissime Dominorum Domine, Creator & Redemptor omnium, si sponsam aliquam aut fullonem aut rusticum haberem, non sine comitatu familiariter subsequente, sponsale tenderem ad convivium! quantò magis & me licet indignam ex merito, sponsam tamen, absque venusto comitatu non decet incedere, cùm tuis appropinquo conviviis, ad percipiendum omni dulcedine dulcius tui Corporis Sacramentum? Ulterius itaque non progrediens, hic manebo, nisi sit qui me ducat ad Altare sanctum. Hæc ergo Dei Virgine cogitante, Sacerdotequè moram illius advertente, vidit, & ecce Regina Virginum quæ ad dexteram illius apparuit, ad lævam verò dilectus discipulus Joannes Apostolus adstitit, latus utrumque Beatæ fæminæ ambientes, arreptam hanc perducunt ad sacrosancta Mysteria, præcedente viamquè sternente (quâ procedere debebat) Angelo cum incensato thuribulo pariter & lucerna. Peractâ verò communionem, viâ, quâ venerat, reducitur, & in loco sessionis suæ, Sanctis eisdem obsequentibus, installabatur. Hæc Auctor in Vita S. Virginis Idæ apud Manrique loco citato.

XI. S. Theobaldus, (r) Abbas Monasterii Valium

r Idem ibid. ad diem 8. Julii in Annotat.

lium Sernay Ordinis Cisterciensis, Venerabile Sacramentum magna submissione & cordis affectu venerabatur, & quoties ante ipsum transibat, toties dicere consueverat: *Benedictus sit Christus Jesus Unigenitus Patris, qui per Nativitatem suam ineffabili gloria, dignissimam & gloriosissimam Matrem suam Mariam Dominam nostram decoravit.* Quæ verba gratissima Deo existere cognoverat per revelationem. Siquidem Christus Dominus ei sæpissimè apparuit, & cum eo amicè & familiariter agebat. Raptus aliquando in extasim, Sanctissimam Trinitatem eo modo quo fragilitati humanæ conceditur, sublimes tamen & admirando vidit. *Hactenus Henriquez.*

XII. Anno 1230. florebat [s] B. Juliana Corneliensis, Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis, quæ multis præcedentibus revelationibus, Festum Venerabilis Sacramenti institui curavit. *Propterea Dominus, (t) qui eandem prælegerat Corporis & Sanguinis sui festiva promovenda Solemnitati, specialibus ejusdem Sacramenti & favore prævenit & devotione. Quippè erga illud vel ab ipsa pueritia mirè affecta, nova semper in eo novi fervoris inveniebat motiva, ac novos quotidie cælestis gratiæ modos percipiebat. De hac Juliana Auctor vitæ ipsius [u] hæc verba scribit: Prævenit ancillam suam Dominus in benedictionibus, cum ad sacrificium Missæ præsens erat. Ad vivificum enim illud Corporis Christi Sacramen-*

s *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 5. April. t Henriquez in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1201. cap. 6. num. 3. u Auctor Vitæ B. Julianæ apud Henriquez in Liliis lib. 1. dist. 3. cap. 7. 8. & 9. relatam eodem tom. Annal. Cist. cap. 6. num. 3. & 4.*

cliv *Præfatio ad Lectorem*

tum, ab ætate puerili concipere cæpit non pueriles affectus: miramquè suavitatis internæ dulcedinem horâ Sacrificii in spiritu suo sentiens infundi, sicut aquam cor suum effundebat in conspectu Altissimi, eumquè deprecabatur, ut ad amplioris dulcedinis participationem pervenire mereretur. Et cùm die in diem per vehemens desiderium ad sumendum quod optaverat, capacior redderetur, aded fervor devotionis excrevit, ut, cùm tempore Sacramenti conficiendi orationi incumberet, à torrente voluptatis suæ non posset evelli. Cùm autem affectio, quam habebat Juliana ad vivifici Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum, per singulos dies cresceret in immensum, non requiescente aliter spiritu ejus, unum è duobus facere cogebatur: nempe, aut Missæ solemniis interesse, aut illo tempore orationi, ubi commodiùs poterat, incumbere. Et primum quidem sibi erat in ferventi desiderio, alterum in solatio. Tantum enim dulcedinibus supernæ haurire consueverat, cùm Missæ adesset sacrificio, ut summo desiderio cuperet redire in idipsum. Cùm autem dilecti & electi sui nonmodò ex millibus, sed ex omnibus qui in cælo sunt & in terra, Sanctissimum Corpus percipiebat, tanto tamquè abundantiori gratiæ ac devotionis adipe replebatur, ut adinstar ceræ ad ignem appositæ anima ipsius liquefceret, ac intra semetipsam spiritus ejus deficeret. Tunc enim gustabat & videbat quoniam suavis est Dominus: acceptis utique amplioris gratiæ muneribus, sentiebat in edulio hujus Sacramenti omne delectamen-

mentum, & omnem saporem suavitatis: Duo præterea, (x) quæ in eodem nono capite notata inuenio, præterire nequaquam silentio licet. Unum, quod ex illo caelesti cibo exterior homo; alterum, quod interior experiebatur: nempe, in corpore tantam fortitudinem, ut abstinere per mensem ab aliis cibis aut putaret, aut posset. In anima tantam mentis illustrationem experiebatur, ut nunquam planè Corpus Christi sumeret, quin aliquod illi arcanum de caelestibus mysteriis revelaretur. Primum effectum fateri ipsa solebat, dicerequè, quod per unum mensem nullum ei cibum ministrarent, dummodò nec ipsæ (Moniales) ad eam accederent: & ab aliis, si fortè quærerent ipsam, illam defenderent. Tantam namque fortitudinem esse in illo Sacri Panis edulio sentiebat, ut per tantum temporis subsistere non timeret. De secundo effectu hæc habent ipsius vita Acta: Tam singulari prærogativa gratiæ visitavit ancillam suam Christus in perceptione Corporis & Sanguinis sui, ut quoties Sanctam Eucharistiam sumebat, toties Christus eidem aliquod novum secretum de suis arcanis caelestibus revelaret. Hæc satis nunc de Virgine incipiente, qua iam tunc ab æterno destinata accidentali gloriæ Corporis Christi, ad ejus promotionem preparabatur. Qualiter autem hoc si fuerit revelatum, (y) sic narrat Gulimannus in ejus Vita: Tempore iuventutis suæ, quoties beata Virgo Christi Juliana orationi

x Idem Manrique ibid. nu. 5. Henriquez in Morol. Cist. ad dictam diem in Annorat. y Guliman. in vita B. Julianæ cap. 43. apud eundem Henriq. loco citato in Annotat. & apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1270. cap. 3. nu. 1.

tioni incumbere, toties magnum sibi signum & mirabile ostendebatur. Apparebat namque ei Luna in suo splendore, cum aliquantula tamen sui sphericæ corporis fractione. Quam cum multo tempore aspexisset, mirabatur multum, ignorans quid illa significaret. Ex eo autem non satis poterat admirari, quod quoties orationibus insistebat, dictum signum indefinenter se illius conspectui ingerebat. Tum verò illa, (z) ut erat humilis spiritu, de veritate dubitans visionis, & præ frequentia suspectam illam habens, ac tentationem putans: orabat, [ait Auctor vitæ ipsius cap. 43.] & per personas satis fideles orari ad Dominum faciebat, ut eam à quadam tentatione, quam se pati dicebat, eripere dignaretur. Sed cum nullâ industriâ, nullâ suâ vel aliorum prece, importunitatem signi posset à se repellere, cæpit tandem aliquando cogitare, ne fortè non tam laborare deberet ad hoc signum repellendum, quàm ad aliquod mysterium inquirendum in ipso. Contulit igitur se totam cum omni devotione ad deprecandum Dominum, ut si id quod videbat, aliquid significaret, sibi revelare non dedignaretur mysterium visionis. *Hactenus liber Actorum Vitæ Sanctæ Virginis. Pergunt deinceps tam (a) Auctor ejusdem libri, quàm Dießhemius Blerus eisdem verbis, aut saltem penè eisdem scribentes, apud Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis tomo 13. ad annum 1230. Tandem revelavit ei Christus, significari in Luna præsentem Ecclesiam; & in ejus fractione, defectum unius Solemnitatis,*

z *Idem Manrique ibid. cap. 5. num. 8. a Idem ibidem nu. 9.*

tatis, quam Deus in Ecclesia ad augmentum sacrae fidei voluit celebrari. Accepit proinde Juliana praeceptum caelitùs, ut hanc Solemnitatem inchoaret, & mundo nunciaret. Illa verò ad hæc obstupescens, sese non posse respondit. Cæterùm quotiescunque orationi vacabat, à Domino monebatur ut praeceptum injunctum perficeret, quam ad hoc prae mortalibus cunctis Deus praelegisset. Sed illa parvitatissimæ conscientia, quæ mentis gressum fixerat in humilitatis fundamento, dixit: *Domine, dimitte me, & rem hanc arduam Clericis committe.* Et respondit Dominus: *Per te omnimodis oportet inchoari, ac deinceps per personas sublimes promoveri.* Instabat ergo humilis Juliana continuis ad Deum precibus, ut aliam personam ad hoc opus eligeret. Sed vice quadam audivit sibi caelitùs pro responso dici: *Confiteor tibi Pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* At illa nec sic acquiescens, respondit: *Excita Domine temetipsum, excita & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte.* Et facta est rursum vox ad eam dicens: *Immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro. Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. Hactenus Auctor ejusdem Libri, atque Blerus apud Bzovium.* Hæc igitur Virgo sanctissima (b) divina revelatione monituque compulsæ, institutionem Festi Venerabilis Sacramenti ad
Ortho-

b *Aubes. Miræus in Chronicis ad anm. 1272.*

clviii *Praefatio ad Lectorem*

Orthodoxæ Religionis augmentum imprimis promovit. Nec ambigo Virginem humilem (c) perpetuâ memoriâ dignam esse, eò quod per eam inchoatum sit speciale Festum Corporis Christi. Siquidem Christus ei revelaverat, ut ad augmentum fidei in finem debilitandæ, necnon ad profectum electorum, Corporis & Sanguinis sui speciale Festum fieri curaret. *Hac ex Mirao, & Molano auctoribus refert Henriquez in Monol. Cist. ad. diem 5. Aprilis in Annot. Qui deinde in eodem Monologio ad diem 25. Maii scribit, institutam esse Solemnitatem Venerabilis Sacramenti anno 1264. per Urbanum IV. Pontificem Summum, ex Ordine Cisterciensi assumptum, procurante Beata Juliana Religiosa nostri Instituti Cisterciensis, ad di divinitus praelectâ.*

XIII. Anno 1140. Sanctus Bernardus pro defunctis sacrificium Missæ faciens in Capella SS. Martyrum propè Ecclesiam Monasterii Trium Fontiâ, Scalam vidit, & miratus est per scalâ animas è purgatorii penis ad cælum ascendere. Hanc visionem Onusfrus Panwinus apud Manrique (d) sic describit: Eidem Ecclesiæ, nempe Sancti Anastasii, imminet parvus collis cum exiguo fonte, qui locus Gutta jugiter manans vocabatur. In quo loco pro Christi fide septimo Idus Julii cæsi sunt S. Zeno Martyr, & cum eo decem millia & ducenti tres Christiani: quorum ossâ in proximo cœmeterio sub Sacello rotundo & devotissimo (quod Sanctæ Mariæ Scala cœli modò dicitur)

re-

c. *Joan. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.*

d. *Onusfr. Panwin. lib. de sept. Eccl. de Orbe, relat. à Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1140. cap. 8. nu. 7.*

Philosophia Christiana. clix

requiescunt. Cujus Dedicatio celebratur sexto Kalendas Februarii, ubi est Altare cum operculo marmoreo, quatuor pretiosis columnis sustentato, sub quo jacent corpora Sanctorum Martyrum, &c. In hac Ædícula sæpè Sanctus Bernardus, dum in Urbe moraretur, Sacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur, in mentis extasim raptus, Scalam vidisse fertur, quâ è purgatorii igneis pænis Animæ ejus suffragiis liberatæ in cælum ab Angelis deducebantur. Hinc sacræ illi Ædiculæ, Scala cœli nomen inditum est. *Hactenus Onufrius de hac à Sancto Bernardo erecta ad cælum piis Animabus Scala, videmque Sancto pro singulari illius in defunctos pietate, singulariter ostensa.* Is enim (e) in præfata Sancti Zenonis Capella pro defunctis aliquando sacrificium Missæ faciens, ferventerquè orans, Scalam lucidam, & per eam Angelos ascendentes, & purgatas piaculari igne animas ad beatas refrigerii Sedes referentes videre visus fuit, cujus rei multa, neque levia extant testimonia. Primùm omnium traditio, & ex ea nova ejusdem Capellæ nuncupatio, olim Sancti Zenonis dictæ, nunc Scala cœli, non aliunde certè quàm à Scala, litanti Bernardo divinitus ostensa. Ex Tabulario Cœnobii Montis Salutis Ordini Cisterciensi ab Ildephonso Hispaniarum Rege Septimo augustissimè constructi profero alterum authenticum testimonium, cujus hic est tenor: **Noverint &c.** quod à Nativitate Domini millesimo quingentesimo
qua tra-

c. *Inc. Re: totot. lib. de Gestis S. Bern. Elogio 108. in Prosa pag. 230. ex eo. àew. Marzig. loco cit. 116. 6.*

clx *Præfatio ad Lectorem*

quadragesimo quarto, &c. in Capella S. Mariæ de Scala Cœli nuncupata, Monasterii Sancti Anastasii ad Tres Fontes, propè, & extra muros Urbis Romæ, quæ (ut inibi cernitur) est secunda Capella, quæ in toto mundo ad honorem Beatæ Mariæ Virginis fundata fuit: in qua Divus Pater Bernardus, dum Missam celebraret, meruit videre Scalam erectam ad cœlum usque tendentem, atque Angelos ascendentibus & descendentes per eandem. In oblatione Hostiæ salutaris, [f] quam usque ad defectum ultimum vix aliquandò intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritûs sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis.

XIV. Anno 1124. (g) Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros Fratres conversationis, & minùs compatiens quàm deberet, in Monasterio Claravallensi defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei Bernardo apparuit vultu lugubri, & habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. *Interrogatus autem quid sibi esset? Ille quatuor lacertis se traditum esse querebatur.* Ad quod verbum continuò impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus est à facie Viri Dei. Qui gravius ingemiscens post tergum ejus clamavit: *Præcipio tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterùm innotescas.* Et conversus ad orationem & oblationem Hostiæ salutaris pro
co,

f Gaufrid. in *Vita. S. Bern.* lib. 3. cap. 1. num. 1. g Guillel. Abb. in *Vita S. Bernar.* cap. 10. num. 47. relatus à Manrique in *Annal. Cist.* tom. 1. ad ann. 1124. cap. 2. nu. 4.

eo, aliquos etiam Fratrum (quorum ampliorem no-
verat sanctitatem) eidem similiter subvenire mone-
bat. Nec verò destitit, donec postea, sicut præcepe-
rat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione
meruit consolari. *Hactenus Guillelmus Abbas in Vita
Sancti Bernardi.*

XV. *Auctor magni Exordii ab his, (h) qui ad-
fuerunt, acceptum ita describit:* Defunctus est Con-
versus quidam in Claravalle. Cùmquè à concurren-
tibus Fratribus commendationis officium ex more
fieret, Monachus quidam Senior magnæ religionis
vir, audivit turbas dæmonum per catervas suas ince-
dentium, cum magni strepitus vociferatione cla-
mantium, & dicentium: *Eja benè: Eja modò benè: so-
lummodo de hac mala Valle unam animam in nostræ
sortis partem acquisivimus.* Cùm verò idem Senior
Monachus qui hæc audierat, per noctis quietem
sopori membra dedisset, Frater ille defunctus ei ap-
paruit tristi & lugubri vultu, dicens ad eum: *Quia
audisti heri dæmones de meis suppliciis exultantes,
veni, & vide quàm terribili tormento Dei Omnipot-
entis iusto iudicio traditus sum.* Et confestim duxit
eum ad puteum quendam magnæ latitudinis & hor-
rendæ profunditatis, & dixit ei: *Ecce in hunc pute-
um frequenter à dæmonibus iniicior: quorum tan-
ta est crudelitas, ut si optio mihi daretur, malletem po-
tius centies ab hominibus, quàm semel à dæmo-
nibus hîc immergi.* Mane autem facto, dum quæ
audie-

*h. Idem Manriq ibid. nu. 5. 6. & 7. ex Auctore Exordii magni Ord.
Cist. lib. 2. cujus verba etiam referuntur in lib. 7. de Vita S. Bern.
cap. 2. pag. 192.*

clxii *Præfatio ad Lectorem*

audierat & viderat præfatus Senior Beato Patri Bernardo retulisset, (licet quoque & ipse ea per spiritum cognovisset) ingemuit, & dixit: *Scio quia nisi gravis causa existeret, nunquam demones talè ausum præsumpsissent.* Itaq; Capitulum Fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem defuncti Fratris exposuit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens, monebat, ut cautiùs in via sanctæ Religionis ambularent: affirmans, multam quidem esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, præcipuè tamen contra Monasticæ Religionis professores. Post hæc, Fratris animæ in supplicii constitutæ subvenire eos attentius monebat, Psalmis & orationibus: Missarum quoq; celebrationibus iram Dei placare hortabatur, ut pius Pater pulsatus precibus eorum, per salutaris Hostiæ immolationem tyrannicam dæmonum superbiam debellare, & ab eorum nequitia Fratris defuncti animam liberare dignaretur. Quod cum Fratres devotissimè facerent, paucis evolutis diebus, idem Frater defunctus supradicto Seniori iteratò apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Quærente verò Seniore quomodò se haberet? Respondit: *Domino Deo nostro gratias, benè.* Rursùs requisitus quomodò liberatus esset, ait: *Veni, & vido.* Et continuò introduxit eum in Oratorium ejusdem loci, ubi ad singula Altaria Sacerdotes cum ministris stabant, salutaris Hostiæ immolationem summa cum devotione celebrantes. *Ecce [inquit] hæc sunt arma gratiæ Dei nostri, quibus ereptus sum: hæc est virtus mihi.*

Philosophia Christiana. clxiii

miseriordia Dei, qua invincibilis permanet: hac est Hostia illa singularis, qua totius peccata mundi tollis. Et verè dico tibi, quòd his armis gratia Dei, huic virtuti misericordiae Dei, huic Hostiae salutaris non est quidquam quòd resistere valeat, nisi cor impanitens. Evigilans autem Senior, de liberatione Fratris gavisus est valdè. Modum quoque visionis ejusdem cæteris Fratribus exponens, tantò eos devotiores ad immolationem Hostiae salutaris reddidit, quantò certius ejus efficaciam in Fratris ereptione [meruerat experiri. *Hactenus Auctor Exordii Cisterciensis. De quo agunt, Magnum speculum exemplorum distinct. 3. exempl. 16. Pratum spirituale lib. 5. cap. 6. & Gundisalvus à Silva lib. 7. cap. 14.*

XVI. Anno 1232. Thomas Cantipratanus (i) hac memoria prodit: In Austria partibus [sicut per Abbatissam quandam piam & religiosam audivi] quidam sanctissimæ vitæ Cisterciensis Ordinis Monachus fuit, qui in Missa celebrata pro mortuis, ante participationem Corporis Christi, cum diceret, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiè,* audivit voces clamantium à remotis: *Festinate, festinate pacem suscipere, quia jam Missa propinquat ad finem.* Qui mox ut stabat Christi Corpus tenens in manibus, fuit raptus in spiritu, & vidit innummerabilium animarum multitudinem festinantem ad pacem. Et aliis recedentibus percepta pace, alias audivit clamantes: *Festinate, festinate, quia jam Missa*

1

propin-

i Tb. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 53. apud Marique in *Annal. Cist.* tom. 4. ad ann. 1232. cap. 3. n. 7.

clxiv *Præfatio ad Lectorem*

propinquant ad finem. Sic Monachus stetit à prima
ferè hora diei usque ad horam nonam, prætolanti-
bus aliis, & mirantibus quid stans haberet immo-
bilis. Tandem verò reversus ad se, finivit Missam:
& præcipiente Abbate, cunctis quid vidisset expo-
suit, & post paucos dies ipsemet Monachus vitam
finivit. *Hactenus Cantipratanus.*

2. XIII.

*De miraculis Sacramenti Eucharistiæ,
quibus excitamur & ad credendum rea-
lem in illa præsentiam Corporis Christi,
& ad recolendum Sacrosanctam
Passionem suam.*

I. **A** NNO 1178. (a) B. Gaufrerus Monachus
Claravallensis, postea Episcopus Sorensis
in Sardinia, admirandæ pietatis vir, virtutibus &
revelationibus & signis clarissimus. *De quo loquens
Auctor Exordii Ordinis Cisterciensis, [b] refert illustre
quoddam miraculum, ejus tempore inventum in Eu-
charistia, cum dicit: Consilium ejusdem Præsulis
fuit, ut quædam ipsius Basilica vetus & ruinosa dilap-
pidaretur, & in majorem statum repararetur. Cùm
ergo*

a Henriquez in *Monol. Cist.* ad diem 14. Octob. b Auctor *Exordii
magni lib. 3. cap. 23.* apud Henriquez in *Annal. Cisterc.* 3. ad ann.
1178. cap. 3. n. 8.

ergo ipsum Altare in præsentia sua dirui præcepisset, reperit in eo Capsellam scabrosam ac veterem, Sanctorum Reliquias continentem. Porro inter easdem Reliquias Corpus Domini repositum erat, quod ita sanum & integrum, ita mundum & candidum, & ab omni corruptione penitus alienum inventum est, ac si recentissimè ibi repositum fuisset. Sanè nemo in terra illa repertus est, qui ejusdem Ecclesiæ vel Altaris constitutionem, vel constructionem, vel consecrationem se vidisse recoleret. Viso itaq; tanto miraculo, universi qui aderant, lætati sunt valdè, & ædificati in fide glorificaverunt Deum, cognoscentes utique ipsum esse Sacratissimū Corpus Christi Domini, de quo veraciter scriptum est: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. *Hæc Author Exordii magni habet: cujus verba leguntur etiam apud Herbertum lib. 3. de Miraculis cap. 10.*

II. Anno 1640. *Angelus Manrique vir doctissimus & clarissimus, dum scriberet Annales Cistercienses, & ageret de Monasterio Petra Ordinis Cisterciensis in Regno Aragonum, (c) hæc memoriæ prodit: Multa quidem illustant hoc Cœnobium: sed inter alia, imò supra alia, Sacræ Eucharistiæ species à multis annis transmutatæ in Carnem, [Mysterium vocant incolæ] quæ in hunc usque diem perseverant, visunturquè, & devotè venerantur anniversaria & festiva Solemnitate. Hætenus Manrique.*

III. Anno 1194. contigit, (d) ut cùm Augusta-

*c Idem Manrique ibid. ad ann. 1194. cap. 5. nu. 3
d Ex Liberculo de vera & reali Christi præsentia in SS. miraculoso Sacramento, impresso Delinæ anno 1662.*

na quædam fœmina ex sacro Altari Sacrosanctam Eucharistiam more Christiano suscepisset, illam paulò post clam ex ore extraxerit, ac ceræ involutam domi suæ quinque annis asservaverit. Quæ divino deinde adacta impulsu, factum tamdiu dissimulatum celare amplius minimè valens, Religioso viro Berchtoldo Cœnobii Sanctæ Crucis Præposito confessa est, & Hostiam Sacram ceræ inclusam ultrò ei restituit. Aperiens ille aliquantulum ceram, Corpus Dominicum in carnis forma tenui, & filio rubeo simili in extremitate apparere deprehendit: ac ceram deinde utrinque omninò detrahens, illud quasi in duas partes divisum, venulis tamen quibusdam veluti nexibus connexum reperit. Obstupuit igitur viso tanto miraculo: ceræquè denuò implicatum Sacramentum recondidit, ac rem totam Udalscalco, tunc temporis Episcopo Augustano explicavit. Qui comitante Clero, populoquè universo, illud è Sanctæ Crucis Templo ad Cathedralē Ecclesiam honorificentissimè detulit: & triplo, vel quadruplo interea adactum incremento, ac dehinc etiam à tempore Paschæ usque ad festum Sancti Joannis Baptistæ, inter Missarum præsertim solemnias, omnibus cernentibus, eousque excrevisse & intumuisse comperit, ut ceram à se planè disjunxerit. Quam avulsam postea, separatim cum Sacra Hostia vasculo cristallino (in quo etiam nunc asservatur) ita inclusit, ut absque fractura vasculum illud aperiri nequeat. Certus igitur Udalscalcus de tanto miraculo, summum id Omnipotentis beneficium ad confir-

man-

Philosophiæ Christianæ. clxvii

mandam & augendam credentium fidem divinitus concessum recognoscens, Sacram illam Hostiam in Templum prædicti Cænobii solenniter reposuit: ac ne ejus memoria ex hominum mentibus aliquando excideret, solenne Officium de eadem Sacra Hostia quotannis undecima die Maji Augustæ celebrari constituit. Ut autem populo Christiano rei gestæ veritas, ac quanto in honore Deus hoc Sacramentum haberi vellet, evidentius constaret; plurima divinitus beneficia collata sunt iis, qui variis languoribus & ægrotudinibus laborantes ad illud ex pio voto venerabundi accesserunt. Multi à gravissimis periculis liberati sunt: multis oculorum cæcitate percussis, linguæ aliorumquæ membrorum usu destitutis, febricitantibus, maligno spiritu obsessis, aliisque morbis gravibus divexatis restituta est sanitas; dum piâ animi fiduciâ, vel ex propinquis, vel ex remotioribus partibus & locis venientes, supplices Deo preces pro recuperanda valetudine coram Sacratissimo hoc Sacramento obtulerunt. *Hactenus Historia de Sacra Hostia miraculosa, quæ Augustæ Vindelicorum in Ecclesia S. Crucis Canonicorum Regularium, ab anno 1199. in hodiernam usque diem sub rubea Carnis specie visitur & colitur.*

IV. Anno 1198. Herbertus ex Monacho Clavallensi Archiepiscopus Turrium Sardinia scripsit de Miraculis libros tres. In quibus inter alia, hoc prodit memoriæ miraculum de Eucharistiæ Sacramento, in arca recondito, quod in Carnem conversum fuit, & divini luminis indicio proditum. De hoc autentico

clxviii *Præfatio ad Lectorem*

miraculo (e) sic narrat: Referente Christianissimo Rege Francorum Ludivico cognovimus, in pago Atrebatensi ante biennium tale quoddam de Corpore Domini accidisse miraculum. Die sancto Paschæ mulier quædam ad Ecclesiam eunti filio suo præcepit, ut postquam communicasset, duobus parvulis suis domi remanentibus Corpus Domini secum afferre satageret. Qui iussa parentis exequi cupiens, duas Oblationes sacras, ignorante Presbytero, de Sacrario tulit, atque attulit matri. Illa verò suscipiens eas, unam communicaturis infantibus dispertivit, alteram institâ colligatam diligenter in arca recondidit. Post paucos itaque dies unus ex puerulis ejus vidit immensa luminaria circa eandem arcam divinitus accensa, quæ totam domum ingenti claritate perlucebant. Quod videns infans, matrem suam festinanter accersit, verbo digitoquè demonstrans luminaria copiosa, quæ in oculis ejus radiabant. Cùmquè mater intentè respiceret, & nihil penitus videre prævaleret, arcam illam appositâ clavi referare tentavit; sed nulla virtute, nulla funditus arte prævaluit. Undè mirata & obstusca vehementer, properavit adducere Presbyterum ipsum ad tale miraculum intuendum. Qui cùm festinus adesset, & claritatem illam quam puer aspiciebat, videre non posset, illicò clavem illam de manu mulieris accepit, & sine ulla difficultate

c *Herbertus de Miraculis lib. 3. cap. 20. reimpressis Divione ann. 1662. curâ P. Petri Francisci Cbisei. i Soc. Jesu, sub titulo hoc S. Bern. Abbatis Genus illustre Asseruit.*

cultate arcam celeriter reseravit. Quam cum aperuisset, insitam illam in qua ligata erat Eucharistia, infectam sanguine reperit: & eandem Hostiam Sacrosanctam, manente figura panis, in speciem Carnis permutatam invenit. Quo viso Presbyter, & qui cum eo erant mirati sunt valdè; & adorantes Deificum Corpus, cum honore & reverentia ad Ecclesiam detulerunt, atque in Sanctuario dignè collocaverunt.

V. Anno 1178. *idem* Herbertus scribit, (f) Hostia Sacrosanctæ partem majorem in Carnem mutatam esse, cum dicat: Eodem Rege quo supra, referente cognovimus, quod in pago Carnotensi hujusmodi signum super eodem Sacramento contigerit. Sacerdos quidam, dum Sacramenta offerret, invenit ante fractionem Corpus Dominicum in speciem defæcatæ ac pulcherrimæ carnis ex majori parte mutatum, ita tamen ut evidenter ejusdem Hostiæ circulus & literæ semper in ea apparent. Verumtamen illa pars Hostiæ, quam inter digitos suos Presbyter tenuerat, solummodò panis speciem retinebat. Videns itaque Sacerdos, & plebs universa quæ aderat, rem tam mirabilem, obstupuerunt: & exultantes in Domino, cum tremore ipsam Eucharistiam in Sacrario collocaverunt; ubi etiã nunc in vase cristallino reposita, honorificè custoditur. Nuper verò cum quidam Capellani & Clerici supradicti Francorum Regis, viri fideles & honesti, hujus rei veritatem nobis pro certo adstrue-

1 4

rent;

f *Idem* Herberti. *ibid.* lib. 3. cap. 21.

rent; adfuit etiam unus inter eos, qui, teste DEO, asseverabat se ipsam Eucharistiam eodem modo quo prædiximus, immutatam propriis oculis aspexisse.

VI. Anno 1178. *idem* Herbertus refert, (g) *Hostiam Eucharisticam in Carnem conversam esse, & Calicem in Sanguinem commutatum in manibus sacrificantis Presbyteri, scribens ita: Quidam honestæ conversationis Presbyter, dum in quadam feria sexta sacrificaret, reperit ante perceptionem Hostiam Sacratam in similitudinem carnis esse conversam, ipsumquè Calicis Sacramentum in speciem Sanguinis commutatum. Quod cum ille vidisset, nihil omninò exhorruit, sed totum fidei ore percepit. Cumquè peractâ Missâ hoc ipsum quod acciderat, Episcopo suo revelâisset; increpavit eum Episcopus, quòd tantum Dei munus sibi ad videndum minimè reservâisset. Sequenti verò feriâ Sextâ cum itidem Missam celebraret, idem ei miraculum accidit, ipsumquè Episcopo cernendum reservavit, Quod cum ille vidisset, cunctisque videndum exhibuisset; immensas Omnipotenti Deo gratias retulit, ac ipsum Sacramentum veluti thesaurum incomparabilem, præcepit in Ecclesia cum digna veneratione custodiri.*

VII. *Eodem anno idem* Herbertus [h] *aliud miraculum prodit memoriæ in hæc verba: Sanctimonialem quandam fœminam novimus, quæ magnis virtutibus pollens, etiam prophetandi gratiam habere*

g *Idem ibidem cap. 22.* h *Idem ibidem cap. 25.*

bere probatur. Huic autem nuper Christus Dominus apparens, tale quid revelare dignatus est, dicens: *Inhoneſtius me tractant fideles mei, quàm Judæi, ſive pagani. Modò namque fecere me porcarium, depositum tenentes in proxima villa Corpus meum abſconditè atque viliffimè in ſtabula porcorum, ne porci peſtilentia aut mortalitate diſpereant.* Cùm igitur ancilla DEI protuliſſet in medium verbum hoc, continuè ceperunt inveſtigare diligenter etiam cum interminatione anathematis, quis tantum ſacrilegium perpetrâſſet. Videns itaque reus quia jam latere non poterat, conſeſſus eſt tandem malum quod egerat, oſtendens etiam in oſtio ſuilis foramen occultum, in quo Dominicum Corpus erat occultatum. Aperto igitur aditu, repererunt Hoſtiam ſacroſanctam, in ſimilitudinem carnis jam ex magna parte mutatam. Videntes verò fideles Sanctum canibus datum, & margaritam porcis appoſitam, graviter ingemuerunt; tollentesquè Sacrum de non ſacro, cum timore & reverentia magna ad Eccleſiam reportârunt, atque in Sacratio [ut dignum eſt] repoſuerunt.

VIII. *Eodem anno idem Herbertus (i) ſimile miraculum refert, his verbis dicens: In Episcopatu Carnotensi quidam ruſticanus atque pauperculus homo erat, qui neſcio à quo impoſtore maligno audierat, quòd ſi Dominicum Corpus ſecum aſſiduè circumferret, in modico tempore divitiis abundaret. Accipiens itaq; die Paſchæ ſacroſanctū Domini Corpus, integrum*

Idem ibi d. cap. 29.

tegrum ore retinuit. Quòd protinùs affluens in margine cappæ, multo secùm tempore tulit: nec tamen ei paupertas & miseria defuit. Hic autem homo tactus ægritudine lethali, ad extrema devenit. Cùmquè se morti propinquare conspiceret, tandem miser ad se reversus, miserabili sensit experimento illud verum esse, quod ait Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Dolens ergo & pœnitens, confessus est rapinam, quam sacrilego ore pervaserat: indicans etiam corporale indignum, in quo dignissimum Corpus repositum erat. Accipiens itaque Presbyter ipsam vestem, & coram astante populo dissuens eam, invenit Hostiam sacram, (pristinâ quidem manente figura) in naturam & speciem carnis omninò conversam. Quod cùm nunciatum esset Præfuli Carnotensi, protinùs ad locum cum comitatu magno venire curavit. Assumensquè thesaurum illum incomparabilem, & ad Civitatem ipsam maximo cum honore deferens, (occurrente sibi Clero & populo innumerabili) in Ecclesiam B. V. Matris Dei solemniter intulit, ibiquè dignissimè conservandum, decenter ac sublimiter collocavit.

IX. *Eodem anno idem Herbertus (k) aliud miraculum narrat, ita scribens: Quidam homo rusticula, dum ad cujusdam fortiarrii sibilos virulentos malè credulam aurem applicuisset, persuasum est illi quòd si ore tenendo Dominicum Corpus insufflaret alveariis, apes inde plurimùm essent profecturæ, & cre-*

k *Idem ibid. cap. 30.*

& crebriora examina mitterent, & uberiora mella conficerent. Perceptâ igitur Eucharistiâ, & ore retentâ, ad apiarium venit. Cùmquè per singulos calathos insufflando procederet, contigit tunc, ut Hostia sacra ab ore sufflantis elapsa, in unum calathorum per foramen intraret: quæ mox divinitus acta, superius avolavit, ibiquè in superiori crate congruè locata triennio latuit. Cùmquè peritus ille insibilator curiosius intrò prospiceret, & eam minimè reperiret; contempsit & abiit: ipsum tamen calathum ne amoveretur, diligenti cura notavit. Post tres autem annos correptus ægritudine gravi, mortem in januis adesse cognovit: accersitoquè Presbytero confessus & pœnitens, recognovit audaciam puniendam quam superbè præsumperat, ipsamquè jacturam intolerabilem, quam postea negligenter incurrerat. Percunctante autem Presbytero utrumne præsepium illud agnosceret, in quod Hostia cecidisset: respondit sese optimè scire, nec distulit in continenti ostendere. Tunc igitur effracto canistro, Presbyter & qui aderant multi repererunt Dominicum Corpus diligenter & honestè reconditum in superiori statu, ita prorsus integrum atque decorum, ac si fuisset ibidem ea die repositum.

X. Anno 1148. (1) Sanctus Malachias Archiepiscopus Hiberniæ, Sanctissimo Patri Bernardo singulari amicitiaæ fœdere junctus, (qui Ordinem Monasticum in sua Insula jam penè collapsum, assumpto Cisterciensi habitu, secundùm Institutum nostrum

1 *Henriquetz in Monolog. Cisterc. ad diem 3. Novemb.*

strum reformavit,) crebris miraculis, ac Apostolico & prophetico spiritu plenus, in ipsa Claravalle feliciter obdormivit in Domino. *Ejus vitam scripsit Sanctus Bernardus, ubi inter alia miracula narrat, quendam Clericum malè sentientem de Eucharistia, (m) reduetum esse ab eo ad viam veræ fidei, exprimens his verbis: Fuit quidam Clericus in Lesmor probabilis [ut fertur] vitæ, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodò Sacramentum, & non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non Corporis veritatem. Super quo à Malachia secretò & sæpè conventus est, sed in cassum. Vocatus autem ad medium est, seorsim tamen à laicis, ut si fieri posset sanaretur, & non confunderetur. Itaque in Conuentu Clericorum data facultas homini est pro sua sententia respondendi. Cùmquè totis ingenii quo non mediocriter calebat, asserere & defendere conaretur errorem, Malachia è contra disputante & convincente, iudicio omnium superatus, de Conuentu confusus quidem exiit, sed non correctus. Dicebat autem se non ratione victum, sed Episcopi pressum autoritare. Et tu [inquit Clericus] ô Malachia sine causa me hodie confudisti, adversus profectò veritatem locutus, & contra tuam ipsius conscientiam. Mæstus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens injuriam; timens verò periculum, Ecclesiam convocat, errantem publicè arguit,*

m S. Bern. lib. de vita S. Malachia Archiepisc. Hiber cap. 26. que legitur tom. 4. Operum S. Bern. pag. 461.

arguit, publicè monet ut resipiscat. Suadentibus hoc ipsum Episcopis & universo Clero, cùm non acquiesceret, contumaci anathema indicunt, hæreticum protestantes. Nec sic evigilans: *Omnes* (inquit ille) *faveis homini potius quàm veritati: ego personam non accipio, ut deseram veritatem.* Ad hoc verbum subternachans Sanctus Malachias: *Dominus* (inquit) *fateri te veritatem faciat velex necessitate.* Quo respondente *Amen*, solvitur Conventus. Tali ille inustus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non sustinens, sed continuò sua tollens exibat: & ecce subita correptus infirmitate sistit gradum, viribusquè deficiens, in eodem loco jactat se super solum anhelus & fessus. Incidens autem in id loci quidam vagabundus insanus homo, offendit Clericum, quem percontatur quidnam ibi agat? Respondet Clericus, gravi se infirmitate teneri, & neque procedere, neque redire valentem. Et ille inquit: Infirmitas ista haud alia est, quàm ipsa mors. Hoc autem non dixit à semetipso: sed pulchrè Dominus per insanum hominem corripuit Clericum, qui sanis acquiescere noluit consiliis Senatorum. Et addit homo ille insanus: Revertere domum, ego te juvabo. Deniquè ipso duce Clericus revertitur in Civitatem, redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Sanctus Episcopus Malachias, agnoscitur veritas, abjicitur error: confessus reatum Clericus absolvitur, petit viaticum, datur reconciliatio; & uno penè momento perfidia

dia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis, sub omni celeritate completus est sermo Malachæ Episcopi, & Scripturæ pariter dicentis: *Tantummodò sola vexatio dat intellectum auditui.*

2. XIV.

De aliis miraculis Sacramenti Eucharistiæ, quibus inducimur tam ad credendum realem in ea Corporis Christi præsentiam, quàm ad recolendum Passionem ejus.

I. **A**Nno 1178. Herbertus (a) hac memoria prodit, scribens ita: In Provincia Flandriæ terribile quid accidisse comperimus. Quidam carnalis ac perversus homo cùm morti appropinquasset, allatum est ei Dominicum Sacramentum ut communicaret: quod cùm ille fuisset intuitus, illicò repercussis oculorum luminibus, quasi magno fulminis ictu vehementer infremuit, & vibrato corpore de lecto exiliens, raptu dæmonum elevatus est supinus in aëra sursum; ac protinùs extra lectulum recidens, medius crepuit, & animam infe-

a Herbert. de Miraculis lib. 2. cap. 25.

infelicem evomuit . Porro de manu Presbyteri Corpus Domini exclusum , & in eodem lectulo cadens , super linteum venit . Ipse autem Presbyter nimio terrore percussus , dementiam incurrit . Qui etiam multo postea tempore superstes , nunquam sensum recuperavit ; sed quasi bestia factus , quotidianam procurationem accipiebat de domo Comitum Flandrensis .

II. Anno 1212. (b) cum diabolus invideret gloria fidei per tot signa ostensa , & veris miraculis falsa præstigia ad decipiendos homines opponeret , ut olim in Ægypto ; sed quali impotentia & confusione , Casarius (c) describit verbis sequentibus : Tempore illo , quo manifestari cæperunt hæreses Albigenes , quidam maligni homines virtute diabolica suffulti , quædam signa atque portenta ostenderunt , quibus & easdem hæreses roboraverunt , & multos fidelium in fide subverterunt . Super aquas enim ambulaverunt , & non sunt submersi . Cernens hoc Sacerdos quidam & fide Catholicus & vitâ religiosus , sciensquæ vera signa cum falsa doctrina esse non posse , Corpus Domini in pixide repositum ad flumen (ubi illi maligni suas populis ostensuri essent virtutes) deportavit , dixitquæ in audientia omnium : *Adjuro te diabole , per eum quem in manibus porto , ne in hoc flumine ad hujus populi subversionem exerceas tantas phantasias per hos homines .* Post hæc verba ,

b *Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1212. cap. 2. 114. 5.*
c *Casarius Heisterbac. in suis Dialog. Lib. 9. cap. 22. relat. ab eodem Manrique ibid.*

clxxviii *Præfatio ad Lectorem*

verba, illis super undas fluminis ambulatibus ut prius, Sacerdos turbatus, Corpus Dominicum in flumen jactavit. O mira Christi potentiâ! Mox enim ut elementum tetigit Sacramentum, phantasia cessit veritati, & pseudofancti illi quasi plumbum descendentes in profundum, sunt submersi: pixis verò cum Sacramento statim ab Angelis sublata est. Videns Sacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exultavit, sed de jactura Sacramenti doluit: totam verò noctem in lachrymis & gemitu transigens, manè pixidem cum Sacramento reperit in Ecclesia super Altare. *Hæcenus Casarius.*

III. Anno 1218. (d) mare in partibus Frisiz terminos suos egrediens, multarum Provinciarum terras inundavit, villas delevit, Ecclesias lapideas dejecit: tantamquè extinxit hominum multitudinem, ut summa centum millia transcenderet. Ita enim exaltati sunt fluctus inundationis hujus, ut turrium altitudines operiri viderentur; & procella procellam impellens, generale diluvium minaretur. Qui quidem fluctus furentes etiam usque Coloniam pervenissent, si non is qui eos excitaverat, Genitricis suæ precibus compescuisset. Friso tamen quidam arte pugil, in eadē Provincia extitit causa: qui quoties de taberna ebrius rediit, toties uxorem verberibus & plagis fatis tribulavit. Quæ tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, Corpus Domini sibi dari postulavit.

p *Idem Casarius ibidem lib. 6. cap. 3. relat. à Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1218. cap. 6. num. 1.*

vit. Venienti autem Sacerdoti pugil ille cum scypho cerevisiæ ebrius occurrens, bibere monuit. Et cum Sacerdos responderet: *Corpus Domini porto, non modò bibam*: iratus Friso pugil, scypho Pixidem percussit, & omnes Hostias de illa excussit, ita ut per pavementum dispergerentur. Matronæ verò, quæ consolationis gratiâ convenerant, super singulas Hostias tanquam stellas radientes viderunt; quas Sacerdos gemens ac dolens, in Pixidem recogit, & abiit. Friso deindè à Decano Provinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curavit: qui tamen ad hoc compulsus est, ut Cruce pro tanto sacrilegio signatus, cum dicto Sacerdote etiam Cruce signato veniret Romam. Cui Honorius Papa Tertius culpam confitenti pro pænitentia injunxerat, ut mare transiret, ibiquè tribus annis in armis Christo serviret. Quid plura? Mare transierunt ambo, & ante Damiatam Ægypti civitatem mortui sunt ambo, Quibus defunctis, cum anno eodem Dominus Provinciam Frisiæ terribiliter (ut supra dictum est) plagâisset, & causa plagæ populum lateret; matronæ cuidam valdè religiosæ, Domino in jejuniis & vigiliis & orationibus & eleemosinis servienti, (materteræ videlicet Domni Winoboldi Abbatis Cænobii Sancti Bernardi in Frisia) Beata Deigenitrix Maria lachrymis ejus mota, populiquè miserta, apparens sic ait: *Propter injurias Filii mei in Sacramentum Corporis eius factam, submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur, si condigna pænitentia non fuerit subsecuta.* Moxquè
m adjecit

clxxx *Præfatio ad Lectorem*

adjecit Mater misericordiæ: *Leva oculos tuos contra mare.* Quod cum fecisset, contemplata est Pixerem à pugili percussam in summitate fluctuum natantem. Quæ cum tantum approximasset, ut posset cognosci, ait: *Ecce Corpus Filii mei: in loco enim ubi dispersum est, ædificanda est Ecclesia, & debet ei tanta exhiberi reverentia, quomodo Sepulchro Dominico.* Hoc etiam noveris, quod ambo mortui sunt, pugil scilicet & Sacerdos: sed pugil è quod sine contritione obierit, sepultus est in inferno; Sacerdos verò tenetur adhuc in purgatorio. Hactenus Mater totius misericordiæ.

IV. Anno 1317. (e) in Herkenrodensi Cisterciensium Virginum Monasterio cæpit recoli memoria Sacramenti miraculosi, quod ibidem summa cum religione asservatur; & ad quod propter multiplices rerum formas, variasquæ figuras quæ se passim offerunt intuentibus, ex diversis Provinciis magna populi multitudo confluere solet. Alii enim Christum in Crucem actum, (f) alii spineâ coronâ redimitum, seu flagellis cæsum, alii denique gloriosum quasi tunc à mortuis surrexisse, alii alia obtuentur. Novi quendam nostri Ordinis Monachum, qui septies sacram Hostiam venerari meruit, & semper diversa contemplatus est: & semel puerum Jesum ovem inter brachia dulciter amplectentem conspexit. Et tandem omnes ferè, qui peregrinorum more Cænobium petunt, in sa-

cra

e Henriquez in Monol. Cisl. ad diem 25. Julii impresso Antuerpiæ ann. 1630. f Idem ibid. in Annal.

cra Pixide res admirandas deprehendunt. Horum miraculorum originem historia ipsius Herkenrodensis Monasterii, exarata in tabula, succinctè narrat his verbis sequentibus.

Anno Domini 1317. 25. Julii, in loco dicto Vivers propè urbem Fumay, in Comitatu Loozensi, infirmitate gravi homo quidam lecto decumbebat: cui cum humana conditio mortis horrorem incussisset, sacro Viatico muniri petiit. Requisitus igitur supradicti loci de Vivers Vicepastor, is more consueto in Pixide Venerabilem Eucharistiam deferens, in ejusdem ægroti domûs mensa Pixidem apertam ex incuria (ut dicti ægroti Confessionem exciperet, eumquè ad tanto Hospiti dignum hospitium parandum hortaretur) reliquit. Nonnulli interea dignè minùs Pixidem hanc positam considerantes, indignè eandem cum sacra Hostia profanis manibus contrectarunt, ac tum demùm obstruxerunt. Audita ægroti Confessione, Vicepastor allaturus sacram Pixidem de loco in quo eam reliquerat, regressus est: qui reversus ad suum ægrotum, ut eum sacro Viatico communicaret, Pixidem magna cum reverentia aperuit. Quam cum aperuisset, in ea sacrosanctam Hostiam quasi fordidam, ac sanguine commaculatam, Pixidis insuper linteo hærentem conspexit. Signum hoc tam mirandum Sacerdos timore magno perculsus contemplans, denud sacram Pixidem reclusit, ac Venerabile Sacramentum celavit, ægrotum suum verbis quàm potuit optimis consolatum relinquens. Referens igitur trem-

clxxxii *Præfatio ad Lectorem*

mendum istud Mysterium ad suam Ecclesiam, cuncta ex ordine ejusdem Ecclesiæ. Pastori exposuit. Quod Venerabilis ille Pastor intelligens, præ animi dolore & tremore valdè fuit anxius, nesciens quamnam ob causam tantum signum accidisset. Præcepit tamen ei, ut Venerabile hoc Sacramentum ad Monasterium Monialium de Herkenrode Ordinis Cisterciensis deferret, & insimul cuncta quæ contingerant, narraret cuidam doctissimo ac religiosissimo Viro, Domno Simoni, qui tunc temporis in eodem Monasterio commorabatur. Vicepastor igitur nihil cunctatus, jussa exequi festinavit: quod bestiarum agri divino impulsu [ut ita dicam] præsentientes, suo modo congeniculantes ante hoc Venerabile Sacramentum, in eodem naturæ Auctorem se venerari & adorare his signis protestatæ sunt. Insuper Vicepastore Ecclesiam dicti Monasterii intrante, campanæ duæ sine alicujus adminiculo ultrò sonuerunt. Cantabatur tunc temporis in ipsa Ecclesia Introitus Missæ de Sancto Petro ad Vincula, qui incipit, *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum*: quem cantum eò avidiùs audire desiderabat, quò cælestis ille thesauri bajulus multis divinis cogitationibus in itinere fuerat recreatus. Unde certissimè eliciebat, Sanctum hoc Sacramentum præcipuè illo in Monasterio debere honorari & coli. Sacrificium Missæ tunc peragebat Religiosus quidam nomine Adamus, qui (sacrorum tamen signorum præsentia nescius) sese paulisper ab Altari divertit, nec non profunda humilique inclinatione Sacrum hoc

Sacra-

Sacramentum adoravit. Nec solum: verumetiam in eodem Sacramento (quamvis occultato) ei apparuit figura humana, circumsepta formâ cujusdam coronæ. Sed & eodem temporis spatio dæmoniacus quidam liberatús est. Ab eo tempore nunquam cessavit, neque hodie usque cessat Venerabile hoc Sacramentum manifestare omnibus peregrinis effectus suos divinos ac miraculos. *Hactenus Historia ex ipsius Monasterii Herkeurodensis Archivio desumpta anno 1630.*

V. Anno 1206. (g) cùm Cistercium arderet spiritu, vir planè sanctus nomine Everhardus, Sancti Jacobi Plebanus apud Coloniam, ab Abbatibus Cistercii congregatis (charitate operante) non est admissus ad Ordinem. Quippè sciebant vitam ejus sanctam, ac suis ovibus esse pernecessariam: nec dubitabant communem utilitatem propriis commodis, & Dei gloriam privatæ anteponendam. Adhæsit tamen anima ejus nostris, à quibus solo habitu Monachali, ne gratiæ Dei collatæ sibi deesset, dividebatur: ut revera inter nostros memorari non immeritò debeat, qui noster affectu, & nisi per nos ipsos stetisset, opere fuit. *De hoc Everhardo incundum satis miraculum* (h) *Cæsarius narrat his verbis:* Cùm die quadam Corpus Domini deferret in Pixide ad infirmum communicandum, & devenisset in viam arctam & angustam, essetquè nimis lutosa

g *Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1206. cap. 5. num. 6.*
h *Cæsarius in suis Dialog. lib. 4. cap. 89. relatús à dicto Manrique loco citato, num. 7.*

clxxxiv *Prefatio ad Lectorem*

atque profunda, obvios habuit asinos frumento oneratos: sacci autem parietem ex parte una contingebant, ex altera verò de via dependebant. Scholaris verò qui præcedebat cum laterna, magno cum labore nunc impellens asinos, nunc ab ipsis impulsus pertransiit. Sacerdos hæc videns, & quòd vir senex esset ac debilis, considerans, pallere cæpit ac tremere, timens ab asinis impelli, & in luti illius profunditatem unà cum Sacramento præcipitari. Necesse erat ut tentatio talis justum probaret, quatenùs fides ejus claresceret. Cernens itaque humanum deesse auxilium, ab eo quem portabat inspiratus, prorupit in hæc verba: *Quid est, quod agitis asini? numquid non consideratis quem gestem in manibus meis? State, descendite: date honorem Creatori vestro: in ejus siquidem nomine vobis precipio.* O mira obedientia animalium brutorum! ad vocem Sacerdotis simul omnes steterunt, simul descenderunt. Accessit adhuc miraculum miraculo. Cùm enim esset descensus laboriosus, tamen non sunt lapsi sacci de dorsis asinorum: quorum obedientiam Vir sanctus admirans, Deumquè glorificans, sine periculo ad infirmum pervenit. Hoc factum satis celebre est usque hodie in civitate Coloniensi. *Hactenùs Cæsarius.*

VI. Anno 1178. scribit Herbertus, (i) *Eucharistiam ad moribundam feminam latenter transmissam, publicatam esse à maligno spiritu, sic narrans: In Territorio Catalaunensi, in vico quem nuncupant Belesmum, erat Presbyter quidam nomine Wilhelmus,*

i Herbert. de Miraculis lib. 3. cap. 24.

Ielmus, homo labricus multumquè inhonestus. Ad hunc itaque veniens aliquando quidam laicus homo, rogabat eum pro quadam pauperula parochiana sua, (quæ in rure proximo commanebat) ut eam citius visitaret, & morienti sacrum Viaticum ministraret. Ipse verò (ut erat piger & negligens) ire recusavit, sed eidem homini laico Corpus Domini committens, ait: Vade, & dicito Clerico illi qui in ipso viculo habitat, ut morientem sceminam audiens, hanc ei Eucharistiam tradat. (Erat autem nox.) Abiens itaque homo laicus cum Dominico Sacramento, dum esset in itinere, reperit in ipsa via jacentem spiritum immundum, & quasi mortuum aliquem, sudario candido coopertum. Quem cum primo vidisset, inhorruit: moxquè signo Crucis armatus, & Sacri Corporis virtute confusus, declinavit paululum ab eo, & ita pertransiit. Tunc ille qui mortuus videbatur, repente surrexit, & clamans post eum, dixit: *Nisi ille quem portas, tibi nunc praesidio esset, utiq; malo tuo huc adveisses.* Quo dicto versipilis insidiator evanuit: & ita nocenter innocens, atque inutiliter utilis fuit, qui non modò non potuit malignitatem explere quam vellet, verumetiam cogente Domino confessus est veritatem, quam dicere nollet.

VII. Eodem anno Herbertus narrat, (k) qualiter celebrante Missam sacrilego Sacerdote, dum vellet communicare, Corpus & Sanguis Christi è patena calicquè evanuerunt. Hoc autem miraculum ita describit:

m 4

scribit:

k Idem ibid. cap. 23.

clxxxvi *Præfatio ad Lectorem*

scribit: Presbyter quidam sæcularis appellatus est ad Dominum Papam, & accusatus coram eo de noxa criminali: qui cùm ab eo interrogaretur etiam sub anathematis comminatione, elegit potiùs excommunicari, quàm veritatem de perpetrato crimine confiteri. Et quoniam legitimis attestationibus convinci non poterat, dimissus est tandem velut innocens reus, ipsius qui non fallitur examini reservandus. Cùmquè reversum ad propria graviter remorderet conscientia, reliquit interim habitum Clericalem, (non animum sæcularem) ingressusquè Monasterium Clericorum Regularium, professus est inibi vitam regularem. Qui cùm jam in eo plurimum temporis peregrisset, nolebat ullo modo confiteri justam illius excommunicationis sententiam, qua à Summo Pontifice innodatus erat; & tamen Sacerdotis officio incessabiliter fungi punienda temeritate præsumebat. Quadam itaque die sacrificante illo, & *Agnus Dei* iam dicto, cùm super patenam Corpus Domini posuit, & coram ipso modicè inclinando caput humiliasset, continuè se erexit ut solito more communicaret. Sed (quod est mirabile dictu) eadem hora Angelico (ut fas est credere) ministerio sublatus est invibbiliter Panis ille cælestis de patena, & de calice Sanguis. Quod cùm Presbyter ille conspiceret, turbatus & contritus illicò obstupuit, nimirum intelligens ac sciens, quàm justo & quàm tremendo iudicio Dei evenisset: moxquè celeriter adiens Patrem spiritualem, confessus est tandem compun-

punctus & pœnitens impietatem suam, quam etiam ipso tacente jam cæli revelabant.

VIII. *Eodem anno idem Herbertus* (1) *scribens de quadam femina pudica, quæ solita est videre tempore sacrificii Missæ Infantulum Jesum, probis spontè illabentem, ab improbis verò abhorrentem, sic narrat:* In Civitate Ambianensi est quædam mulier sancta & pudorata, quæ marito favente jam plurimis annis in castitatis proposito perseverat. Huic autem de Sacramento altaris Dominus magnalia revelare dignatur, quæ paucissimi hominum videre merentur. Cum enim in Ecclesia celebrarentur sacrosancta Mysteria, solita est videre sæpillimè Domium Jesum Christum supra sanctum Calicem in aère stantem, in effigie parvuli super Solis radium coruscantis, ita ut oculi ejus à fulgore luminis reverberarentur. Horâ verò perceptionis ille sacer Infantulus in os Sacerdotis cum ipsa communionem ingreditur; & nihilominus ad eandem benedictam fæminam veniens, visibiliter ac sensibiliter ori ejus illabatur, ita ut fauces ejus ac viscera ineffabili suavitate & gaudio repleantur. Tres verò tantummodò sunt in eadem civitate Presbyteri, super quos istiusmodi gratiam descendere conspicit. Sacrificante verò aliquando quodam inhonestæ vitæ Presbytero, vidit mulier eundem puerum Jesum apparentem obscurum, & per totum corpus quasi cruore aspersum: qui etiam ad Sacerdotem accedere, atque in os illius intrare dedignabatur. Quod cum illa videret, cepit uberrimè flere; intelligens

1 *Herber. de Miraculis lib. 1. cap. 20.*

clxxxviii *Præfatio ad Lectorem*

ligens nimirum & plangens hominem lethali vulnere interiùs esse confossum, pro quo exteriùs apparebat ita terribile signum.

IX. *Anno 1222. (m) Casarius prodit memoria magnum miraculum sub hujusmodi verbis: Retulit nobis Dominus Bernardus de Lippia, Abbas Livoniæ Ordinis Cisterciensis, nunc Episcopus ibidem, rem satis gloriosam. Cùm quidam conversus, qui nuper fidem Catholicam susceperat, Monachos communicare vidisset, & sibi hoc minimè licere cognovisset, stans contra Altare communicandi desiderio suspiravit: & ecce pius Dominus (sine Sacerdotis ministerio) de Altari per Sacramentum descendere dignatus est in os ejus. Qui mox hostiam aperto ore ostendens, & causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos qui aderant, in stuporem convertit: eandem enim Hostiam defuisse reppererunt in Altari. Hæc Casarius.*

X. *Eodem anno Chronicon Villariense (n) refert simile miraculum, in hunc modum: Cùm Venerabilis Pater Guillelmus Abbas Villariensis quadam die Missam celebraturus esset, minister ejus Monachus juvenis bonæ indolis, ac bonis exercitiis totaliter deditus, petiit à sancto Patre sacram Dominici Corporis communionem sibi dari. Vir autem Dei paternarum Institutionum æmulator strenuus, petenti filio*

m Casarius Heisterbacen. in suis Dialog. lib. 9. cap. 37. relatus à Manriq. in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 4. num. 10. n Chronicon Monasterii Villarien. Ord. Cist. apud Henriq. in Fasc. 55. Or. 3. Cist. lib. 1. dist. 29. cap. 5. & apud Manriq. in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 5. num. 7.

Philosophiæ Christianæ. clxxxix

filio sic benignissimè respondit: *Fili charissime, die Dominica communicasti secundùm Ordinis consuetudinem: ideo non est necessarium tuæ pronunc satisfacere devotioni, cum videatur Ordinis Institutionibus contraria. Imò credo, te salubrius abstinere debere, quàm Patrum Statuta præterire: sed crede, & manduca saltem spiritualiter, licèt non sacramentaliter.* Ad hæc verba pii Patris, filius devotus subituit, Deo (cui cordis abscondita manifesta sunt) suam devotionem commendans, non remurmurans, non recalcitrans, non impatiens repulsæ, sed sese humiliter custodiens infra limites veræ & perfectæ obedientiæ. Processit igitur Pater Venerabilis tantò devotiùs & sanctiùs, quantò illud Mysterium præ cæteris sublimius & divinius est. Attendebat ad Sacra perficienda, & ecce mirum, & verè mirum! Postquam ad communionem est deventum, Corpor e Christi in tribus partibus fractio, una Sanguine intingitur, altera sumitur, sed tertiam reperire non potuit: nam ab oculis Patris sancti disparuit, & in os ministri sui humilis & devoti jacentis in oratione, & puris medullis cordis deificam participationem desiderantis advolavit. Mira res, & nostris temporibus inaudita! Cui Pater sanctæ Religionis æmulator Corpus Dominicum tradere noluit, huic Deus per seipsum, ne suo frustraretur desiderio, se mirabiliter donavit. *Hactenus de miraculis Sacramenti Eucharistiæ dicta sufficiant.*

2. XV.

1. *De modo visitandi quotidie SS. Sacramentum.* 2. *De Communionem spirituali.* 3. *De pia exercitatione pro his qui Missæ interfunt.* 4. *De de excellentia sacrificii Missæ.*

I. **N**ullum efficacius est instrumentum (a) ad perfectionem & unionem cum Deo, quàm crebra per diem Salvatoris nostri Jesu Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento latentis visitatio. Praxis autem hujus nobilissimi exercitii his ferè monitis continetur. *Primò.* Eundo ad Templum, considera & remirare incomprehensibilem Dei amorem erga te. Non enim satis illi fuit sub speciebus Sacramentalibus suum tibi Corpus & Sanguinem, ipsamquè Divinitatem tam mirabili dignatione largiri: sed jugiter etiam in Ecclesiis asservari voluit, ut in omni necessitate certissimum subsidium, in omni tribulatione tutissimum refugium, in omni rerum eventu præsentissimum consilium in proptu haberes, ejusquè præsentia, quantum viatori licet, perfrueris. Cùm novis igitur divinæ gratiæ auxiliis semper indigeas

a Card. Beni. Ord. Cisterciens. in suo Horologio Ascet. cap. 5. §. 2.
num. 24

indigeas ad evitanda peccata, superandas tentationes, & virtutes exercendas; quid optatius tibi contingere potuit, quàm apertum accessum ad eum jugiter habere, qui solus potest te adjuvare, erudire, & consolari? Si Rex, vel Princeps magnæ potentiaë è Regia sua civitate ad exiguum oppidulum accederet, ut tibi vilissimo homini beneficeret; nonne ipsi continuò assisteres summa cum reverentia, amore, & gratitudine? Nunc autem Rex regum, & Dominus dominantium ab excelso cælorum habitaculo descendens, velatis radiis Majestatis suæ, in exigua pixide latere voluit ob inenarrabilem erga te amoris excessum: quàm detestabile ingrati animi vitium foret, non eum inflammatis amoris & reverentiæ affectibus, aliquoties saltem in die visitare, & tam insignem benignitatem contemnere! Quis amicus non libenter cum amico versatur? Quis filius in suis necessitatibus non confugit ad patrem cum summa alacritate & fiducia? Quæ sponsa non frequentissimè cum sponso moratur? Hic autem & Amicus, & Pater, & Sponsus est animæ tuæ, fons gratiarum, & omnium bonorum thesaurus inexhaustus. Accede ad eum, & vide & gusta quàm suavis est, & delectabitur in crafitudine anima tua, dabitq; tibi petitiones cordis tui. Quære, (b) pete, pulsa: quia omnis qui quærit invenit, & qui petit accipit, & pulsanti aperietur. Clama & dic: *Amice commoda mihi tres paves, veritatis scilicet, charitatis, fortitudinis.* Deficit quippè ratio mea præ ignorantia veritatis, languet & voluntas

tas praë inedia affectionis, infirmatur caro praë inopia fortitudinis. Commoda ergo mihi amice tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam: sic enim vivitur, & in talibus vita spiritus mei. Est etiam *Pater futuri seculi*: (c) ut per eum scilicet in immortalitatem resurgamus, qui per praesentis saeculi patrem generamur ad mortem. Gratulare quoque, (d) gaude incomparabiliter, quia praesidentem & rectorem & sponsum habes in praesentis exilii militia. Pignus habes, arram tenes, quibus feliciter uniaris in patria. In terra sponsum habes in Sacramento, in caelis habiturus es sine velamento. Et hinc, & ibi est veritas: sed hinc palliata, ibi manifesta. Hinc utique sponsum babes suo ordine, nondum puritatis majestate, vel aeternitatis securitate. Hinc revera quasi dulce praeludium est, & jucunda desponsatio: ibi nuptiale convivium, & beata fiet conjunctio; cum de fide ad speciem, de calore panum ad aeternalis convivii calorem transibimus. *Secundo*, (e) His & aliis hujusmodi considerationibus incitatus, ingredi in domum Dei usque ad locum Tabernaculi admirabilis; & confusione tui plenus, Christi praesentiam viva fide apprehende, ipsumque adora in spiritu humilitatis, & animo contrito. Ipse enim optime novit quid sit in te, & quia nihil es; & ided hoc recognosce & fatere coram eo. Ipse scit omnia beneficia tibi collata, pro quibus gratias age. Ipse videt omnia peccata tua, & malas inclinationes,

quas

^c *Idem Serm. 2. in Circumcis. Dom. num. 5. d. Idem Serm. de SS. Sacram. num. 7. tom. 6. pag. 735. e Card. Bona in Horolog. Ascet. sup. 5. S. 2. num. 2.*

quas recense in conspectu ejus, & veniam pete. Puta te Christum audire exprobrantem tibi ingratitude-
nem, & duriam cordis, tequè dignum omni malo
pronunciantem in hac & in futura vita. Approba
hoc judicium Christi, & tanquam executor ejus sen-
tentiaë, priva te omni bono; & paratum offer cor ad
omnem infamiam, ignominiam, tribulationem,
ægritudinem, pænalitatem, derelictionem, & mor-
tem subeundam. Denique excita desiderium Deo
serventiùs serviendi: propone emendationem, &
gratiam pete ad tui cordis innovationem necessa-
riam: atque ita te compone, ut illi placeas. Ma-
gnifica nomen ejus, (f) dicens: Adoro te Christe,
Rex Israël pariter & gentium, Princeps regum, terræ
Dominus, Deus sabaoth, Virtus omnipotentis Dei
fortissima. Adoro te, pretiosum precium redem-
ptionis nostræ, Hostiam pacificam, qui sola odoris
tui suavitate inæstimabili Patrem, qui in altis habitat,
ad respiciendum humilia inclinasti, & filiis iræ pla-
cibilem reddidisti. *Tertio.* (g) Ad evitandum tæ-
dium, quod in ejusdem exercitiij frequenti repetitio-
ne subrepere solet, varia tibi motiva propones, pro-
pter quæ Venerabile Sacramentum quotidie visita-
bis; quæ mutare subindè poteris, nunc unum, nunc
alterum assumendo. Fines autem, seu motiva hæc
sunt. I. Ut ipsum adores, glorifices, admireris. II. Ut
offeras ei teipsum, & omnia. III. Ut ei gratias agas.
IV. Ut indigentias tuas eidem exprimas, & reme-
dia

F. S. Bern. *Serm. de Pasch. Dox. num. 2. & Car. 3. Boni in Horolog.
Ascen. cap. 5. §. 2. num. 3.*

cxciv *Prefatio ad Lectorem*

dia postules. V. Ut fruaris ejus præsentia, tequè cum ipso unias & communices spiritualiter. *Quartò.* (h) Accede ad ipsum eodem spiritu & aviditate, qua pauper ad divitem liberalem, esuriens ad convivium, sitibundus ad fontem, discipulus ad magistrum, filius ad patrem, æger ad medicum accedit: sit devotus affectus tuus, & fervens. Cùmquè corporaliter ad Ecclesiam ire nequis justa de causa præpeditus, imitare Danielelem, & tres pueros: tequè ad Templum converte, & preces tuas eò dirige, ac si præfens adesses, & vacuus non redibis. *Quintò.* (i) Cùm aridus es, & mentaliter orare non potes, Psalmum *Credidi propter quod locutus sum*, vel Hymnum *Pange lingua gloriosi*, aut Canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*, recita. Poteris etiam alicujus, vel pluriù virtutum actus exercere. Poteris quoque Orationem Dominicam recitare. Nam Paulus Papa V. in sua Constitutione, (k) omnibus Religiosis cujusvis Ordinis intra Claustra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die dixerint, quinque annos & totidem quadragenas concedit. Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra Claustra degentes, quinquies eandem Orationem Dominicam, & totidem salutationem Angelicam ante Altare quodlibet similiter dixerint, etiam quinque annos & totidem quadragenas concedit, & elargitur.

2. San-

h. *Idem ibid.* num. 4. i. *Idem ibid.* nu. 5. k. *Paul. Papa V. Const.* 21. §. 12. & 13. edita anno 1606. in *Bullio Romæ* tom. 3. p. 2. 149.

2. Sancti Patres (1) usum Communionis spiritualis commendârunt, ut cùm quis perciperé Corpus Christi sacramentaliter non potest, saltem illud spiritualiter percipiat, voto nimirùm ac desiderio, & fide viva, quæ per dilectionem operatur. De qua communionem dicit Augustinus: *Crede, & manducasti.* Hæc autem Communio fieri potest, & cùm quis Missæ interest, & extra Missam, atque Ecclesiam: potestquè repeti multoties in die. Cùm Missam audis, sic procedes. Post Orationem Dominicam convertes animum tuum hac intentione ad Dominum, tuamquè fragilitatem & defectus, Deiquè majestatem in sacra Eucharistia præsentis meditaberis. Deinde *Agnus Dei* ter repetes cum Sacerdote, dolorem de peccatis tuis corde contrito excitabis; & pacem cum Deo, cum proximo, & cum teipso postulabis. Similiter iterans cum celebrante, *Domine non sum dignus*, affectu quàm potes humilitatis intentissimo, te tanta dignatione amabilissimi Salvatoris ad te venire parati indignissimum reputabis, ob peccatorum tuorum multitudinem & gravitatem: ob ingratitude tuæ pro tot beneficiis enormitatem: ob corporis & animæ fæditatem, & abyssalem tui nihili vilitatem. Tum Jesu Christi infinita bonitate fretus, eum invitabis ad mundandum, ornandum, & in æternum possidendum cor tuum ardentissimis suspiriis. Mox affectus fidei, amoris, & aliarum virtutum exercebis, ac si sacramentaliter communicasses: & pro spirituali refectione gratias ages. Si verò

n

extra

1 *Card. Bonæ in suo Horolog. Ascet. cap. 5. §. 25.*

CXCVI *Præfatio ad Lectorem*

extra tempus & locum Sacrificii spiritualiter communicare desideras, priorem Communionem sacramentalem in memoriam revocabis, & animo te conjunges Sacerdotibus offerentibus, ac ferventi desiderio dices: *Domine Deus meus, quando te denuò in animam meam recipiam? Veni Deus meus etiam nunc in me spiritualiter, & refice me. Cupio esse particeps omnium Sacrificiorum, quæ ubique in Ecclesia Catholica tibi offeruntur. Veni dilecte mi in animam meam, purga eam stillicidio tui pretiosi Sanguinis, riga fluentis gratiæ, facunda rore misericordiæ: ut fructus proferat dulces gutturi tuo. Veni spes mea, posside regnum cordis mei, conforma illud cordi tuo: ut idem tecum velit & nolit, nunc & in æternum.* Spirituali utique modo (m)hominū Conditor sanctis animabus id largiri solet. Non semel quippè legitur Christus cor suum univisse cordi S. Mechtildis. Cùm enim hæc Sancta à Communionem regressa Deo gratias egisset, multùmquè cum illo collocuta fuisset; visum ei fuit Christum Dominum cor ejus assumere, effundere, liquefacere, & in divinum cor suum illud exprimere, ita ut duo illa corda in unum coalescerent. Illiquè dixit: *Dilecta mea, id unicè volui & desideravi, ut per flagrantia desideria hominum corda ita mihi unirentur, ut ipsi nihil expectant voto proprio, sed omnia sua desideria secundùm cor meum disponant: non secus ac duo venti simul spirantes, non nisi unicum & eundem aërem impellunt.* Sancta Lutgardis Ordinis nostri,

m Hæftenus in Schola Cordis lib. 3. lect. 18. ex lib. 1. Grat. Spiritu. cap. 1. & 42. & lib. 2. cap. 14. & ex lib. 3. cap. 27.

nostri, (n) non contenta dono cælitus sibi dato tam ad curandum infirmos, quàm ad perspicacius intellegendum Psalterium, dixit Domino: *Quorsum verò attinet me idiotam Monialem Scripturæ arcana nosse?* At illi Dominus: *Quid vis igitur?* Et illa: *Volo, inquit, cor tuum.* Et Dominus ait: *Quin ego potius, & cor tuum.* Respondit illa: *Sit ita Domine, at sic tamen, ut cordis tui amorem cordi meo attemperes, & in te cor meum possideam omni tempore, tua protectione securum.* Facta est igitur ab ea die quedam permutatio cordium, vel potiùs unio spiritus creati & increati per gratiæ excellentiam. Deinceps enim ita Christus cordi Virginis inhæsit, eam communiens & protegens, ut neque tentatio carnis, imò ne turpis cogitatio quidem mentem ejus vel temporis puncto infestârit. *Hactenus Th. Cantipratanus, qui Virginem sanctam intimè novit, ita ut vix homo homini adeò familiaris inveniri posse videatur.* Rem itaque Mysterii (o) omni tempore, & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, id est, debiti pietatis affectu, & sanctæ imitationis effectu agere, tractare, & sumere in salutem cunctis fidelibus in promptu est. Nam res Sacramenti etiam præter Sacramentum, vita æterna est accipienti. Spiritualitertantum sumit quisque fidelis, (p) qui est de membris Ecclesiæ, perseverans in charitate: quia licet Sacramentum ore non contingat, virtutem tamen Sacramenti,

n 2

id

n Th. Cantipratanus in *Vita S. Lucear. lib. 1. cap. 16. relatus*
è *Manriq. in Annal. Cisl. tom. 4. ad ann. 1215. c. 7. num. 1. & 2.*
o *S. Bern. Ser. 2. in Cena Dom. num. 9. p. Idem tract. de 2. princ.*
cip. myst. part. 2. cap. 12.

cxcviii *Præfatio ad Lectorem*

id est, remissionem peccatorum, & spiritualis gratiæ infusionem comparat sibi per fidem & unionem Ecclesiæ. De hac sumptione quæ est spiritualis, ipse Dominus loquitur: *Caro nihil prodest, spiritus autem est qui vivificat.* Ac si diceret: Spiritualis sumptio absque carnali te vivificat. Quoties ergo (q) in commemorationem ejus qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, toties Corpus ejus māducas, & Sanguinem ejus bibis. Et quamdiù in eo manes per amorem, ipse veid in te per justitiæ & sanctitatis operationem; in ejus Corpore, & in membris ejus computaberis. Hinc est (r) quod ait Dominus in Evangelio: *Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in eo.* Ac si diceret: Ille in me manet, qui bonis operibus voluntatē meā adimplet. Alioquin nisi priùs maneat in me per fidem & bonam operationem, & ego in eo, Carnem meam manducare non potest, nec Sanguinem bibere.

3. Cùm sacrificium Missæ (s) sit viva & vera vitæ & passionis & mortis Christi repræsentatio, quotidie illi interesse oportet. Et si datur occasio eidem ministrandi, nullo modo negligenda est: nam cæteris paribus majus est ministrantis meritum, quàm simpliciter assistentis. In hoc autem ministerio (t) triplex est fructus. *Primò*, boni operis exercitium est. *Secundò*, opus est charitatis: quia proximum provocat ad bonum. *Tertiò*, opus est devotionis: quando enim adstas ante mensam Summi Regis,

q Idem Ser. 2. in *Cana Dom.* num. 3. r Idem lib. de modo bene vivendi. cap. 28. num. 85. s Card. Bona in *Horol. Ascet.* cap. 5. §. 26. t S. Bern. in *Opusc. Ad quid venisti* cap. 11.

Regis, tunc cum eo loqueris in oratione & in ministerio cum Angelis, quibus & familiarior eris ex ministerio. Ex hoc Sacerdos specialiter, & omnes circumstantes generaliter pro te orare debent, imò tota Ecclesia ubique in orbe terrarum: ed quòd vices omnium geras, qui Domino suo de cælo cum devotissima gratiarum actione vehementer ministrare deberent, si possent adesse. Et vix potest esse, quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsentia, qui devotè & libenter ministrat ad Sacrificium illud tam salutare, quo nihil melius, neque sanctius potest esse in cælo & in terra. Divus Thomas jam Sacerdos & Doctor (u) post quotidianam celebrationem aliud Sacrum audiebat, cui etiam ut plurimum ministrabat. Qui Missam cum potest non audit, is Deo ingratus, suæ salutis immemor, & ad officia pietatis nimium languidus esse convincitur: in ea enim meritorum Christi inæstimabilis thesaurus cuius Christiano proponitur, & sacrosancta redemptionis nostræ Mysteria renovantur. Si virtutes & merita omnium Sanctorum, si omnium Martyrum tormenta, si cuncta obsequia Deo præstita, præterita, præsentia & futura simul jungantur; non tam perfectam laudem & honorem Dei complecterentur, quàm unica continet Missa à quocunque Sacerdote celebrata. Atque hinc colligere potes quàm turpe sit & deplorandum, tanti Sacrificii dignitatem & utilitatem aut non æstimare ut par est, aut ignorare. Et revera hoc tremendum

co *Præfatio ad Lectorem*

dum Myſterium ignorare aut ſpernere videntur illi, qui corpore præſentes in templo, mente & oculis vagantur, fabulas & nugas miſcent, eiqnè adſtant tanquam comediæ ſpectatores. Hi ſunt, qui in loco miſericordiæ divinam contra ſe juſtitiam provocant: & nova committunt peccata, ubi vetera expiare debebant. Sed his omiſſis, modus piè audiendi Sacrum tradendus eſt. *Er primò* quidem eundo ad Eccleſiam, magnum in te excita pietatis ſenſum cum ſpirituale quadam alacritate, quæ oriatur ex conſideratione præſtantiffimi Operis ad quod accedis. Opus enim eſt divinum, Deo gratiſſimum, & maximè utile ad propitiationem pro peccatis, ad exercendos actus præcipuarum virtutum, ad obtinendam mentis puritatem, & unionem cum Deo; ad exhibendum Sanctiſſimæ Trinitati cultum, honorem, gratiarum actionem modo excellentiſſimo; ad impetrandum tibi, & proximo quidquid ad vitam temporalem & æternam neceſſarium eſt. *Secundo*, In ingreſſu Eccleſiæ aquâ benediçtâ te aſperge elicitò actu fidei, & contritionis. Tum locum elige, quantum fieri poteſt, remotum à turba & ab occasione diſtractionum. Deum præſentem in propria domo Majæſtatis ſuæ adora, qua majori potes reverentia. Aperi mentis oculos, & vide Angelorum multitudinem circumvolantem, & Sacerdoti aſſiſtentem cum ingenti tremore & honore. Hos imitare, flexiſquè genibus, internos externosquè ſenſus ita compone, ut quidquid eſt in Eccleſia, fiat tibi inviſibile, nec aliquam ſenſibus impreſſionem faciat.

faciat. *Æternus Sol* iustitiæ, qui ibi adest; mentem tuam absorbeat, & sensus perstringat tanto claritatis excessu, ut nihil aliud videre, cogitare aut percipere possis. *Tertiò*, Sic compositus, Sacerdotem expecta: & dum ille se præparat, dum sacris se vestibus induit, excita in te fervorem devotionis, contritionem, & amorem: pete gratiam à Deo, & ora, ut Missæ sacrificio assistere possis ea devotione & attentione & reverentia, quam exigit divinæ Majestatis præsentia, tot Angelorum assistentium frequentia, tot mysteriorum quæ hîc geruntur, magnificentia. Splendet æquè (x) cùm est in Altari, ut in sublimitate cæli: non minùs radiat cùm est in manibus Sacerdotis, quàm in sinu Dei Patris. Neque autem credere debemus, (y) quòd soli Sacerdoti virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet Corpus Christi. Non solus sacrificat & consecrat, sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat & sacrificat. Nec solus ligni faber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut & Sacerdòs, fidem firmam, orationem puram, devotionem piam. Sciendumque est, quòd sine firma fide nemo astantium esse debeat.

4. Cùm sacrificium Missæ (z) sit primarium religionis munus, planè decebat ut Christiana religio (quâ nulla perfectior & sublimior esse potest)

x *S. Bern. tract. de 3. princip. myst. cap. 7. num. 23.* y *Guerricus. Abb. Igniac. Ord. Cist. ser. 5. de Purificat. B. M. V. num. 16. inter Opera S. Bern. tom. 6. pag. 1145.* z *Card. Bona Tratt. de Sacrif. Missæ cap. 2. §. 2.*

ccii *Præfatio ad Lectorem*

nobilissimum haberet Sacrificium: cujus excellen-
tia ex multis capitibus colligi potest. *Primo quidem*
ex eo quod in illo offertur, qui est Christus Dominus,
verus Deus & verus homo. Et quia nihil excelsius
illo est: ideo ratione ipsius actio ipsa sacrificandi
omnes humanas actiones excedit, etiam actus San-
ctorum in cælis Deum laudantium. Cavendum
est ergo, ne vestrâ irreverentiâ & indevotione tam
magnæ rei oblationem dehonestetis. Et si DEUS
olim sacerdotibus præcepit, *Mundamini qui fertis*
vasa Domini: quantò majori puritate vos enitere de-
betis, qui purissimum Christi Corpus & pretiosissi-
mum Sanguinem Deo offertis? Attendite (a) quantum
Deus vester vos extulit, quantum præ omnibus
creaturis vos sublimavit. Oratio vestra munda sit:
quia datur locus voci vestræ in cælo, cùm ritè assi-
stitis sacris Altaribus, cùm sanctissimum Myste-
rium cælestis sacrificii celebratis. *Secundo, ex per-*
sona cui offertur, (b) qui est solus Deus. Nulli
enim Sanctorum, nec ipsi Beatæ Virgini Mariæ
offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura con-
venit soli Deo: quia per Sacrificium testificamur
Deum esse primum principium & ultimum finem
nostrum, & supremum Dominum omnium rerum,
cui in signum nostræ subjectionis aliquod sensibile
offerimus, ad significandum per rem sensibilem ob-
latam Sacrificium internum, quò anima se offert
Deo sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ
beati-

a S. Bern. *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. num. 24.* b Card. Bona
Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 2.

beatificationis. Hoc autem nec ipse Deus per absolutam suam potentiam efficere potest, ut alicui creaturæ conveniat. *Tertio, ex ipsa consecratione,* quapanis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi transsubstantiantur, manentibus accidentibus sine Subjecto. Est autem hæc actio omnino supernaturalis, quæ nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata, tanquam à causa principali: quia solus Deus efficit transsubstantiationem. *Quarto, ex valore ipsius Sacrificii,* qui est infinitus sicut merita & passio Christi: ac proinde æquè placet Deo, ac mors ejus in Cruce, licet effectus finitus sit. Multum quidem acceptum fuit munus Abel, (c) sed non ita. Multum placuit sacrificium Abrahæ Patriarchæ, sed non adeò. Multum approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multò minùs isto. Omnia in figura contingebant antiquis, hæc veritas. Verus est enim Filius Dei, quem Sacerdos immolat, quem manibus atreëtat, quem ore sumit, quem in corpus suum transmittit. Hæc est Hostia placabilis, (d) Deo placens hostia, Hostia viva. *Quinto, ex fine, (e)* propter quem cæteris omnibus abolitis institutū fuit. 1. ut nimirum per ipsum Deo Creatori nostro cultum patriæ tribuamus, nostramquè servitutem & subjectionem humillimè testificemur. 2. ut dignas ei gratias perpetuò agamus pro universis beneficiis
ejus

c S. Bern. Tract. de 3. princip. myst. cap. 8. num. 25. d Idem ser. 3. in Perisecat. B. V. Mariæ uti. ; c Card. Bona Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 2.

CCIV *Præfatio ad Lectorem*

ejus . 3. ad auxilia divinæ gratiæ, ejusquæ protectionis, excitationis & directionis impetranda . 4. ad obtinendam peccatorum veniã . 5. ad iram Dei placandam, & imminencia flagella avertenda . 6. ad succurrendum omnium vivorum & defunctorum necessitatibus, quæ sunt penè infinitæ . Porro ex his clarissimè constat, nullam posse majorem aut præstabiliorem actionem in hac vita à mortalibus exerceri, quàm offerre Deo hoc sacrificium Missæ . Ideò nullus seu Rex, seu Pontifex esset, qui Sacerdotem celebrantem quacunquæ ex causa accersere, cæptumquæ Sacrificium interrumpere auderet . *Siquidem nec ipsa avicula domestica præsumpsit aliquo modo interturbare hujusmodi Sacrificium .* Quadam enim die (f) dum ad Ecclesiam, in qua Summum Sacrum celebrabatur, veniret Beata Ida Virgo de Lovanio, in exteriori atrio manere decrevit, ut ad devotiùs, quò remotiùs à populi sequestrata tumultu, divinum Mysterium posset mentis intentione considerare . Uudè cùm sola (cæteris in Ecclesiæ gremio congregatis) sederet, & solitudinis tædio molestata, quo potiretur, aliqualis creaturæ solatium affectaret; quosdam utriusque sexus aviculas, gallos videlicet & gallinas in victus sui quærendi postibus occupatas intuens, ad illas se convertit, & dixit : *Omnes vos gallinæ generis aves, in contiguis hujus atrii terminis habitantes, per Divina poten-*

See Libello cap. 18. de quinque Cisterciensibus Virginibus edito à Chrysof. Henricque Antuerpiæ anno 1630. ex Volumine Agiologii Sanctorum Brabantie apud Martine in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1226. cap. 7. num. 4.

Philosophia Christianæ. CCV

*potentia bonitatem adjuro, quatenus omissis interim
possibus vestris ad Ecclesiam conuoletis, & sacris Missa-
rum solemnibus ad honorem nostri Redemptoris mecum
nunc pariter interfistis. Res mira, nostrisque tem-
poribus quanto magis inusitata, tanto dignius in-
ter antiqua Sanctorum miracula recitanda! Vix
enim sancta Dei famula verbum ore protulerat,
cùm ecce præfati generis aves ex diversis locis undi-
que concurrentes, ad illam convolare cæperunt,
eamquè tanquam matrem propriam circumdantes,
& quasi quibusdam exterioribus signis separatæ ad
ejus obsequium acclamantes, erectis sursùm cri-
statis capitibus, ad eam indesinenter oculorum suo-
rum aciem direxerunt. Stabant igitur omnes juxta
eam veluti immobiles, in illam jugiter intuentes,
ac ejus animum non mediocriter hoc suo spectaculo
delectantes, donec Evangelica lectione jam in Ec-
clesia recitata, licentiam ab ea reciperent; & sic
inclinatis capitibus quasi valedicentes ei, rursùm
unde convenerant, ad loca sua revolarent. Hac ex
Actis vita Beata Idæ Virginis sufficiant. Cùm autem
sacrificio Missæ frequenter interesse, & Eucharisticis
epulis refici, sit longè augustissimus modus, eoquè consi-
lio à Christo institutus, qui sic ait: Hoc facite in meam
commemorationem. Idem Carolus Quintus Cæsar,
[g] quantacunque negotiorum mole & belli occa-
sione premeretur, tamen quotidiano intererat Sa-
cro: semelquè duntaxat in omni vita sua animad-
versus est omisisse, cùm bello Africano implicitus
nulla*

nulla ratione quibat. Archidux *Carolus* [h] avus
 maternus Regis Catholici, divino Officio raris con-
 centibus exornando admodum addictus erat, & Sa-
 crum quotidie cum pia devotione audiebat, ac cæ-
 lesti pabulo se crebrè recreabat. *Maria* ejusdem
 conjux, materquè *Margaritæ Austriacæ*, præter duo
 in dies *Sacra* in quibus sedulè perseverabat, octi-
 duo quolibet divinis epulis animum pavit, jussit-
 què domesticos mensam quemlibet ab hac *sacra*
Mensa auspicari. *Margarita* *Philippi Catholici Regis*
 pientissima conjux, æmula parentum suorum, præter
 quotidiana *Sacra* sæpenumerò tria, & uberrimas
 lachrymas creberrimè fusas, octavo quoque die
 cælesti ferculo avidam mentem satiebat. Deo dile-
 cta *Anna* de *Villaroel*, (i) in Cænobio *Sanctæ An-
 næ Abulensis Sanctimonialis* in *Hispania*, singulis
 diebus vivifico Corporis Christi reficiebatur *Sacra-*
mento: quo devotissimè sumpto, in extasim sta-
 tim rapiebatur in spiritu. *Sancta Hedvigis Regina*
seu Ducissa Polonia, assumpto habitu *Ordinis Cister-*
ciensis in Monasterio Trebnicensi, (k) quotquot habere
 poterat *Sacerdotes* qui *Missas* dicerent, eorum om-
 nium *Sacrificiis* singulari quadam animi devotione
 interfuit, orans interim vel toto prostrata corpore,
 vel procumbens in genua, vel ulnis incumbens hu-
 mo: ubi tum præ devotione & animi humilitate terre
 pulverem crebrè osculabatur. Porro ad *Sacramen-*
 tum

h *Jacob. Gusman* in *vita Margar.* par. 1. cap. 2. & 6. & par. 2. cap. 6.
 i *Michael Vaquerus* in *Vita B. Mariæ Vela* par. 1. cap. 47. apud
Henriquez in *Monolog. Cist.* ad diem 26. Septemb. k *Sivius* de vi-
 ta *S. Hedvigis* tom. 5. ad diem 15. Octob. cap. 5.

tum Corporis Dominici percipiendum accessura, tanto lachrymarum imbre faciem suam perfundebat, tantoquè studio precandi, genua flectendi, & corpus prostrernendi tum specialiter occupabatur, ut fervor devotionis ejus non immeritò intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. *Hæc refert Surius in vita Sanctæ Hedvigis.*

2. XVI.

I. *De perennibus monumentis, in quibus Deus ipse memoriam Passionis suæ expressam commendat nobis ad contemplandum.* 2. *De universis dolorum Christi mysteriis, quæ typis ex veteri lege correspondent.* 3. *De numero gressuum Christi, quibus in itinere eadem mysteria explevit tempore passionis suæ.*

I. **P**rimò exprimitur in vario lapide perennis memoria Passionis Christi. Videre est perlegans Caput Salvatoris (a) ex casta Jaspide Orientali, quod sub spineo diademate, unòquè oculorum cruen-

a Petrus de l' Ancre *Consil. Reg. Fran. lib. 5. Inconst. avui Anonymum è Soc. Jesu Auctorem liberculi intitulati, Fautus Ann. Christiani hominis, impressi Rothomagi anni 1645.*

cruentis guttis hinc & inde respergitur ; idquè nativâ marmoris indole, & Jaspidinis venis, ita ad miraculum conspirantibus. Insuper pallor ipse opaco viridi interspersus, mortis speciem pingit in vultu, & rubentes minutiores venulæ instar stillarum sanguinis in genis sudant. *Haëtenus Petrus oculatus testis.* In monte Oliveti, (b) ubi Christus humi fusus sanguine manavit, etiamnum conspiciuntur lapidi impressa manuum ejus & genuum pedumquè vestigia. Porro non procul inde lapis ostenditur, in quo extremi digiti manuum ac pedum ejusdem, item & genua marmoris insculpta cernuntur: quo in loco illum à militibus irruentibus captum esse volunt, humiquè prostratum. Cæterùm illud est mirum, quodd ex eodem lapide nihil, ne ferro quidem possit abradi. *Haëtenus Borchardus.* Huc pariter spectat, (c) pedum signa certiq; funis in ponte, ubi in torrentem Cedron præceps tractus est, clarè notata remansisse. *Haëtenus Aranda.* In marinos scopulos (d) cum Domina matrè fortè oberrans B. Gonzaga, rarum lapillum offendit, notis quibusdam expressis distinctum, quæ sacratissimas Christi plagas perspicuè referebant: eumquè velut Christi dolorum ac vulnerum indicem, ac monitorem multa in veneratione habuit. *Haëtenus Ceparius.*

Secundo exprimitur in cruentis sindonibus perennis memoria Passionis Christi. Veronice matrona (e) tam

b Borchardus in *descript. Terræ Sanctæ* par. 1. cap. 7. c Aranda in *descript. Terræ Sanctæ*. d Virgil. Ceparius in *vita B. Gonzagæ* lib. 1. cap. 5.

(e) tam spectatæ virtutis quàm generis (passim Veronicam vocant) lineum capitis pepulum, sub Cruce arhelanti Christo supplex obtulit: cui is totius oris & vultus cruentam imaginem illicò impressit, in benevolentia pignus æternum. Idem ipsum hodiequè Romæ in Basilica Sancti Petri cum honore magis asservatur, ac palàm stas diebus ostenditur. Quinimò digitorum vestigiis ab armata olim manu violenter impressis, signatum etiam modò spectari testatur Joannes Lanspertus in *Homil. 19. de Passion. Dom.* Christus non tantùm vivus, (f) sed & mortuus vivam sui ipsius effigiem inscripsit Sindoni illi, qua involutus fuit: ubi admirabili prorsus modo cum majoribus vulnerum cicatricibus, totiusquè laceri corporis exacta expressione, minutiores etiam plagæ cruentis characteribus exaratae ad oculum patent. Hæc olim Camberii apud Ducem Allobrogum in summo loco habita fuit, nunc apud Ducem Subaudia Turinorū in ejus ditione religiosissimè servatur ac colitur. Quam quidem Sindonem sacram Paulus Secundus, Sixtus Quartus, Julius Secundus, Clemens Septimus Summi Pontifices Romani, publico nomine approbatam, vario honore cumulârunt. *Hactenus Palæotus.*

Tertio exprimitur in vario frutice perennis memoria Passionis Christi. Juxta Urbem Jerosolymitanam, (g) olim flos elegans stetit, quem Religiosi Ordinis S. Francisci dum fortè decerperent; ecce ad-

natum

c Adricom. 2. par. descript. Jerusol. nu. 44. f Palæot. Archiepisc. Bonon. in admirab. Hist. de Sigmæ. Dom. g Ede Monumensii Monasterii Deiniani in Belgio.

natum radici, & superexpansum divinitus Crucium bipalmarem, eumquè ceu manu statuarii factum attoniti reppererunt. Inde in Belgium Cæsbiumquè Deinsanum tertio lapide à civitate Gandensi distitum, ante annos circiter centum à peregrinis translatus est, pluribusquè miraculis clarum. Deinde verò ob temporis tumultuumquè injuria ductâ Gandavum coloniâ, eadem prodigiosa Radix apud ejusdem familiæ Deinsanas Moniales, eburneæ capsulæ atque argenteæ Cruci inclusa hucusque conservatur, ac colitur. Porrò etiamnum liquè conspicitur sanguineum vulnus ex alapa impressu dexteræ genæ, totius oris ejus omniumquè membrorum accuratum discrimen: quinimò cæsariæ barbamquè promissam sensim crescere, multosque potantes aquam, [cui hæc Radix immergi solet] æstu febrim liberari testantur monumenta Cæsbii prædicti. *Hactenus de Radice prodigiosa.* Gracillius flos Indicus (h) exerit quinque sanguinolentinq; orbem surgentes guttas: columnam inde, tres clavos, spineam coronam, omnia ad vivum expressit. Folium virens, & à lateribus emergens, lanceæ spinidæ similitudinem gerit. Claviculæ ut in vitæ funium formam referunt: fructus verò repræsentat imaginem cordis. Denique flos quantus est, vivum floridumquè Christi passionis emblema est. *Hactenus Rovillius.*

Quartò, perennis memoria passionis Dominicæ præimitur in admirandis stigmatibus plurium dominorum qui vixerunt.

h Rovil. in Hist. plant. peregr.

viverent. Christi quinque plagis, sed dispari modo, insigniti fuerunt: (i) Sanctus Franciscus Seraphicus, Sancta Catharina Senensis, Beata Lucia Ferariensis, Beata Gertrudis Van Oosten, & Lydvina Virgines Belgicæ. Gloriosa Catharina Senensis ea stigmata non quidem sanguine fluentia, (ut Divus Franciscus) sed radiis emicantia divinitus accepisse dicitur. At verò è Beatæ Lucie vulneribus omni feria sexta recens sanguis ebullit. Beatæ Gertrudis Beghinæ Delfensis plagæ septies per diem statutis illis horis, quibus Officium divinum solet persolveri, cruore roseo manabant: & hoc quidē evenit ab hebdomada sancta usque ad eam ut minimum diem, quæ Christo in cælos ascendenti solemnis ac sacra est. Deniq; Lydvina, cum cœlestem hunc favorem cunctos latere vellet, hiantia Christus vulnera desuper cute contexit, livore tamen & dolore perpetuo permanente. *Hæc ex Auctoribus infra citatis.* Huc attinet describere ex Cantipratano, (k) qui refert quandam Brabantinam Virginem pietate illustrem, perpetuâquè dolorum Christi commemoratione absorptam fuisse. In cujus latere per plures annos ingens vulnus apparuit, & de ipso vulnere ferè continenter sanguis emanans: ex hoc eodem nonnihil ad rei memoriam diu viderè fuit in vitreo vase servatum, colore immutato pariter & vigore. *Hactenus Cantipratanus.*

o

Quinto

i Blq. l. 15. c. 3. Tritem. in Chron. ad ann. 1500. Rosueid. in vita Sanctor. ad diem 6. Januar. Surius ad die. 14. Apr. tom. 2. cap. 8.
k Cantiprat. de Apibus lib. 1. cap. 25.

Quintò, perennis memoria passionis Dominica ex-
 primitur in exenterato post obitum corde, & pectore.
 Stupenda sunt ea, (l) quæ in Beatæ Claræ de Mon-
 tefalco exfecto corde patuerunt. In cordis ejus parte
 dextra, Christi in Cruce penduli imago magnitu-
 dine pollicis extensa, brachiis paululum sublatis
 colloquè declivi cernebatur: latus verò lividum a
 faucium multo cruore manabat. Item ex parte la-
 va sindon sanguineis guttulis videbatur aspersa: co-
 rona autem spinea ex nervis spinosis texebatur. Porro
 ex tribus nerviculis tres clavi cernebantur; ex ali-
 lancea tendebatur. Flagella verò ex quinque flex-
 nervis erant revincta, & nodulis pluribus aspersa
 quin & columna erecta, funiculisque circumdata. Non
 vum hoc spectaculum ut vidit Cardinalis Bellarm-
 nus, attonitus exclamavit: *Digitus Dei hic est. Hæc*
Isidorus Moschovius. Mirandum est quoque & illud
 (m) quod in pectore Venerabilis Volvandi Religio-
 Ordinis S. Dominici, Prioris Conventus Argent-
 nensis, deprehensum est post ejus obitum. In medi-
 ipso pectore, spissitudine decenti elevata Crux ob-
 perspicuè eminebat; cujus superiora tria late-
 æqualiter extendebantur, inferiori scitissimè longi-
 ori. Hoc insuper discrimine, quod extremi trium
 laterum anguli supernè instar repandi liliæ curvaren-
 tur, & pars ima quasi trunco alicui deberet infigi,
 acumen infernè desineret. *Hæc Cantipratanus.*

II. Ex

† *Isidor. Moscov. in vita B. Claræ. in Th. Cantiprat. de Apib.
 lib. 1. cap. ult.*

II. Ex imo cordis humani emergit vinea, (n) quæ hinc suis ovīs universa mysteria cruciatuū Christi, inde verò suis foliis typos veteres iisdē doloribus respondentes complectitur: in medio autem vineæ Christus veluti botrus torculari premitur. *Primo loco* sunt septem illa mysteria, quæ incipiunt ab horto Gethsemani usque ad prætorium Pilati.

Primum mysterium. Christus anhelus & anxius in horto prosternitur; Angelico inde recreatus alloquio, ad Calvariæ montem primum iter instituit. *Luca 22. Typus:* Elias ingenti absorptus tædio sub junipero jacet; Angeli hortatu in spem erectus, pergit ad montem Dei Horeb. *lib. 3. Reg. 19.*

Secundum mysterium. Christus à Juda salutatione benevola exceptus, traditur. *Matth. 26. Typus:* Dux Amasa à Joab osculo proditur. *lib. 2. Reg. 29.*

Tertium mysterium. Christus torrentem Cedron antè transgressus, trans eundem vincus rapitur. *Joan. 18. Typus:* David nudis pedibus & lachrymis madens, trans torrentem Cedron proditorem filium fugit. *lib. 2. Reg. 15.*

Quartum mysterium. Christo in domo Annæ alapâ impingitur. *Joan. 18. Typus:* Veridicus Michæas à Sedecia in faciem cæditur. *lib. 3. Reg. 22.*

Quintum mysterium. Christus in domo Caiphæ velatis oculis plurima tolerat. *Marc. 14. Typus:* Samsonem luminibus orbatum Philistæi variè laceferunt. *Judic. 16.*

cexiv *Præfatio ad Lectorem*

Sextum mysterium. Christum in curia Pilati validè Principes Sacerdotum accusant. *Luc. 23. Typus*: Principes Regis Darii in fontem Danielem tam diu arguunt, donec tradatur in mortem. *Dan. 6.*

Septimum mysterium. Christus ut demens spernitur ab Herode. *Luc. 23. Typus*: David à Rege Achis eluditur ut insanus. *lib. 1. Reg. 21.*

Secundo loco sunt octo illa mysteria, quæ incipiunt à flagellatione Christi usque ad portam Judiciorum.

Primum mysterium. Christus à Pilato Præsidente dirè flagellatur. *Joan. 19. Typus*: Jeremias ab iratis Principibus immaniter cæditur. *Jerem. 37.* Flagris concisum Prophetam *S. Thomas, Lyranus, Rabanus, & Cornelius* asserunt.

Secundum mysterium. Christus spinis coronatur. *Marc. 15. Typus*: Abraham videt arietem spinis implexum, quem deinde immolat. *Gen. 22.*

Tertium mysterium. Christum Pilatus adducit Judæis foràs, & dicit eis: Ecce homo. *Joan. 19. Typus*: Ecce Job faucibus ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem. *Job. 2.*

Quartum mysterium. Christus cruce se onerat. *Joan. 19. Typus*: Isaac fert ligna quibus immolandus esset. *Gen. 22.*

Quintum mysterium. Christus, prout habet vetus traditio, sub Cruce prosternitur. *Typus*: Jacob sub scala cœli jacet. *Gen. 28.*

Sextum mysterium. Quemadmodum traditum est, flexibili Filio flexus Virgo Mater occurrit. *Typus*:

Onizæ

Oniæ Pontifici summis angustiis presso, lugentēs virgines obviæ fiunt. *lib. 2. Machab. 3.*

Septimum mysterium. Simon Cyrenæus cum Christo fert crucem. *Matth. 27.* *Typus:* Ethai Gethæus vult eandem crucem, & pericula cum profugo Rege subire, *lib. 2. Reg. 15.*

Octavum mysterium. Veronica excipit in sindone cruentam Christi imaginem. *Typus:* Jacob accipit sanguineam vestem, velut similitudinem cruenti Joseph. *Gen. 37.*

Tertio loco sunt septem illa mysteria, quæ incipiunt ab Urbis egressu usque ad sepulturam Christi.

Primum mysterium. Ex veteri traditione, iterum cruento casu Christus in terram ruit ad portam Judiciariam. *Typus:* Dux Amasa conspersus sanguine jacet in media via. *lib. 2. Reg. 20.*

Secundum mysterium. Filiz Jerusalem dolores Christi miserantur. *Luc. 23.* *Typus:* Filiz Israël Regem Josiam plangunt. *lib. 2. Paralip. 35.*

Tertium mysterium. Prout iam olim traditum est, Christus labitur postremò ad montem Calvariz. *Typus:* Onias summus Sacerdos luctu planè obrutus ante aram sternitur. *lib. 2. Machab. 3.*

Quartum mysterium. Christus nudus exponitur, illiquè offertur vinum cum felle mixtum. *Matth. 27.* *Typus:* Factus sum in derisum omni populo, replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. *Jeremias Thren. 3.*

Quintum mysterium. Christus validis humi clavis affigitur. *Marc. 15.* *Typus:* Dalila Samsonem clavo terræ affigit. *Judic. 16.* 0 3 Sex.

CCXVI *Præfatio ad Lectorem*

4 Sextum mysterium. Christus in Crucem tollitur.
Luc. 23. Typus: Serpens æneus erigitur à Moysè.
Num. 21.

Septimum mysterium. Christus in sepulchro con-
 dicitur. *Joan. 19. Typus: Jonas in ventre ceti tribus*
diebus & noctibus jacet. Jon. 2.

III. Duo sunt itinera continentia numerum
 gressuum, quibus prædicta mysteria Christus exple-
 vit. *Primum iter vulgò dicitur via Captivitatis, qua*
incipit ab horto Gethsemani usque ad prætorium Pi-
lati. Ab horto usq; ad locum ubi Christus capitur, (o)
 censentur gressus 40. Inde ad domum Annæ tra-
 hitur trans torrentem Cedron, itinere gressuum
 2360. Atq; hinc per 330. gressus ad Caipham abdu-
 citur. Inde quod 1000. gressibus aberat ad palati-
 um Pilati. Est hinc porro via 350. gressuum ad He-
 rodem. Denuò per 600. gressus, alio tractu ad tri-
 bunal Pontii Pilati reducitur.

Secundum iter passim appellatur via dolorosa, sive
Crucis: qua incipit à prætorio Pilati usque ad ipsam
Crucem. A domo Pilati [p] per 26. gressus ed duci-
 tur Christus, ubi Crux imponitur. Inde procedit
 per 80. gressus ad locum, ubi traditur cum Cruce
 cecidisse. Hinc surgenti & ad 60. gressus ac tres
 pedes progressu mæstissima Virgo Mater occurrit.
 Isthinc verò trahitur per 71. gressus ac sesqui pedem
 ad trivium, ubi Simon Cyrenæus crucem ferre cogi-
 tur. Ulteriùs porro post 191. gressus & semipedem,
 occur-

• *Adrianus in descript. Jerusalem num. 207. p Idem ibid. 1. 118.*

occurrit Veronicæ. Tum tendit per viam 336. gressuum & duorum pedum ad portam Judicariam, ubi rursus cum Cruce prolabitur. Prosequitur hinc iter per 348. gressus duosquæ pedes, alloquiturquæ in bivio plorantes filias Jerusalem. Ab his deinde pergit per 161. gressus & sesqui pedem ad radicem montis, ubi & postremò cadit. Protruditur isthinc per 18. gressus ad locum, ubi vestis extrahitur, vinumquæ cum felle offertur. Deinde per 12. gressus adrepit ad locum, ubi clavis in Cruce transfigitur. Denique per gressus 14. trahitur, & ex Cruce pendens in foramine rupis Calvariæ figitur. Sepulchrum verò distabat à Cruce 108. gressibus. Cæterum gressus, [q] de quo hîc agimus, duos pedes & medium continet. *Hactenus Adricomius.*

*Hæc subducta linea, quarta pedis
pars est, juxta eundem Adricomi-
um num. 118.*

Ad hujus quidem pedis, (r) & viæ Crucis atque viæ captivitatis mensuram (quam post multam sedulamquæ indaginem tandem inveni) idcirco hîc tam exactè posui, ut quilibet Christianus quovis in loco, etiam inter domesticos parietes in ambitu domûs aut horti sæpiùs circumeundo, vel iter

o 4

repli-

replicando, possit similem sibi viam ordinare aut in Templo seu cubiculo mentis imaginationem similem viam concipere, & pio cordis affectu passionem Christi meditari. Quod ipsi gratum, nobisque salutare esse dubium non est: cum ad hoc tam sacra Scriptura, quam sanctorum Patrum scripturae nos crebro exhortentur. *Ita Adricomius.* Hinc est quod Christiani Principes ad normam itineris Hierosolymitani supra recensitas tormentorum Christi per intervalla stationes, vel omnes, vel aliquas instituerunt, vel etiam institutas obire non dubitaverint. Oligotypo præfuit ille, (s) qui dixit: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ita Augustissimus Ferdinandus II. Cæsar electus anno 1619. [t.] priusquam præfret Imperio Romano, in suis ditionibus, comitatuque Tirolensi, & finibus Gracii, Carinthiæ &c. ejusmodi dicta mysteria in certas vias limitesque divisit, divisaque cum Serenissima familia in fidei augmentum (frendentibus licet conterminis hæreticis) palam obeundo celebravit. Sic Serenissimus Princeps Isabella Clara Eugenia, (u) posteaquam quinque generosas è curia sua virgines in Divæ Theresiæ domicilium solemniter induxisset, nihil antiquius habuit, quam celeberrimum Sanctæ Crucis iter Gandavi accurato circuitu & imaginum serie Jacobo Episcopo Mechliniensi distributum, & Indulgentiis auctum, cum Primatibus suis invisere. Pedes ipsa rigente tunc licet cælo, [die 25. Decembris] anno

anno 1623.] comitata ab Excellentissimo Marchione aliisque Proceribus, universas stationes obivit; atque ante singulas, adedque bis denas Iconas diu supplex flexit. Quinimò ad augendam loci religionem, ex sua munificentia primum Horti mysterium illustri vestibulo ornatum, in Sacelli augustam frontem erexit. Cæterùm ejusmodi Stationum celebris usus est in diversis Regionibus. In *Brabantia* quidem, *Bruxellæ*, *Mechliniæ*, *Lovanii*, *Nivellis*, *Lyræ*, *Vilvordiæ*, *Hezææ*, &c. In *Flandria* verò, *Gandavi*, *Ipris*, *Contraci*, *Aldenardæ*, *Alosti*, *Furnis*, *Olse-næ*, *Exaerdæ*, *Ertveldæ*, *Hardoyæ*, &c. In *Gallo-belgio*, *Tornaci*, *Insulis*, *Atrebatii*, *Valencenis*, *Bethuniæ*, &c. In *Regno Poloniæ*, in territorio *Lanskoronensi* propè *Cracoviam*, & in loco *Gora* nuncupato propè *Varsaviam*.

2. XVII.

De acerbitate & magnitudine cruciatuum Christi, quos in præfatis mysteriis subiit: quibus adjunguntur etiam diversæ Revelationes, quibus excitamur ad meditandum Passionem Dominicam.

I. **A**cerbitas & magnitudo cruciatuum Christi [a] colligitur ex Psalmo vigesimo primo, & ex circumstantiis, aliisque rationibus. Quis in primo

^a *Anonymus d. Sec. Jesu Auctor Liberculi de sancto Animo cap. 1. n. 1, pag. 134.*

nulla ratione quibat. Archidux *Carolus* [h] avu-
 maternus Regis Catholici, divino Officio raris con-
 centibus exornando admodum addictus erat, & Sa-
 crum quotidie cum pia devotione audiebat, ac cæ-
 lesti pabulo se crebrò recreabat. *Maria* ejusdem
 conjux, materquè *Margaritæ Austriacæ*, præter du-
 in dies Sacra in quibus sedulò perseverabat, octi-
 duo quolibet divinis epulis animum pavit, jussit
 què domesticos mensam quemlibet ab hac sacra
 Mensa auspicari. *Margarita* Philippi Catholici Regi
 pientissima conjux, æmula parentum suorum, præte-
 quotidiana Sacra sæpenumerò tria, & uberrima
 lachrymas creberrimè fusas, octavo quoque di-
 cælesti ferculo avidam mentem satiebat. Deo dile-
 cta *Anna de Villaroel*, (i) in Cænobio Sanctæ An-
 næ Abulensis Sanctimonialis in Hispania, singuli-
 diebus vivifico Corporis Christi reficiebatur Sacra-
 mento: quo devotissimè sumpto, in extasim sta-
 tim rapiebatur in spiritu. *Sancta Hedvigis Regina*
seu Ducissa Polonia, assumpto habitu Ordinis Cister-
 ciensis in Monasterio *Trebnicensi*, (k) quotquot habere
 poterat Sacerdotes qui Missas dicerent, eorum om-
 nium Sacrificiis singulari quadam animi devotione
 interfuit, orans interim vel toto prostrata corpore
 vel procumbens in genua, vel ulnis incumbens huius-
 mo: ubi tum præ devotione & animi humilitate ter-
 pulverem crebrò osculabatur. Porrò ad Sacrame-
 tum

h *Jacob. Gufman* in *vita Margar.* par. 1. cap. 2. & 6. & par. 2. cap.
 i *Michael Vaquerus* in *Vita B. Mariæ Vela* par. 1. cap. 47. ap.
Henriquez in *Monolog. Cist.* ad diem 26. Septemb. k *Surius* de
sa S. Hedvigis tom. 5. ad diem 15. Octob. cap. 5.

tum Corporis Dominici percipiendum accessura, tanto lachrymarum imbre faciem suam perfundebat, tantoquè studio precandi, genua flectendi, & corpus prostrernendi tum specialiter occupabatur, ut fervor devotionis ejus non immeritò intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. *Hæc refert Surius in vita Sanctæ Hedvigis.*

2. XVI.

I. *De perennibus monumentis, in quibus Deus ipse memoriam Passionis suæ expressam commendat nobis ad contemplandum.* 2. *De universis dolorum Christi mysteriis, quæ typis ex veteri lege correspondent.* 3. *De numero gressuum Christi, quibus in itinere eadem mysteria explevit tempore passionis suæ.*

I. **P**rimò exprimitur in vario lapide perennis memoria Passionis Christi. Videre est perlegans Caput Salvatoris (a) ex casta Jaspide Orientali, quod sub spineo diademate, unoquè oculorum cruen-

a *Petrus de l'Ancre Consil. Reg. Fran. lib. 5. Inconst. anni Anonymum è Soc. Jesu Auctorem liberculi intitulati, Fautus Ann. Christiani hominis, impressi Rothomagi ann. 1645.*

ccviii *Praefatio ad Lectorem*

cruentis guttis hinc & inde respergitur; idquè nativâ marmoris indole, & Jaspidinis venis, ita ad miraculum conspirantibus. Insuper pallor ipse opaco viridi interspersus, mortis speciem pingit in vultu, & rubentes minutiores venulæ instar stillarum sanguinis in genis sudant. *Hactenus Petrus oculatus testis.* In monte Oliveti, (b) ubi Christus humi fusus sanguine manavit, etiamnum conspiciuntur lapidi impressa manuum ejus & genuum pedumquè vestigia. Porro non procul inde lapis ostenditur, in quo extremi digiti manuum ac pedum ejusdem, item & genua marmoris insculpta cernuntur: quo in loco illum à militibus irruentibus captum esse volunt, humique prostratum. Cæterùm illud est mirum, quòd ex eodem lapide nihil, ne ferro quidem possit abradi. *Hactenus Borchardus.* Huc pariter spectat, (c) pedum signa certiq; funis in ponte, ubi in torrentem Cedron præceps tractus est, clarè notata remansisse. *Hactenus Aranda.* In marinos scopulos (d) cum Domina matre fortè oberrans B. Gonzaga, rarum lapillum offendit, notis quibusdam expressis distinctum, quæ sacratissimas Christi plagas perspicuè referebant: eumquè velut Christi dolorum ac vulnerum indicem, ac monitorem multa in veneratione habuit. *Hactenus Ceparius.*

Secundò exprimitur in cruentis sindonibus perennis memoria Passionis Christi. Veronice matrona
(e) tam

b Borchardus in *descript. Terræ Sanctæ* par. 1. cap. 7. c Aranda in *descript. Terræ sanctæ*. d Virgil. Ceparius in *vita B. Gonzagæ* lib. 1. cap. 5.

(e) tam spectatæ virtutis quàm generis (passim Veronicam vocant) lineam capitis pepulum, sub Cruce anhelanti Christo supplex obtulit: cui is totius oris & vultûs cruentam imaginem illicò impressit, in benevolentia pignus æternum. Idem ipsum hodiequè Romæ in Basilica Sancti Petri cum honore magno asservatur, ac palàm statis diebus ostenditur. Quinimò digitorum vestigiis ab armata olim manu violenter impressis, signatum etiam modò spectari testatur Joannes Lanspertus *in Homil. 19. de Passion. Dom.* Christus non tantùm vivus, (f) sed & mortuus vivam sui ipsius effigiem inscripsit Sindoni illi, quo involutus fuit: ubi admirabili prorsùs modo cum majoribus vulnerum cicatricibus, totiusquè laceri corporis exacta expressione, minutiores etiam plagæ cruentis characteribus exaratae ad oculum patent. Hæc olim Camberii apud Ducem Allobrogum in summo loco habita fuit, nunc apud Ducem Subaudia Turinorû in ejus ditione religiosissimè servatur ac cohitur. Quam quidem Sindonem sacram Paulus Secundus, Sixtus Quartus, Julius Secundus, Clemens Septimus Summi Pontifices Romani, publico nomine approbatam, vario honore cumulârunt. *Hactenus Palestus.*

Tertio exprimitur in vario frutice perennis memoria Passionis Christi. Juxta Urbem Jerosolymitanam, (g) olim flos elegans stetit, quem Religiosi Ordinis S. Francisci dum fortè decerperent; ecce ad-

natum

c *Adricom. 2. par. descript. Jerusal. num. 44. f. Palest. Archiepisc. Bonon. in admirab. Hist. de Stigmat. Dom. 8. Ecce Monumentis Monasterii Deinsani in Belgio.*

natum radici, & superexpansum divinitus Crucifixum bipalmarem, eumquæ ceu manu statuarii fabricatum attoniti reppererunt. Inde in Belgium Cœnobiumquæ Deinſanum tertio lapide à civitate Gandenſi diſſitum, ante annos circiter centum à peregrinis translatus eſt, pluribuſquæ miraculis claruit. Deinde verò ob temporis tumultuumquæ injuriam ductâ Gandavum coloniâ, eadem prodigioſa Radix apud ejuſdem familiæ Deinſanas Moniales, eburnæ capſulæ atque argenteæ Cruci incluſa hucuſque conſervatur, ac colitur. Porro etiãnum liquidò conſpicitur ſanguineum vulnuſ ex alapa impreſſum dexteræ genæ, totiuſ oris ejus omniumquæ membrorum accuratum diſcrimen: quinimò caſariam barbãquæ promiſſã ſenſim creſcere, multoſquæ potanteſ aquam, [cui hæc Radix immergi ſolet] ab æſtu febrium liberari teſtantur monumenta Cœnobii prædicti. *Hactenùſ de Radice prodigioſa.* Grana-dillus floſ Indicuſ (h) exerit quinque ſanguinolenteſ inq; orbem ſurgenteſ guttaſ: columnã inde, treſ clavoſ, ſpineã coronã, omnia ad vivum expreſſa. Folium virens, & à lateribuſ emergens, lanceæ cuſpidiſ ſimilitudinẽ gerit. Claviculæ ut in vite, funium formã referunt: fruſtuſ verò repræſentant imaginẽ cordiſ. Denique floſ quantuſ eſt, vivum floridumquæ Chriſti paſſionis emblema eſt. *Hactenùſ Rovilliuſ.*

Quartò, perenniſ memoria paſſionis Dominicæ exprimitur in admirandiſ ſigmatibuſ plurium dum viverent.

h Rovil. in Hiſt. plant. peregr.

viverent. Christi quinque plagis, sed dispari modo, insigniti fuerunt: (i) Sanctus Franciscus Seraphicus, Sancta Catharina Senensis, Beata Lucia Ferariensis, Beata Gertrudis Van Oosten, & Lydvina Virgines Belgicæ. Gloriosa Catharina Senensis ea stigmata non quidem sanguine fluentia, (ut Divus Franciscus) sed radiis emicantia divinitus accepisse dicitur. At verò è Beatæ Lucie vulneribus omni feria sexta recens sanguis ebullit. Beatæ Gertrudis Beghinæ Delfensis plagæ septies per diem statutis illis horis, quibus Officium divinum solet persolveri, cruore roseo manabant: & hoc quidē evenit ab hebdomada sancta usque ad eam ut minimum diem, quæ Christo in cælos ascendenti solemnis ac sacra est. Deniq; Lydvina, cum cœlestem hunc favorem cunctos latere vellet, hiantia Christi vulnera desuper cute contexit, livore tamen & dolore perpetuo permanente. *Hæc ex Auctoribus infra citatis.* Huc attinet describere ex Cantipratano, (k) qui refert quandam Brabantinam Virginem pietate illustrem, perpetuâquè dolorum Christi commemoratione absorptam fuisse. In cujus latere per plures annos ingens vulnus apparuit, & de ipso vulnere ferè continenter sanguis emanans: ex hoc eodem nonnihil ad rei memoriam diu videre fuit in vitreo vase servatum, colore immutato pariter & vigore. *Hactenus Cantipratanus.*

Quintid

i Blos. l. 15. c. 2. Tritem. in Chron. ad ann. 1500. Rosueid. in vita Sanctior. ad diem 6. Januar. Surius ad die. 14. Apr. tom. 2. cap. 8.
k Cantiprat. de Apibus lib. 1. cap. 25.

Quintò, perennis memoria passionis Domzina ex-
 primitur in exenterato post obitum corde, & pectore
 Stupenda sunt ea, (l) quæ in Beatæ Claræ de Mon-
 tefalco exsecto corde patuerunt. In cordis ejus parte
 dextra, Christi in Cruce penduli imago magnitu-
 dine pollicis extensa, brachiis paululum sublatis
 colloquè declivi cernebatur: latus verò lividum ac
 faucium multo cruore manabat. Item ex parte læ-
 va sindon sanguineis guttulis videbatur aspersa: co-
 rona autem spinea ex nervis spinosis texebatur. Porrò
 ex tribus nerviculis tres clavi cernebantur; ex alio
 lancea tendebatur. Flagella verò ex quinque flexis
 nervis erant revincta, & nodulis pluribus aspersa:
 quin & columna erecta, funiculisque circumdata. No-
 vum hoc spectaculum ut vidit Cardinalis Bellarmi-
 nus, attonitus exclamavit: *Digitus Dei hic est. Hæc*
Isidorus Moschovius. Mirandum est quoque & illud
 (m) quod in pectore Venerabilis Volvandi Religiosi
 Ordinis S. Dominici, Prioris Conventus Argenti-
 nensis, deprehensum est post ejus obitum. In medio
 ipso pectore, spissitudine decenti elevata Crux ossa
 perspicuè eminebat; cujus superiora tria latera
 æqualiter extendebantur, inferiori scitissimè longi-
 ori. Hoc insuper discrimine, quoddam extremi trium
 laterum anguli supernè instar repandi lilii curvaren-
 tur, & pars ima quasi trunco alicui deberet insigi, in
 acumen infernè desineret. *Hæc Cantipratanus.*

II. Ex

† Isidor. Moscov. in vita B. Claræ. in Tb. Cantiprat. de Apibus
 lib. 1. cap. ult.

II. Ex imo cordis humani emergit vinea, (n) quæ hinc suis uvis universa mysteria cruciatuū Christi, inde verò suis foliis typos veteres iisdē doloribus respōdentes complectitur: in medio autem vineæ Christus veluti botrus tosculari premitur. *Primo loco* sunt septem illa mysteria, quæ incipiunt ab horto Gethsemani usque ad prætorium Pilati.

Primum mysterium. Christus anhelus & anxius in horto prosternitur; Angelico inde recreatus alloquio, ad Calvariæ montem primum iter instituit. *Luca 22. Typus:* Elias ingenti absorptus tædio sub junipero jacet; Angeli hortatu in spem erectus, pergit ad montem Dei Horeb. *lib. 3. Reg. 19.*

Secundum mysterium. Christus à Juda salutatione benevola exceptus, traditur. *Matth. 26. Typus:* Dux Amasa à Joab osculo proditur. *lib. 2. Reg. 29.*

Tertium mysterium. Christus torrentem Cedron antè transgressus, trans eundem vincus rapitur. *Joan. 18. Typus:* David nudis pedibus & lachrymis madens, trans torrentem Cedron proditorem filium fugit. *lib. 2. Reg. 15.*

Quartum mysterium. Christo in domo Annæ alapâ impingitur. *Joan. 18. Typus:* Veridicus Michæas à Sedecia in faciem cæditur. *lib. 3. Reg. 22.*

Quintum mysterium. Christus in domo Caiphæ velatis oculis plurima tolerat. *Marc. 14. Typus:* Samsonem luminibus orbatum Philistæi variè laceferunt. *Judic. 16.*

o 2

Sex-

n Anonymus è Soc. Jesu & Auctoꝝ liberculi de fausto Anno cap. 2. pag. 121.

Oniæ Pontifici summis angustiis presso, lugentes virgines obviæ fiunt. *lib. 2. Machab. 3.*

Septimum mysterium. Simon Cyrenæus cum Christo fert crucem. *Matth. 27.* *Typus:* Echai Gechæus vult eandem crucem, & pericula cum profugo Rege subire. *lib. 2. Reg. 15.*

Octavum mysterium. Veronica excipit in sindone cruentam Christi imaginem. *Typus:* Jacob accipit sanguineam vestem, velut similitudinem cruenti Joseph. *Gen. 37.*

Tertio loco sunt septem illa mysteria, quæ incipiunt ab Urbis egressu usque ad sepulturam Christi.

Primum mysterium. Ex veteri traditione, iterum cruento casu Christus in terram ruit ad portam Judiciariam. *Typus:* Dux Amasa conspersus sanguine jacet in media via. *lib. 2. Reg. 20.*

Secundum mysterium. Filix Jerusalem dolores Christi miserantur. *Luc. 23.* *Typus:* Filix Israël Regem Josiam plangunt. *lib. 2. Paralip. 35.*

Tertium mysterium. Prout iam olim traditum est, Christus labitur postremò ad montem Calvarix. *Typus:* Onias summus Sacerdos luctu planè obrutus ante aram sternitur. *lib. 2. Machab. 3.*

Quartum mysterium. Christus nudus exponitur, illiquè offertur vinum cum felle mixtum. *Matth. 27.* *Typus:* Factus sum in derisum omni populo, replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. *Jeremias Thren. 3.*

Quintum mysterium. Christus validis humi clavis affigitur. *Marc. 15.* *Typus:* Dalila Samsonem clavo terræ affigit. *Judic. 16.* 0 3 Sex.

CCXVI *Prefatio ad Lectorem*

¶ Sextum mysterium. Christus in Crucem tollitur.
Luc. 23. Typus: Serpens æneus erigitur à Moyse.
Num. 21.

Septimum mysterium. Christus in sepulchro conditur. *Joan. 19. Typus: Jonas in ventre ceti tribus diebus & noctibus jacet. Jon. 2.*

III. : Duo sunt itinera continentia numerum gressuum, quibus prædicta mysteria Christus explevit. *Primum iter vulgò dicitur via Captivitatis, qua incipit ab horto Gethsemani usque ad prætorium Pilati.* Ab horto usq; ad locum ubi Christus capitur, (o) censentur gressus 40. Inde ad domum Annæ trahitur trans torrentem Cedron, itinere gressuum 2360. Atq; hinc per 330. gressus ad Caipham abducitur. Inde quod 1000. gressibus aberat ad palatium Pilati. Est hinc porro via 350. gressuum ad Herodem. Denuò per 600. gressus, alio tractu ad tribunal Pontii Pilati reducitur.

Secundum iter passim appellatur via dolorosa, sive Crucis: qua incipit à prætorio Pilati usque ad ipsam Crucem. A domo Pilati [p] per 26. gressus educitur Christus, ubi Crux imponitur. Inde procedit per 80. gressus ad locum, ubi traditur cum Cruce cecidisse. Hinc surgenti & ad 60. gressus ac tres pedes progressu mæstissima Virgo Mater occurrit. Isthinc verò trahitur per 71. gressus ac sesqui pedem ad trivium, ubi Simon Cyrenæus crucem ferre cogitur. Ulteriùs porro post 191. gressus & semipedem,
occur-

• *Adricomius in descripr. Jerusalem num. 207. p Idem ibid. 2. 118.*

occurrit Veronicæ. Tum tendit per viam 336. gressuum & duorum pedum ad portam Judicariam, ubi rursus cum Cruce prolabitur. Prosequitur hinc iter per 348. gressus duosquæ pedes, alloquiturquæ in bivio plorantes filias Jerusalem. Ab his deinde pergat per 161. gressus & sesqui pedem ad radicem montis, ubi & postremò cadit. Protruditur isthinc per 18. gressus ad locum, ubi vestis extrahitur, vinumquæ cum felle offertur. Deinde per 12. gressus adrepit ad locum, ubi clavis in Cruce transfigitur, Denique per gressus 14. trahitur, & ex Cruce pendens in foramine rupis Calvariæ figitur. Sepulchrum verò distabat à Cruce 108. gressibus. Cæterum gressus, [q] de quo hîc agimus, duos pedes & medium continet. *Hactenus Adricomius.*

*Hæc subducta linea, quarta pedis
pars est, juxta eundem Adricomi-
um num. 118.*

Ad hujus quidem pedis, (r) & viæ Crucis atque viæ captivitatis mensuram (quam post multam sedulamquæ indaginem tandem inveni) idcirco hîc tam exactè posui, ut quilibet Christianus quovis in loco, etiam inter domesticos parietes in ambitu domûs aut horti sæpiùs circumeundo, vel iter repli-

republicando, possit similem sibi viam ordinare, aut in Templo seu cubiculo mentis imaginatione similem viam concipere, & pio cordis affectu passionem Christi meditari. Quod ipsi gratum, nobisque salutare esse dubium non est: cum ad hoc tam sacra Scriptura, quam sanctorum Patrum scripta nos crebro exhortentur. *Ita Adricomius.* Hinc est, quod Christiani Principes ad normam itineris Hierosolymitani supra recensitas tormentorum Christi per intervalla stationes, vel omnes, vel aliquas instituere, vel etiam institutas obire non dubitaverint. Olim typo præfuit ille, (s) qui dixit: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Ita Augustissimus Ferdinandus II. Cæsar electus anno 1619. [t.] priusquam præflet Imperio Romano, in suis ditionibus, comitatuque Tirolensi, & finibus Gracii, Carinthiæ, &c. ejusmodi dicta mysteria in certas vias limitesque divisit, divisaque cum Serenissima familia in fidei augmentum (spernentibus licet conterminis hæreticis) palam obeundo celebravit. Sic Serenissima Princeps Isabella Clara Eugenia, (u) posteaquam quinq; generosas è curia sua virgines in Divæ Theresiæ domicilium solemniter induxisset, nihil antiquius habuit, quam celeberrimum Sanctæ Crucis iter Gandavi accurato circuitu & imaginum serie à Jacobo Episcopo Mechliniensi distributum, & Indulgentiis auctum, cum Primatibus suis invisere. *Pedes ipsa rigente tunc licet cælo, [die 25. Decembris*
 211 197 ... anno

6 *Propheta David Psal. 131. t. Existeris b. relationibus u. Ibidem.*

anno 1623.] comitata ab Excellentissimo Marchione aliisque Proceribus, universas stationes obivit; atque ante singulas, adedque bis denas Iconas diu supplex flexit. Quinimò ad augendam loci religionem, ex sua munificentia primum Horti mysterium illustri vestibulo ornatum, in Sacelli augustam frontem erexit. Ceterùm ejusmodi Stationum celebris usus est in diversis Regionibus. In *Brabantia* quidem, *Bruxellæ*, *Mechliniæ*, *Lovanii*, *Nivellis*, *Lyræ*, *Vilvordiæ*, *Hezeæ*, &c. In *Flandria* verò, *Gandavi*, *Ipris*, *Cortraci*, *Aldenardæ*, *Alosti*, *Furnis*, *Olse-næ*, *Exaerdæ*, *Ertveldæ*, *Hardoyæ*, &c. In *Gallo-belgio*, *Tornaci*, *Insulis*, *Atrebatii*, *Valencenis*, *Bethuniæ*, &c. In *Regno Poloniae*, in territorio *Lanskoronensi* propè *Cracoviam*, & in loco *Gora* nuncupato propè *Varsoviam*.

§. XVII.

De acerbitate & magnitudine cruciatuum Christi, quos in præfatis mysteriis subiit: quibus adjunguntur etiam diversæ Revelationes, quibus excitamur ad meditandum Passionem Dominicam.

I. **A**cerbitas & magnitudo cruciatuum Christi [a] colligitur ex Psalmo vigesimo primo, & ex circumstantiis, aliisque rationibus. Quis in primo

a *Anonymus è Sec. Jesu Auctor Liberculi de sancto Anno c. 1. p. 134.*

primis in hoc Psalmo hostium furor, hostium malignantium & deridentium, loquentium labiis, moventium capita sua? Quis furor, qui canibus circumstantibus, qui vitulis multis, qui tauris persequantibus, qui cornibus unicornium, qui leoni impetenti rugientique confertur? Qualis deinde pinxit Christus in eodem Psalmo? linguam faucibus hærescente, dinumeratis omnibus ossibus, foras manibus & pedibus, inque pulverem mortis adductus. Iterum qualis, qui liquescenti ceræ, qui ardescenti testæ, qui aquæ effusæ comparatur? Qui cum vermibus & non homo, qui opprobrium hominum, qui abjectio plebis dicitur? Porro tam magna, (b) tam multa, tam ignominiosa perpessus innocens Jesus post tot prodigia, post tot in omnes merita, nulla lege aut jure servato, in Urbe Orbis Principis, in oculis innumeræ multitudinis, in Solemnitate Paschæ celeberrima, in flore ætatis & tenerrima corporis constitutione, in omnibus membris & sensibus, omni genere suppliciorum, ab omni hominum ordine, nullo admixto solatio; quodque potentissimum est, pro juratis hostibus, pro me ingratissimum tam ignominiosa perpessus est. Sed a qualia ista fuere, vel quanta? Quanta nempe suffert sitis quidquis sustinendi ardentissima, & charitas ejus erga homines infinita, quantaque summa Sapientiæ conjuncta potestas summa executæ esse fuere enim tanta ut Angeli pacis amarè planxerint tanta ut ad naturæ stuporem eorum sola recordatio

b Idem ibid. nu. 2.

io sanguineum sudorem expresserit: tanta denique fuere ut etiã rupes scissæ, adaperata monumenta, cælum, terra, omniaquè elementa trepidârint. De hoc autem (c) Scriptura sic ait: *A sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam: & obscuratus est Sol: & velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum: & terra mota est: & petra scissæ sunt: & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt.* Qualis est hic, quia & cælum & terra compatiuntur ei, cujus & mors mortuos vivificat? Ecce Agnus in Crucem levatur immolandum stipite, (d) opprobriũ hominum factus & abjectio plebis: quo præ dolore Sol obscuratur, petrae scinduntur, & tota contremiscit orbita mundi. Videamus adhuc (e) totius mundi machinam Fabricatori suo compatiëntẽ, tetra caligine involatam. Terra enim tremuit, (f) & Sol sua lumina clausit: marebantquè poli, marebant & sidera cuncta. Omne suum jubar amisit Luna dolendo, recessitquè omnis ab alto æthere fulgor. Fiduntur duri lapides: scinduntur fastigia templi: petrae durissimæ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt: & surrexerunt multi apertis tumultis, fatentes voce magna Christum esse Deum. Expaluit (g) & expavit tota machina mundialis, & penè in antiquum chaos sunt omnia revoluta. Meritò quidem: (h) quia Christus per potentiam

a S. Bern. Ser. de Pass. Dom. nu. 15. d Ser. 1. in ult. cenarum. 1.
 e Tract. de vite myst. cap. 49. num. 1^o7. f Ser. de sament. B.V.M.
 n. 7. g Ser. in ser. 4. heb. san. n. 7. h Tract. de modo bene vivendi.
 cap. 16. n. 45.

tiam divinitatis est Princeps omnium creaturarum. Et licet sit Dominus majestatis: (i) tamen trementibus elementis, cæli luminaribus obscuratis, stupentibus Angelis, pati dignatus est tormentum abjectissimæ passionis. De dolore item (k) videamus quid dixerit ipsa: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Intantum enim (l) in Cruce distensus fuit; ut numerari possent omnia membra ejus. Ita enim dicit per Prophetam: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ac si diceret: Intantum distensus sum dextrorsum & sinistrorsum, & à summo deorsum, ut corpore nudo in modum tympanicæ pellis distenso, facile possent omnia ossa mea dinumerari. Adhuc autem intueamur, (m) quam grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet. Videamus nudum & verberibus laceratum, in medio latronum cruci ignominiosæ ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & post mortem lanceâ in latere vulneratum, & copiosos Sanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum & pedum & lateris effundentem. Spectaculum fit (n) & opprobrium mundæ & hominibus: fit tanquam prodigium multis, & commotio capitis in populis. Caput nostrum, honor noster, bonus Jesus. Duo nobis (o) in hæreditatem reliquerat ille vetus Adam qui fugit à faciè Dei, laborem videlicet & dolorem laborem in actione, dolorem in passione. Christum autem

i Ser. in ser. 2. Paschæ n. 8. k Ser. in ser. 4. heb. sabb. sabb. n. 11. l Tract. de vitæ n. 7. m Ser. de Pass. Dom. n. 14. n Tract. de vitæ n. 5. n. 24. o Ser. de Pass. Dom. n. 11.

autem laborem & dolorem consideravit, ut traderet eos in manus suas, imò se magis in manus eorum. Et in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem nostram operaretur in medio terræ. Mitis & innocens Agnus in Cruce pendens, (p) utpotè qui coram condente se obmutit, non improperat circumstantibus & insipientibus in eum; sed duleiter suggerit transeuntibus per viam, & respicientibus ad eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Hoc siquidem de cruce clamat transeuntibus. Sed unde transeuntibus? De mundo, non cum mundo. Quà, & quò transeuntibus? Per viam momentaneæ paupertatis, ad divitiarum æternæ felicitatis.

II. *Acerbitas & magnitudo cruciatuum Christi colligitur tam ex copia lachrymarum & sudoris, quàm ex numero verberum & vulnerum.* Primò quidem (q) Christus fudit sexaginta duo millia & ducentas lachrymas: cruenti verò sudoris nonaginta septem millia & trecentas ac quinque guttas fudit. Denique [r] à prætorio Pilati usque ad Crucem fixit gressus cruentos mille trecentos & viginti unum. *Secundò*, [s] ad columnam sex millibus sexcentis sexaginta sex plagis cæsum fuisse, cælitùs intellexit Bernardus, teste Joanne Aquilano. *Vic* alius sanctimoniâ vitæ clarus, (t) accepit divinitùs, si quis quotidie per viginti annos in honorem sanguineæ

p *Epist.* 385. num. 8. q *Petrus Calentinus in via Crucis, & Manuscript. Ital & Franc. r Adriacem. in descript. Jerusalem. num. 118. s Joann. Aquilanus Serm. de Pass. Dom. v Lansperg. Hom. 50. de Pass. Dom.*

CCXXIV *Prefatio ad Lectorem,*

guineæ flagellationis, centies precationem Dominicam repeteret, subductâ ratione, unâ duntaxat precatiunculâ quamlibet Sanguinis guttam honoraret. Summa enim guttarum ascendit ad ducentarum triginta millium & quinque. *Tertio*, (u) sacratissimum Christi caput ex coronatione mille punctis Auris sauciatum fuit. Meditare, ô homo, [x] quâ pænosa, quantoquè cruciatu hæc coronatio plena fuerit. Erat enim corona ex spinis longis, & acutis & penetrativis: ita plexa, ut ex omni parte caput ambiens & pungens vulneraret; nec minùs vertex quàm tempora tegerentur. Hujusmodi enim corona ad modum pilei fuit contexta, ita ut totum per caput undique ambiendo contegeret, & laceraret. Sanctus Vincentius (y) dicit, hujusmodi spinas coronæ Dominicæ fuisse septuaginta duas. Alii verò fuisse tercentum probant ex Revelatione quadam, facta Sanctæ Catharinæ Senensi.

Sancta Brigitta cùm esset Romæ, (z) & quadam die staret in oratione mentali, tunc Christus apparuit ei sic dicens: *Parate vos jam ad peregrinandum in Jerusalem, ad visitandum Sepulchrum meum, & alia loca sancta qua ibi sunt, & recedatis de Roma cùm ego dixero vobis.* Expectando itaq; ordinem divini (a) iterùm apparuit ei Christus dicens: *Ite jam, & recedite de Roma ad Jerusalem.* Et excusando se humiliter Sancta Brigitta, tam ob debilitatem virium quàm

u *S. Bern. Ser. de Pass. Dom. nu. 13.* x *Lansperg. Theoremata. 19.*
Hom. 33. de Pass. y *S. Vincenc. Ser. in die Parasceves.* z *S. Brigittæ*
Lib. 7. Revelat. cap. 6. pag. 583. & Ibidem cap. 9. pag. 587.

quàm etiam ob senilem ætatem inhabilem jam fatigationibus tam longæ peregrinationis, respondit illi Redemptor: *Quid causatis de atate? Ego sum natura conditor: ego possum infirmare, & roborare naturam, sicut mihi placet: ego ero vobiscum, ego dirigam viam vestram, ego ducam, & reducam vos Romã: & procurabo vobis necessaria magis sufficientia, quàm unquam habuistis prius.* Itaque acquievit statim voluntati divinæ, & sine ulla mora præparavit se ad eundum in Jerusalem, ad visitandam illam felicem terram, quam sæcundavit suo Sanguine Redemptor. Dum autem pervenisset in Jerusalem, (b) ibiquè inter cætera loca sancta visitavisset montem Calvariæ, (ubi est fabricata una Capella multùm frequentata à Peregrinis) & plorans contemplata fuisset mysterium amarissimæ crucifixionis, vidit Dominum nudum & flagellatum, ductum à Judæis ad crucifigendum, qui diligenter ab eis custodiebatur. Vidit quoque tunc foramen quoddam excisum in monte, & crucifixores paratos ad operandam crudelitatem. Dominus autem conversus ad illam, dixit ei: *Attende tu, quia in isto foramine petra infixus fuit pes Crucis meæ tempore passionis.* Et illa statim vidit, qualiter ibi Crux ejus à Judæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis, cum lignis confixis cum malleo validissimè circumquaque: ut Crux solidiùs staret, ne caderet. Cùm igitur Crux ita solidè firmata esset ibidem, statim adaptabantur tabulæ lignæ in circuitu stipitis Crucis per modum

gra-

b *Ibid.* cap. 15. nu. 1. pag. 597.

graduum, usque ad locum ubi pedes ejus crucifigi debebant: ut possent per illos gradus tabularum tam ipse, quàm crucifixores ascendere, & super tabulas illas aptiori modo stare ad crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt ipsi crucifixores per illos gradus, ducentes Dominum eum irrisione & vituperio maximo. Qui gradanter ascendens velut agnus mansuetus ductus ad immolandum, cum esset jam super tabulas illas, non coactus; sed statim & voluntariè extendit brachium suum, & aperta sua *dextera* manu, posuit eam in Cruce: quam illi sævi tortores immaniter crucifixerunt, perforantes eam clavo per illam partem, qua os solidius erat. Tum etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus *sinistram*, cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore ultra modum in Cruce, posita fuit una tibia ejus super aliam, & sic junctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis: & intantum extenderunt illa gloriosa membra in Cruce vehementer, ut quasi omnes venæ & nervi ejus rumpèrentur. Quo factò, (c) coronâ de spinis, quam deposuerant de capite ejus cum crucifigeretur, iterum imposuerunt & aptaverunt capiti suo sacratissimo: quæ tam fortiter pupugit reverendum caput ejus, ut oculi sui repleti fuerint illicò fluente Sanguine. Aures quoq; obstruebantur, & facies & barba quasi tegebantur, & intincta erant illo roseo Sanguine: & statim illi crucifixores & milites amoverunt velociter omnes tabulas illas, quæ adhærebant Cruce; & tunc reman-

sic

fit Crux sola & alta, & Dominus crucifixus in illa. Cùmquè Christi famula Brigitta respiceret crudelitatem crucifixorum, vidit etiam tunc Matrem ejus mæstissimam in terra jacentem, & quasi trementem & semimortuam, quam consolabantur Joannes & aliæ sorores ejus, quæ tunc stabant non longe à Cruce ad ejus partem dexteram. Dolor igitur novus compassionis illius sanctissimæ Matris intantum transfixit Sanctam Brigittam, ut quasi sentiret, quòd cor suum pertransibat quidam gladius acutus importabilis amaritudinis. Surgens tandem tunc illa Mater ejus dolorosa, (*inquit Sancta Brigitta*) quasi exinanita corpore, respexit ad Filium suum; & sic stabat sustentata à sororibus tota stupore suspensa, & velut mortua vivens gladio doloris transfixa. Quam cùm Filius respexisset, & alios amicos plorantes, voce flebili commendabat eam Joanni: & benè cernebatur in voce ejus & gestu, quòd cor ejus ex compassione Matris penetrabatur acutissimâ sagittâ doloris immensi. Tunc autem oculi ejus amabiles & decori apparebant semimortui: os ejus erat apertum & sanguinolentum, vultus pallidus & submersus, totusquè lividus & intinctus Sanguine. Corpus quoque totum erat quasi lividum & pallidum, & languidum valdè ex continuo fluxu decurrentis Sanguinis: cutis etiam & caro illa virginea sanctissimi corporis ejus ita delicata & tenera erat, ut ex modica percussione illata signum lividum exterius appareret. Aliquando verò conabatur ipse extensiones facere in Cruce, præ amaritudine nimia (quam

CCXXVIII *Præfatio ad Lectorem*

sentiebat) intensi doloris. Nam quandoque dolor de membris ejus & venis perforatis ascendebat ad cor, & vexabat eum crudeliter intenso martyrio; & sic mors ejus prolongabatur & dilatabatur cum tormento gravi & ingenti amaritudine. Tunc igitur ille anxius præ nimia doloris angustia, & vicinus jam morti, *primò* ad Patrem clamabat alta voce & flebili, dicens: *O Pater, quare dereliquisti me?* Habebat & tunc labia pallida, & linguam sanguinolentam, & ventrem ita submissim coherentem dorso, ac si nulla intus habuisset viscera. *Secundò* quoque clamavit iterùm cum anxio dolore maximo: *O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* & tunc caput ejus erigens se, aliquantulum statim inclinavit se, & sic emisit spiritum. Quæ tunc Mater ejus videns, tota contremuit præ immensa amaritudine volens cadere in terram, nisi quoddam sustentabatur ab aliis mulieribus. In illa igitur hora manus illius aliquantulum se retraxerunt à loco perforationis clavorum, præ nimio pondere corporis; & sic corpus ejus quasi sustentabatur à clavis, quibus pedes crucifixi erant. Digni autem & manus & brachia magis jam extensa erant, quàm ante: scapulae vero & dorsum ejus quasi stringebantur ad crucem. Tunc denique circumstantes Judæi irridentes clamabant, contra Matrem ejus multa dicentes. Alii namque dicebant: *Maria, jam mortuus est filius tuus?* Alii vero dicebant verba irrisoria. Et sic stantibus turbis in circuitu, [d] venit unus accurrens

Philosophia Christiana. COXXIX

cum furia maxima, & infixit lanceam in ejus latere dextro tam vehementer & validè, ut quasi per aliam partem exanimi corporis lancea voluerit per transire. Et cum extraheretur lancea de corpore ejus, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluvius Sanguinis: ferrum verò lanceæ & aliqua pars hastæ rubicunda exibant de corpore, & intincta Sanguine sacro. Quæ videns Mater ejus, ita vehementer contremuit cum amaro gemitu, ut benè cerneretur in ejus facie & gestu, quòd anima ejus tunc penetrabatur acuto doloris gladio. His autem expletis, [e] cum turbæ multæ recederent, deposuerunt de cruce Dominum quidam amici ejus. Quem tunc pia Mater recepit inter sua brachia sanctissima, & reclinavit eum sedens in genu suum, totum vulneratum, dilaceratum & lividum: & tunc Mater ejus mæstissima terisit cum linteo suo totum corpus ipsius & vulnera, clausitque ejus oculos, deosculando eos, & involuit eum in sindone munda: & sic duxerunt eum cum planctu & dolore maximo, & posuerunt eum in sepulchro. *Hactenus S. Brigitta de mysteriis amarissima Passionis Dominica.*

III. *Afferuntur Revelationes de Passione Domini nostri Jesu Christi, facta ab eodem Beata Mechthildi, Sancta Elisabetha, & Sancta Brigitta. Qui ista dicit verba, quæ sequuntur.*

Ego fui levatus à terra cum crinibus & fune, 23.

p 2

Augu.

ccxxx *Praefatio ad Lectorem*

Angustatus & excruciatuſ fui,	170.
Ligatuſ ad columnam, caſuſ fui plagis	6660.
Cecidi in terrã ab horto uſq; ad domum Annæ,	7.
Cecidi in itinere eundo ad montem Calvariaë,	5.
Colaphi quibus fui perceſſuſ in facie, erant	102.
Guttæ ſanguiniſ in ſumma erant ſparſæ,	118225.
Pugni, quibus caſuſ fui in facie, erant	20.
Percuſſiones in tibiis erant	32.
Percuſſioneſ mortaleſ	19.
Percuſſioneſ in pectore & in capite	28.
Vulnereſ groſſioreſ aliis erant	72.
Puncturæ mille, ex quo fuit detracta & plurieſ impoſita corona ſpinea,	1000.
Impulſioneſ cum calcibuſ fuerunt	140.
Suſpiria emiſſa foras ex pectore	190.
Impulſio cum calcibuſ fuit una mortaliſ, ad co- lumnã illata,	1.
Aliæ impulſioneſ mortaleſ fuerunt	3.
Sputa, cum eſſem diſtenſuſ in terra ſuper Cruce, fuerunt	73.
Militeſ contra Chriſtum armati erant	188.
ſpectatoreſ populi Judæorum erant	230.
Liſtoreſ qui Chriſtum ligatum ducebant,	3.
Vulnereſ livida fuerunt in ſumma	1199.
Diſtractuſ, & dilaceratuſ in barba	78.

*ſequuntur alia Revelationeſ facta à Chriſto cui-
dam perſona devota.*

Vulnereſ in capite fuerunt numero

3.
Pu-

Philosophia Christiana. **CCXXXI**

Pugni super oculos inflicti	3.
Pugni super buccam, propter quos effluxit Sanguis per buccam & nasum, & commossi sunt duo dentes, fuerunt	5.
Corona spinea imposita capiti, fuit percussa arundine & baculis, vicibus	40.
Detracta & reimposita corona octies	8.
Spinæ, quæ transfixerunt os capitæ, & penetrarunt usque ad cerebrum, erant	5.
Spinæ, quæ remanserunt ruptæ in cerebro usque post mortem, erant	3.
Guttæ Sanguinis, quæ profluxerunt per puncturas spinarum, fuerunt	3000.
Sputa in facie fuerunt	100.
Tractus fuit per nasum vigesies	20.
Tractus fuit per aures trigesies	30.
Percussiones supra dorsum ejus fuerunt	25.

Porrò tres sunt majores dolores, quos Christus habuit in sua Passione.

Primus dolor, est parvus fructus, quem habebat

facere suus Sanguis.

Secundus dolor est, dolor Matris suæ quæ erat præsens.

*Tertius dolor sui Corporis, tracti cum funibus per manus & pedes ad affigendum Cruci, tam immanis fuit, ut se disjunxerint omnes juncturæ sacratissimi Corporis sui. Et tunc adimpletum est dictam Psalmi: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.**

*Compendium gratiarum cælestium, quas
Christus Dominus concedit illis qui
meditabuntur, vel habebunt memo-
riam suæ passionis & vitæ.*

Dominus noster Jesus Christus cuidam Servo suo devoto revelavit ore proprio, quod quælibet persona, quæ libenter legerit & revoluerit mente mysteria Passionis suæ, recipiet postea ab ipso istas particulares gratias.

Prima est, quod obtinebit plenariam Indulgentiam suorum peccatorum: & totum id quod per negligentiam omiserit, restituetur ei propter merita mea.

Secunda, quod ita confortabitur ad resistendum suis inimicis, ut nequeant reportare aliquam victoriam: & si contigerit eum per fragilitatem cadere, nihilominus submittam manum meam dexteram, ut ipse non pereat.

Tertia, quod accipiet fortitudinem acquirendi diversas virtutes, & cuncta opera bona.

Quarta, quod pro qualibet licet minima meditatione, quam ille fecerit de Passione mea, semper anima sua multiplicabit in seipsa gradus divinæ gratiæ meæ.

Quinta, quod libenter manebo & assistam ei, qui devote meditabitur Passionem meam.

Sexta

Philosophiæ Christianæ. CCXXXIII

Sexta, quòd nonnunquam dabo ei altissimam cognitionem divinatorum mysteriorum: & revelabo ipsi secreta mihi manifesta à Patre æterno.

Septima, quòd ante mortem suam faciam eum amicum meum: & post mortem præmiabo illum gloria cælesti cum aliis meis caris amicis.

Octava, quòd non denegabo ei ullam gratiam, quam petet à me rationabiliter, & convenienter.

Nova, quòd assistam ei personaliter in hora mortis suæ, & illum defendam ab inimicis suis: & reddam eum certum & securum de vita æterna.

*Sententiæ de utilitate meditationis
Passionis Dominicæ.*

Licet B. Albertus Magnus asserat, quòd simplex recordatio & meditatio Passionis Christi pluris æstimanda sit, quàm uno anno integro jejunare in pane & aqua, flagrisquè in dies ad sanguinem usque diverberare, ac Psalterium integrum quotidie recitare. Nihilominus S. Bernardus in sermone habito feriâ quartâ hebdomadæ sanctæ num. II. sic ait: *Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio, ut sequar vestigia Christi. Alioquin etiam exquiretur à me Sanguis justus, qui effusus est super terram, &c.* Item sermone 2. in Cæna Domini num. 6. sic ait: *Dignum est & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri, passio, mortuo, & sepulto Christo. Ad hoc enim facta sunt*

CCXXXIV *Præfatio ad Lectorem*

hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere; debet sicut ille ambulare, & ipse ambulare. Hactenus S. Bernardus.

Recordatio Passionis Christi est efficacissimum auxilium in omni infirmitate spirituali, maxime autem in articulo mortis, ad effectum transeundi de hoc mundo in gratia Dei.

Præservat à pœna Purgatorii, & subministrat gratiam liberandi ex illo animas, quotiescunq; offeruntur Deo, tanquam Sacrificium, mysteria Passionis Dominicæ.

S. Bernardus consumebat totam vitam suam in isto exercitio sancto, & mediante illo pervenit ad summam perfectionem.

S. Franciscus acquisivit perfectionem & sanctitatem vitæ, jugiter meditando Crucifixum.

S. Bonaventura dicit, quòd inter alia magis utilia & efficacia exercitia spiritualia, sola & unica est consideratio vitæ & passionis Salvatoris nostri.

S. Augustinus dicit, quòd meditatio passionis Dominicæ est remedium efficacissimum contra tentationes: dat gratiam & fortitudinem in tribulationibus & adversitatibus sustinendis: causat compunctionem de peccatis, & spem de indulgentia, etiam si forent gravissima & enormia: purgat, & sanat à vitiis, & passionibus vitiosis licet radicatis in anima: depellit omnem pigritiam ab animo, & efficit ut serviamus Deo cum fervore. Nulla oratio magis inflamat animas nostras ad amandum Deum, quam

quàm fervens meditatio vitæ & passionis Christi.

S. Bonaventura dicit, quòd meditatio passionis Dominicæ replet animam tanta consolatione spiritali, illamquè extollit ad contemplationem Dei, ut non sentiat ampliùs delectationem terrenam: & quòd non intratur per aliam portam ad felicitatem æternam, quàm per portam passionis Christi. Et qui cogitat aliter intrare, perdet iter: quia sine recordatione passionis Dominicæ est vanum & erroneum quodcunque medium. In summa concludunt omnes Doctores, & Sancti Patres, quòd hæc recordatio est clavis & porta ad intrandum in Paradisum cælestem.

Sciendum autem est, quòd præinsertæ Revelationes, & Compendium gratiarum cælestium, & Sententia de utilitate meditationis Passionis Dominicæ, descripta sint ex Tabella appensa Cappellæ SS. Crucifixi in Ecclesia Aracelitana Ordinis S. Francisci Romæ, & ex idiomate Italico in latinum translata per Authorem hujus Philosophiæ Christianæ. Cæterùm pro majori notitia legantur Libri suprædictarum trium Sanctarum, quibus Revelationes factæ à Christo referuntur. Et primò quidem B. Mechtildis Virginis, Monialis Ordinis S. Benedicti Liber gratiæ spiritualis. Secundo, S. Elisabethæ de Schonaugia Virginis Monialis Ord. Cister. Libri tres Revelationum: de quibus mentionem facit Card. Bona in Notitia Auctorum initio Libri de Divina Psalmodia, & ibid. cap. 16. §. 5. n. 2. Tertiò, S. Brigitta Viduæ Suecæ Revelationes sunt, quæ comprehenduntur octo Libris: quas maturo

Theo-

Theologorum iudicio approbatas esse testatur Card. Bona in Notitia Auctorum . Has autem Revelationes S. Brigittæ Confessarius Petrus Olanus Ord. Cisterciensis in linguam latinam transtulit . Fueruntquæ confirmatæ à Summis Pontificibus Bonifacio IX . & Martino V.

2. XVIII.

De immensitate dolorum Deiparæ, quos sustinuit in passione Filii sui: quibus excitamur non solum ad compatiendum Matri ejus dolorosæ, sed etiam ad meditandum mysteria passionis Christi.

Gemitus matris tuæ ne obliviscaris . Eccl. 7.

Proëmium .

B*eata Virgo Maria omnium fidelium mater fuit constituta tunc, quando Christus filium illi substituit Joannem per illa verba: Mulier, ecce filius tuus. Ita Rupertus (a) expendens illa verba: Mulier cum parit, tristitiam habet. Proinde, inquit, quia ibi dolores ut parturientis sustinuit in passione Unigeniti sui, omnium nostrum salutem B. V. peperit, & facta*
pla-

^a Rupert. apud Novatum Tom. I. de Eminent. Deip. cap. 18. quest. 25. pag. 399.

Philosophiæ Christianæ. CCXXXVII

planè est omnium nostrum mater. Et S. Bernardinus (b) ait: *Mulier ecce filius tuus*: ut exclusa omni superfluitate verborum, secretum mysterii penetremus. Mysticè igitur in Joanne intelligimus animas electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est mater. Ipsa utiq; Virgo Mater, (c) quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eundem Unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur; omniumquè in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa non tam mater quàm nociva, quæ filiis antè propinavit præjudicium mortis quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viventium, sed inventa est veriùs interfecitrix viventium, seu genitrix morientium: cum suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia Eva non potuit fideliter interpretari nomen suum, idè Virgo Mater implevit mysterium: quæ & ipsa sicut Ecclesia (cujus forma est) mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitæ, quâ vivunt universi: quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodò regeneravit. Unus quidem generabatur, sed omnes regenerabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo generatio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Porrò Beata Mater Christi, (d) quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii, curâ

b Bernard. Senens. Tom. 1. Serm. 55. de Passione Christi.
c Guericus Abb. Igniacen. Ord. Cist. Ser. 1. in Assumpt. B. M. n. 2. p. 1243. tom. 6. Operum S. Bern. d Idem ibidi nu. 3.

CCXXVI *Præfatio ad Lectorem*

graduum, usque ad locum ubi pedes ejus crucifigi debebant: ut possent per illos gradus tabularum tam ipse, quàm crucifixores ascendere, & super tabulas illas aptiori modo stare ad crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt ipsi crucifixores per illos gradus, ducentes Dominum eum irrisione & vituperio maximo. Qui gradanter ascendens velut agnus mansuetus ductus ad immolandum, cum esset jam super tabulas illas, non coactus, sed statim & voluntariè extendit brachium suum, & aperta sua *dextera* manu, posuit eam in Cruce: quam illi sævi tortores immaniter crucifixerunt, perforantes eam clavo per illam partem, qua os solidius erat. Tum etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus *sinistram*, cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore ultra modum in Cruce, posita fuit una tibia ejus super aliam, & sic junctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis: & intantum extenderunt illa gloriosa membra in Cruce vehementer, ut quasi omnes venæ & nervi ejus rumpèrentur. Quo factò, (c) coronã de spinis, quam deposuerant de capite ejus cum crucifigeretur, iterum imposuerunt & aptaverunt capiti suo sacratissimo: quæ tam fortiter pupugit reverendum caput ejus, ut oculi sui repleti fuerint illicò fluente Sanguine. Aures quoq; obstruebantur, & facies & barba quasi tegebantur, & intincta erant illo roseo Sanguine: & statim illi crucifixores & milites amoverunt velociter omnes tabulas illas, quæ adhærebant Cruce; & tunc reman-

sit

Philosophia Christiana. CCXXVII

fit Crux sola & alta, & Dominus crucifixus in illa. Cùmquè Christi famula Brigitta respiceret crudelitatem crucifixorum, vidit etiam tunc Matrem ejus mæstissimam in terra jacentem, & quasi trementem & semimortuam, quam consolabantur Joannes & aliæ sorores ejus, quæ tunc stabant non longe à Cruce ad ejus partem dexteram. Dolor igitur novus compassionis illius sanctissimæ Matris intantum transfixit Sanctam Brigittam, ut quasi sentiret, quòd cor suum pertransibat quidam gladius acutus importabilis amaritudinis. Surgens tandem tunc illa Mater ejus dolorosa, (*inquit Sancta Brigitta*) quasi exinanita corpore, respexit ad Filium suum; & sic stabat sustentata à sororibus tota stupore suspensa, & velut mortua vivens gladio doloris transfixa. Quam cùm Filius respexisset, & alios amicos plorantes, voce flebili commendabat eam Joanni: & benè cernebatur in voce ejus & gestu, quòd cor ejus ex compassione Matris penetrabatur acutissimâ sagittâ doloris immensi. Tunc autem oculi ejus amabiles & decori apparebant semimortui: os ejus erat apertum & sanguinolentum, vultus pallidus & submersus, totusquè lividus & intinctus Sanguine. Corpus quoque totum erat quasi lividum & pallidum, & languidum valdè ex continuo fluxu decurrentis Sanguinis: cutis etiam & caro illa virginea sanctissimi corporis ejus ita delicata & tenera erat, ut ex modica percussione illata signum lividum exterius appareret. Aliquando verò conabatur ipse extensiones facere in Cruce, præ amaritudine nimia (quam

sentiebat) intensi doloris . Nam quandoque dolor de membris ejus & venis perforatis ascendebat ad cor , & vexabat eum crudeliter intenso martyrio ; & sic mors ejus prolongabatur & dilatabatur cum tormento gravi & ingenti amaritudine . Tunc igitur ille anxius præ nimia doloris angustia , & vicinus jam morti, *primò* ad Patrem clamabat alta voce & flebili, dicens : *O Pater , quare dereliquisti me ?* Habebat & tunc labia pallida , & linguam sanguinolentam , & ventrem ita submissim coherentem dorso , ac si nulla intus habuisset viscera . *Secundò* quoque clamavit iterum cum anxio dolore maximo : *O Pater , in manus tuas commendo spiritum meum :* & tunc caput ejus erigens se , aliquantulum statim inclinavit se , & sic emisit spiritum . Quæ tunc Mater ejus videns , tota contremuit præ immensa amaritudine volens cadere in terram , nisi quoddam sustentabatur ab aliis mulieribus . In illa igitur hora manus illius aliquantulum se retraxerunt à loco perforationis clavorum , præ nimio pondere corporis ; & sic corpus ejus quasi sustentabatur à clavis , quibus pedes crucifixi erant . Digni autem & manus & brachia magis jam extensa erant , quàm ante : scapulæ verò & dorsum ejus quasi stringebantur ad crucem . Tunc denique circumstantes Judæi irridentes clamabant , contra Matrem ejus multa dicentes . Alii namque dicebant : *Maria , jam mortuus est filius tuus ?* Alii verò dicebant verba irrisoria . Et sic stantibus turbis in circuitu, [d] venit unus accurrens

cum furia maxima, & infixit lanceam in ejus latere dextro tam vehementer & validè, ut quasi per aliam partem exanimi corporis lancea voluerit per transire. Et cum extraheretur lancea de corpore ejus, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluvius Sanguinis: ferrum verò lanceæ & aliqua pars hastæ rubicunda exibat de corpore, & intincta Sanguine sacro. Quæ videns Mater ejus, ita vehementer contremuit cum amaro gemitu, ut benè cerneretur in ejus facie & gestu, quòd anima ejus tunc penetrabatur acuto doloris gladio. His autem expletis, [e] cum turbæ multæ recederent, deposuerunt de cruce Dominum quidam amici ejus. Quem tunc pia Mater recepit inter sua brachia sanctissima, & reclinavit eum sedens in genu suum, totum vulneratum, dilaceratum & lividum: & tunc Mater ejus mæstissima terisit cum linteo suo totum corpus ipsius & vulnera, clausitque ejus oculos, deosculando eos, & involuit eum in sindone munda: & sic duxerunt eum cum planctu & dolore maximo, & posuerunt eum in sepulchro. *Hactenus S. Brigitta de mysteriis amarissime Passionis Dominica.*

III. *Afferuntur Revelationes de Passione Domini nostri Jesu Christi, factæ ab eodem Beata Mechthildi, Sancta Elisabetha, & Sancta Brigitta. Qui ista dicit verba, quæ sequuntur.*

Ego fui levatus à terra cum crinibus & fune, 23.

CCXXX Prefatio ad Lectorem

Angustatus & excruciatuſ fui,	170.
Ligatuſ ad columnam, caeuſ fui plagis	6660.
Cecidi in terrã ab horto uſq; ad domum Annæ,	7.
Cecidi in itinere eundo ad montem Calvariaë,	5.
Colaphi quibus fui perceſſuſ in facie, erant	102.
Guttæ ſanguiniſ in ſumma erant ſparſæ,	118225.
Pugni, quibus caeuſ fui in facie, erant	20.
Percuſſiones in tibiis erant	32.
Percuſſiones mortales	19.
Percuſſiones in pectore & in capite	28.
Vulnera groſſiora aliis erant	72.
Puncturæ mille, ex quo fuit detracta & pluries impoſita corona ſpinea,	1000.
Impulſiones cum calcibus fuerunt	140.
Suſpiria emiſſa foras ex pectore	190.
Impulſio cum calcibus fuit una mortaliſ, ad co- lumnã illata,	1.
Aliæ impulſiones mortales fuerunt	3.
Sputa, cum eſſem diſtenſuſ in terra ſuper Cruce, fuerunt	73.
Militeſ contra Chriſtum armati erant	188.
ſpectatoreſ populi Judæorum erant	230.
Lictoreſ qui Chriſtum ligatum ducebant,	3.
Vulnera livida fuerunt in ſumma	1199.
Diſtractuſ, & dilaceratuſ in barba	78.

*ſequuntur aliæ Revelationeſ factæ à Chriſto cui-
dam perſonæ devotæ.*

Vulnera in capite fuerunt numero

3.

Pu-

Pugni super oculos inflicti	3.
Pugni super buccam, propter quos effluxit Sanguis per buccam & nasum, & commossi sunt duo dentes, fuerunt	5.
Corona spinea imposita capiti, fuit percussa arundine & baculis, vicibus	40.
Detracta & reimposita corona osties	8.
Spinæ, quæ transfixerunt os capitis, & penetrarunt usque ad cerebrum, erant	5.
Spinæ, quæ remanserunt ruptæ in cerebro usque post mortem, erant	3.
Guttæ Sanguinis, quæ profluxerunt per puncturas spinarum, fuerunt	3000.
Sputa in facie fuerunt	100.
Tractus fuit per nasum vigesies	20.
Tractus fuit per aures trigesies	30.
Percussiones supra dorsum ejus fuerunt	25.

Porrò tres sunt majores dolores, quos Christus habuit in sua Passione.

Primus dolor, est parvus fructus, quem habebat

facere suus Sanguis.

Secundus dolor est, dolor Matris suæ quæ erat præsens.

Tertius dolor sui Corporis, tracti cum funibus per manus & pedes ad affigendum Cruci, tam immanis fuit, ut se disjunxerint omnes juncturæ sacratissimi Corporis sui. Et tunc adimpletum est dictum Psalmi: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.*

*Compendium gratiarum cælestium, quas
Christus Dominus concedit illis qui
meditabuntur, vel habebunt memo-
riam suæ passionis & vitæ.*

Dominus noster Jesus Christus cuidam Servo suo devoto revelavit ore proprio, quod quælibet persona, quæ libenter legerit & revoluerit mente mysteria Passionis suæ, recipiet postea ab ipso istas particulares gratias.

Prima est, quod obtinebit plenariam Indulgentiam suorum peccatorum: & totum id quod per negligentiam omiserit, restituetur ei propter merita mea.

Secunda, quod ita confortabitur ad resistendum suis inimicis, ut nequeant reportare aliquam victoriam: & si contigerit eum per fragilitatem cadere, nihilominus submittam manum meam dexteram, ut ipse non pereat.

Tertia, quod accipiet fortitudinem acquirendi diversas virtutes, & cuncta opera bona.

Quarta, quod pro qualibet licet minima meditatione, quam ille fecerit de Passione mea, semper anima sua multiplicabit in seipsa gradus divinæ gratiæ meæ.

Quinta, quod libenter manebo & assistam ei, qui devote meditabitur Passionem meam.

Sexta

Philosophia Christianæ. CCXXXIII

Sexta, quòd nonnunquàm dabo ei altissimam cognitionem divinorum mysteriorum: & revelabo ipsi secreta mihi manifesta à Patre æterno.

Septima, quòd ante mortem suam faciam eum amicum meum: & post mortem præmiabo illum gloria cælesti cum aliis meis caris amicis.

Octava, quòd non denegabo ei ullam gratiam, quam petet à me rationabiliter, & convenienter.

Nova, quòd assistam ei personaliter in hora mortis suæ, & illum defendam ab inimicis suis: & reddam eum certum & securum de vita æterna.

*Sententiæ de utilitate meditationis
Passionis Dominicæ.*

Licet B. Albertus Magnus asserat, quòd simplex recordatio & meditatio Passionis Christi pluris æstimanda sit, quàm uno anno integro jejunare in pane & aqua, flagrisquè in dies ad sanguinem usque diverberare, ac Psalterium integrum quotidie recitare. Nihilominus S. Bernardus in sermone habito feriâ quartâ hebdomadæ sanctæ num. II. sic ait: *Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio, ut sequar vestigia Christi. Alioquin etiam exquiretur à me Sanguis justus, qui effusus est super terram, &c.* Item sermone 2. in Cæna Domini num. 6. sic ait: *Dignum est & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri; passo, mortuo, & sepulto Christo. Ad hoc enim facta sunt*

CCXXXIV *Præfatio ad Lectorem*

hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere; debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Hactenus S. Bernardus.

Recordatio Passionis Christi est efficacissimum auxilium in omni infirmitate spirituali, maximè autem in articulo mortis, ad effectum transeundi de hoc mundo in gratia Dei.

Præservat à pœna Purgatorii, & subministrat gratiam liberandi ex illo animas, quotiescunq; offeruntur Deo, tanquam Sacrificium, mysteria Passionis Dominicæ.

S. Bernardus consumebat totam vitam suam in isto exercitio sancto, & mediante illo pervenit ad summam perfectionem.

S. Franciscus acquisivit perfectionem & sanctitatem vitæ, jugiter meditando Crucifixum.

S. Bonaventura dicit, quòd inter alia magis utilia & efficacia exercitia spiritualia, sola & unica est consideratio vitæ & passionis Salvatoris nostri.

S. Augustinus dicit, quòd meditatio passionis Dominicæ est remedium efficacissimum contra tentationes: dat gratiam & fortitudinem in tribulationibus & adversitatibus sustinendis: causat compunctionem de peccatis, & spem de indulgentia, etiam si forent gravissima & enormia: purgat, & sanat à vitiis; & passionibus vitiosis licet radicatis in anima: depellit omnem pigritiam ab animo, & efficit ut serviamus Deo cum fervore. Nulla oratio magis inflamat animas nostras ad amandum Deum, quam

quàm fervens meditatio vitæ & passionis Christi.

S. Bonaventura dicit, quòd meditatio passionis Dominicæ replet animam tanta consolatione spirituali, illamquè extollit ad contemplationem Dei, ut non sentiat amplius delectationem terrenam: & quòd non intratur per aliam portam ad felicitatem æternam, quàm per portam passionis Christi. Et qui cogitat aliter intrare, perdet iter: quia sine recordatione passionis Dominicæ est vanum & erroneum quodcunque medium. In summa concludunt omnes Doctores, & Sancti Patres, quòd hæc recordatio est clavis & porta ad intrandum in Paradisum cælestem.

Sciendum autem est, quòd præinsertæ Revelationes, & Compendium gratiarum cælestium, & Sententia de utilitate meditationis Passionis Dominicæ, descripta sint ex Tabella appensa Cappellæ SS. Crucifixi in Ecclesia Aracalitana Ordinis S. Francisci Roma, & ex idiomate Italico in latinum translata per Authorem hujus Philosophiæ Christianæ. Caterùm pro majori notitiâ legantur Libri suprascriptarum trium Sanctarum, quibus Revelationes factæ à Christo referuntur. Et primò quidem B. Mechtildis Virginis, Monialis Ordinis S. Benedicti Liber gratiæ spiritualis, Secundo, S. Elisabetha de Schonaugia Virginis Monialis Ord. Cister. Libri tres Revelationum: de quibus mentionem facit Card. Bona in Notitiâ Auctorum initio Libri de Divina Psalmodia, & ibid. cap. 16. §. 5. n. 2. Tertio, S. Brigitta Vidua Suecæ Revelationes sunt, quæ comprehenduntur octo Libris: quas maturo

Theo-

Theologorum judicio approbatas esse testatur Card. Bona in Notitia Auctorum . Has autem Revelationes S. Brigittæ Confessarius Petrus Olanus Ord. Cisterciensis in linguam latinam transtulit . Fueruntquè confirmatæ à Summis Pontificibus Bonifacio IX . & Martino V.

2. XVIII.

De immensitate dolorum Deiparæ, quos sustinuit in passione Filii sui: quibus excitamur non solum ad compatiendum Matri ejus dolorosæ, sed etiam ad meditandum mysteria passionis Christi.

Gemitus matris tuæ ne obliviscaris . *Eccl. 7.*

Proœmium .

B*ea Virgo Maria omnium fidelium mater fuit constituta tunc, quando Christus filium illi substituit Joannem per illa verba: Mulier, ecce filius tuus. Ita Rupertus (a) expendens illa verba: Mulier cum parit, tristitiam habet. Proinde, inquit, quia ibi dolores ut parturientis sustinuit in passione Unigeniti sui, omnium nostrum salutem B. V. peperit, & facta*
pla-

a. *Rupert. apud Novatum Tom. 1. de Eminent. Deip. cap. 18. quæst. 25. pag. 399.*

planè est omnium nostrùm mater. *Et S. Bernardinus* (b) ait: *Mulier ecce filius tuus*: ut exclusa omni superfluitate verborum, secretum mysterii penetremus. Mysticè igitur in Joanne intelligimus animas electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est mater. Ipsa utiq; Virgo Mater, (c) quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eundem Unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur; omniumquè in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa non tam mater quàm nociva, quæ filiis antè propinavit præjudicium mortis quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viventium, sed inventa est veriùs interfecitrix viventium, seu genitrix morientium; cùm suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia Eva non potuit fideliter interpretari nomen suum, idè Virgo Mater implevit mysterium: quæ & ipsa sicut Ecclesia (cujus forma est) mater est omnium ad vitam resurgentium. Mater siquidem est Vitæ, quâ vivunt universi: quam dum ex se genuit, nimirùm omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodò regeneravit. Unus quidem generabatur, sed omnes regenerabamur: quia videlicet secundùm rationem seminis, quo generatio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Porro Beata Mater Christi, (d) quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii, curâ

b Bernard. Senens. Tom. 1. Serm. 55. de Passione Christi.
c Guericus Abb. Igniacen. Ord. Cist. Ser. 1. in Assumpt. B. M. n. 2. p. 1243. tom. 6. Operum S. Bern. d Idem ibidi nu. 3.

curâ quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui: cujus viscera semel quidem facta, sed nunquam effacta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Vide autem si non & filii Matrem videntur agnoscere, (e) dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus primò vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam parvuli ad sinum matris. Unde nimirum de his filiis puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam Isaiam promissum est ei: *Habitabunt in te filii tui*: salvo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc propheta principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectioneq; ipsius commoramur, tanquam sub umbra alarum ejus: & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. *Item Guillelmus affirmat, (f) B. Virginem in matrem fidelium evasisse eo tempore, quo Christum corporaliter peperit. Ita enim scribit: In uno Salvatore omnium JESU plurimos Maria peperit ad vitam. Eo ipso quod Mater est capitis, multorum membrorum mater est. Mater Christi, mater est membrorum Christi, quia caput & corpus unus est Christus: corporaliter caput parturiendo, spiritualiter membra peperit. Unde etiam ab omnibus Mater appellatur, & ab omnibus cultu debito ut Mater honoratur. Sic enim canimus in Hymno: Monstra te esse Matrem, &c. Ejusdem etiam sententia*

• *Idem ibid. nu. 4. f. Guillel. in exposit. illor. verb. Cant. 4. Emiffiones tuæ paradifus.*

tiæ videtur esse S. Ambrosius, (g) cum inquit: Eja,
 charissimi, omnes nunc gaudeamus, nunc omnes
 gaudento dicamus: Benedictus frater, per quem
 Maria est nostra mater: & benedicta Mater, per
 quam Christus est noster frater. *Id ipsum S. Bona-*
ventura devotè perpendit in Speculo, (h) ubi sic ait:
 Sed numquid solius Christi Mater est Maria? Imò
 certè, quod jucundissimum est, Maria non solum est
 Mater Christi singularis, sed etiam est mater omnium
 fidelium universalis. *Hoc quoque constat ex revela-*
tione facta famula sua Brigittæ à Beata Virgine Ma-
ria, (i) qua ita ei dicit: Ego sum Mater omnium
 peccatorum se volentium emendare, & habentium
 voluntatem in Deum ampliùs non peccare: & sum
 voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem
 accipere, sicut charitativa mater, dum videret fili-
 um unicum ab inimicis acutos gladios habentibus
 sibi occurrere. Nonne tunc ipsa opponeret se peri-
 culis viriliter, ut filium suum de manibus inimico-
 rum suorum liberaret & eriperet, & in sinu suo gau-
 denter conservaret? Ita facio, & faciam ego omni-
 bus peccatoribus, misericordiam meam à Filio meo
 petentibus cum vera contritione, & divina dilectio-
 ne. *Id etiam Christus confirmat, (k) dum ad spon-*
sam suam Brigittam loquitur sic: Et Maria Mater
 mea propter compassionem & charitatem facta est
 est mater omnium in cœlis & in terris. *Ex quibus*
verbis

g S. Ambros. ser. de Annunc. B. V. M. h S. Bonaven. relatus
 à Noyato Tom. 1. de Eminen. Deip. cap. 18. quest. 25. pag. 400. i
 Lib. 4. Revel. S. Brigittæ, cap. 128. pag. 378. k Lib. 8. Revelat. cap. 12.
 pag. 655.

verbis colligitur, Beatam Virginem tunc constitutam esse matrem omnium fidelium à suo Filio, quando stabat juxta Crucem ejus lachrymosa. Nunc jam libet cogitare quantus dolor adfuit Virgini Matri.

I. Consideratur immensitas doloris Deipara ex prophetia Simeonis, qui aperte pronuncians Jesum esse natum in signum cui contradicendum erit, ad Mariam Matrem ejus sic dicebat: Positus est hic in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Hæc verba exponens S. Bernardus, (1) inquit: Martyrium sanè Virginis in Simeonis prophetia commendatur: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertransivit. Alioquin non, nisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquàm emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius planè non attigit Animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum Anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam tanta vis doloris, ut plus quàm martyrem non immeritò prædicemus: in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. Non miseris, ô homo, (m) quoddam Mariæ martyr in anima fuisse dicatur. Miletur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima Gentium crimina memorantem, quoddam sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus. Sed fortè quis dicat: Super hæc doluit Crucifixum? Et vehementer. Alioquin

1 S. Bern. Ser. 1. de Virg. Deip. num. 14. in Idem ibid. num. 15

quin quisnam tu, aut unde tibi hæc sapientia, ut miseris plùs Mariam compatiens, quàm Mariæ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit. Mater erat laniata [n] morte chari pignoris. Mente Mater erat percussa cuspide teli, quo membra Christi servi foderunt impii. Ipsa enim erat, quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immensi dolores, nec poterant tunc extrâ refundi. Intùs atrociùs sævientes dolores Filii, Matris animam gladiabant. *Guillelmus* [o] *etiam sic ait*: Planè gladius acutissimus dolor Dominicæ passionis animam piæ Matris penetrans, atque transverberans, eam spiritualiter commori Filio fecit. Martyres alii fuerunt moriendo pro Christo, hæc commoriendo Christo martyr fuit, & commartyr Christi: illorum corporale, Matris spirituale. *S. Ildephonsus* [p] *hæc habet*: Quòd si gladius usque ad animam pervenit, quando juxta Crucem stetit videns Dominum pendentem, etiam plùs quàm martyr fuit: quia in animo non minus amoris quàm mæroris est intùs gladio vulnerata. *Et clariùs S. Hieronymus* [q] *loquitur sic*: Alii Sancti passi sunt pro Christo in carne: sed Beata Virgo in ea parte sui passa est, quæ immortalis habetur. Et ideo, ut verum fatear, quia spiritualitet & atrociùs passa est gladio passionis, plùs quàm martyr fuit. *Dic nobis S. Pauline,*

quis

n *Idem Serm. de Lament. V. M. nu. 7.* o *Guillel. in exposit. illor. verborum Ascensus purpureus Cant. 3. p. S. Ildeph. Ser. 2. de Assumpt. B. M. V. 9. S. Hier. Ser. 4. de Assumpt. B. V. M.*

ccxxxvi *Prefatio ad Lectorem*

quis ex hoc gladio dolor? Is idem dolor, (r) qui Christi corpus in Cruce transfodit, cor adstantis Virginis animumquè confixit. *Sancte Damascene quis dolor?* Quo viscera (s) sibi lacerari sensit, intimèquè discerpi. *Sancte Anselme quis dolor?* Tam immanis erat, (t) ut quidquid crudelitatis inflictum est Martyrum corporibus, huius compassione dixeris vel leve fuisse, vel nihil. *Sancte Bernarde quis dolor?* Nec lingua poterit loqui, (u) nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc solvit Virgo cum usura, quod in partu non habuit à natura. Dolorem pariendo Filium Mater non sensit, quem millies replicatum Filio moriente sustinuit. Dicat qui potest, cogitet quantum potest, meditetur si potest, quæ doloris immensitas tunc maternam animam cruciabat? Non credo plenè enarrari vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Verumtamen rectum erat amoris & mæroris continens modum. Non desperabat, sed piè & justè dolebat; sperans tamen firmiter, fortiterquè tenens ipsum secundum promissum suum tertia die resurrecturum. *Sancte Ildephonse quis dolor?* Dolor [x] quo plùs quàm martyr effecta est. *Sancte Bernardine (y) quis dolor?* Tantus fuit dolor Virginis, ut si in omnes creaturas quæ pati possunt, divi-

r S. Paulin. in epist. ad S. Augus. s S. Damasc. lib. de Fide, Orthodox. cap. 15. t S. Anselm. de excell. V. M. cap. 5. u S. Bern. de Lament. R. V. nu. 8. & 11. x S. Ildephons. Ser. 2. de Assum. B. M. y S. Bernardin. serm. 1. Ser. 16. art. 3. cap. 2.

Philosophiæ Christianæ. ccxxxiii

divideretur, omnes subito interirent. *Beate Adalberte Magne* (z) *quis dolor adfuit Virgini Matri? Vitam ei ademisset, nisi fuisset corroborata divinitus. Sancte Thoma Angelice Doctor dic nobis, qualenam Virgo Mater meritum habuit ex dolore, quem sustinuit in passione Filii sui?* (a) Rosa significat Martyres per effusionem sanguinis, qui habet colorem rubeum: Deipara verò habuit meritum Martyris, mortem crucis cum Filio patiendo. *Sanctus Bonaventura Virginem Mariam juxta Crucem stantem* (b) *sic alloquitur: O mira res! ô stupendum prodigium! Tota quippè es in vulneribus Jesu Christi, & totus Jesus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui.*

II. *Consideratur immensitas doloris Deiparæ ex verbis sancti Evangelii secundum Joannem, qui sic dicit: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus, &c. Hæc verba exponens Sanctus Bernardus* (c) *sic ait: Stabat juxta Crucem Maria Mater intuens vultu benigno Christum pendentem in patibulo, pedumquè summitatibus innitens manus levabat in altum, amplectens rubricatam Crucem, ac in oscula ejus ruens ex ea parte, quâ unda pretiosissimi Sanguinis defluebat. Sursùm manus nisu quo poterat extendebat, Unicum suum Filium amplecti desiderans: nec valebat. Superat enim amor multa, quæ nunquam vel rarè fieri possunt: impatiens siquidem amor credit, quòd sibi debeant cedere universa.*

z *H. Albert. Ser. super Missus est.* a *S. Th. in explicat. verborum Eccl. 24. Quasi plantatio rosæ in Jericho.* b *S. Bonavent. in Stimulo amoris cap. 4. de plañctu Virg.* c *S. Bern. de lament. V. Ad. num. 8.*

CCXXXIV *Prefatio ad Lectorem*

Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustra protensa, in se complosæ redibant complexæ. Levabatur à terra sursùm, ut dilectum suum Filium contingeret: ipsumquè tangere nequiens, durissimè recollidebatur ad terram. Ibi doloris immensitate oppressa, prostrata jacebat: sed maxima vis amoris, quâ incensa mens ejus ardebat, eam erigere compellebat. Unde amoris impetu surgens, rextensis manibus suum atrectare Filium affectabat: sed rursùm magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur. O quàm malè tunc illi erat! Gravius illi erat vita vivere tali, quàm diro gladio sævè necari ab impiis. Tanquàm mortis pallor ejus vultum perfundebat, genis & ore tantùm cruore Christi rubentibus; cadentes guttas Sanguinis ore sacro tangebant, terram illam deosculans sæpissimè, quam cruoris unda perfundebat. O grave martyrium! O frequens suspirium! O languens pectus virgineum! Anima ejus liquefacta est: facies quidem pallet rosea, sed pretioso Filii Sanguine rubet resperfa. Quoties denique ipsam(d) propter verecundiam virginalem pariter & immensitatem doloris (ut æstimo) capite coperto ingemuisse putas lugendo Filium, & dicendo: *Fili mi Jesu, Jesu Fili mi, quis mihi det., ut tecum & propter te moriar. Fili mi dulcis Jesu?* Quoties ipsam præ immensitate doloris credis potuisse deficere, à quo ipsam summè miror etiam mortuam non fuisse. Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Sed ne moriendo deficeret, à

Filio

d. *Idem tract. de vite moysi, cap. 10. num. 46.*

Philosophia Christianæ. CCXXXV

Filio pro ipsa mortalitate confortata est. Confortata est intrinsecus, exterius verò & verbis & factis pie consolata. Quomodò autem *stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus*? Verè juxta Crucem stabat, quia crucem Filii præ cæteris Mater majore cum dolore ferebat. Stabant & aliæ mulieres: sed proxima stabat Mater ejus. Planè Mater, (e) quæ nec in terrore mortis Filium deserebat. Quomodò enim morte terreri poterat, cujus charitas fortis ut mors, imò fortior quàm mors erat? Planè juxta Crucem Mater stabat, cujus mentem dolor crucis simul crucifigebat: suamquè ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filii cernebat vulneribus. Meritò igitur ibi agnita est Mater, & cura ipsius idoneo tutori delegata est, ubi maximè probata est & Matris ad Filium sincera charitas, & Filii de Matre vera humanitas. Est enim sagitta electa amor Christi, (f) quæ Mariæ animam nonmodò confixit, sed etiam pertransivit: ut nullam in pectore Virginali particulam vacuum amore relinqueret, sed toto corde, totâ animâ, tota virtute diligeret. Et idèd (g) in Deipara omnium virtutum aromata pilo tribulationis ad præclaram redolentiam in pulverem erant contusa, quia cunctis Filii perpeffionibus materno affectu communicabat. Horum aromatum duo præcipuè nominantur, nimirum myrrha sacri doloris, & thus pii amoris. Quantum amabat, tantum

q 2 cum

e *Guerricus Abb. Igniacen. discipulus S. Bev. Ser. 41. de Assumpt. B. M. num. 1. 107. 6. Operum S. Bev. pag. 1252: f S. Bev. 17. Ser. 29. in Can num. 8. g Rupert. Abb. in illud Cant. 3. Quæ est, ista &c.*

CCXXXVI *Præfatio ad Lectorem*

tum in Filii passione dolebat, atque ita thus & myrrham æqualiter spirabat. *Eleganter huiusmodi Deipara affectus prosequitur Sanctus Bernardus, (h) inducens eam sic alloquentem Filium Dei & suum in Cruce pendentem: Fili mi, Fili mi, amor unice, Fili dulcissime, noli me derelinquere post te: trahere me ad teipsum, ut & ego moriar tecum. Malè solus moreris: moriatur tecum ista tua genitrix. O mors misera, noli mihi parcere! quia tu mihi sola places: exaggera vires, crucida Matrem, Matrem cum Filio perime simul. Fili dulcor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne solatium, fac ut ego ipsa tecum moriar, quæ te ad mortem genui: sine Matre noli mori. O Fili, recognosce miseram, & exaudi precem meam! Decet enim Filium exaudire Matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, ut qui una carne vivunt, & uno se amore diligunt, una morte pereant. O Fili charissime, (i) ô benignissime nate, miserere Matri tuæ, & suscipe preces ejus! Desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Suscipe Matrem tuam in Cruce, ut vivam tecum post mortem semper. Nihil mihi dulcius est, quàm te amplexato in Cruce tecum mori: & nihil certè amarius est, quàm vivere post tuam mortem. O vere Dei nate, tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi filius, tu mihi sponsus, tu mihi anima eras: nunc orbor patre & matre, viduor sponso, desolor filio, omnia perdo! Et*

San-

h. S. Bern. de lament. V. M. ann. 4. i. Ibidem num. 5.

Sanctus Bonaventura (k) Virginem Matrem sic loquentem ad Filium introducit: Vivere sine te mors mihi est: tecum ergo vellem ligari, tecum a lapidibus cædi, tecum flagellari, spinis coronari, & breviter omni tuo vulnere vulnerari. Non possum sine vulnerare stare: te enim intuens, ô dulcissime Fili, vulnerantur tota viscera præ nimio dolore. Te video sic crudeliter vulneratum, te ab amicis derelictum, te facie lividum, te in medio latronum pendentem. Heu Fili mi! heu me dolentem! quid faciam? Quare me permittis stare juxta Crucem, & te videre in Cruce? O care Fili, quare non acquiescis petitioni infelicissimæ Matris? Quare vis sine Matre stare in Cruce? Nonne cor meum tecum est? Summe ergo & corpus meum, ut ambo in Cruce moriamur. O Fili mi, (l) ultrà quid faciam? Væ mihi! væ mihi! Quod vadam charissime? ubi me vertam dulcissime? quis mi de cætero consilium & subsidium præstabit? Fili dulcissime, omnia tibi possibilia sunt: sed & si non vis ut moriar tecum, mihi saltem relinque aliquod benignum consilium.

III. *Consideratur immensitas doloris Deiparæ ex Evangelii verbis sequentibus: Cùm vidisset ergo Jesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Quantus in ipso fuerat (m) circa Matrem suam charitatis affectus jam corporaliter recessuro, brevibus intimavit verbis,*

*k S. Bonavent. de planctib. V. M. l. S. Bern. de lament. V. M. nu. 5.
m Idem tract. de Visu myst. cap. 20. nu. 77, 46.*

CCXXXVIII *Præfatio ad Lectorem*

dicens: *Ecce filius tuus*. Et ut Crucis suæ taceam passionem, quanta circa beatam Matrem compassione mutua credis fuisse cor ejus, cujus mitissimum tam valido doloris sui gladio transverberatū cor perfectè sciebat; adauxit vulnerum passionem materna compassio, cum Matrem contritissimo corde, manibus complofis, oculis lachrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querula, & totis viribus cordis destitutam videret viriliter adstare sibi pendenti in Cruce. O dolores inexplicabiles! (n) ô ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur Matri: Mater verò compassa est patienti Filio. Tantus nempè impetus passionis Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem: quia (teste Psalmista) de torrente passionis in via bibit, ut sic Christo impleto, in Matrem flueret compatientem; quâ similiter impletâ, ad Filium redundaret inundatio amaritudinis & æroris. Gemebat Filius, (o) quòd Mater in tam horrendo esset spectaculo. Et ad cor Virginis loquebatur dicens: Ut quid venisti columba mea, formosa mea? Dolor tuus meum auget dolorem, cruciatus tuus transfigit me. Porro (p) Filius Virginem alloquitur: Tactus sum intrinsecus dolore, cum viderē te dolentē pedēs in Cruce, in uno oculorū, id est in uno materno affectu; & in uno crine colli tui, id est in uno ornamento humilitatis, quo mihi inhæstisti ut collum capiti. Quodāmodò crucifigebatur & Maria, (q) cum Fili-

n S. Bernardin. *Homil. sup. Evang. verba*: stabant juxta Crucem.

o S. Laurent. Justin. *lib. de triumphali agone cap. 11.*

p Honorius Augustodunens. *in Opusc. de Sigillo B. M. V. in verba Cant. 4. Vulnerasti cor meum &c. q Joann. Lansperg. Homil. 48.*

Filium suum crucifigi videret, novamquæ crucem Christo inferebat. Tunc (r) compatiébatur Filius Matri compatiénti sibi: cōmota sunt quippè omnia viscera ejus super Matre sua. Sciebat enim ipse angustias materni cordis, & (ut dicit Damascenus) quia dolores, quos ipsa in sua parturitione non senserat, nunc geminabantur sibi in ejus passione; ideoq; & ipse geminum dolorem patiebatur, scilicet crucis & Matris. Intantum Virgo compassa est illi, [s] ut si fieri potuisset, omnia tormenta quæ Filius pertulit, ipsa multò libentiùs sustinuisset. Proinde [t] speciali quodam splendore in Maria coruscat martyrìum cordis. Martyrium sanè Virginis [u] in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. An non ei plùs quàm gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritùs: *Mulier, ecce filius tuus: ecce mater tua?* O commutationem! Joannes illi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomoddò non suam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licèt saxea, licèt ferrea pectora sola recordatio scindit? Dum autem hæc diceret Jesus, [x] tunc illi duo dilecti (*Maria & Joannes*) lachrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virgines audiebant Christum voce rauca & semivi-

r *Rodulph. in Vita Christi par. 2. cap. 63.* s *S. Bonavent. in l. sentent. distinct. 46. quæst. ult.* t *S. Bern. Ser. 1. de Virg. Deif. num. 7.* u *Ibid. num. 14.* x *Idem de lament. V. M. num. 7.*

va loquentem, ipsum videbant paulatim morientem: nec ei poterant respondere verbum, quia illum videbant quasi jam mortuum. Erant enim illi duo quasi jam mortui, unde spiritus illorum voces exhalare nequibant. Defecerant spiritus illorum, & virtutem loquendi amiserant. Audiebant, & tacebant: quia præ angustia loqui non poterant. Solus illis dolor luctusque remansit amicus. Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolabant. Nam gladius mortis Christi animas utrorumque transibat. Transibat sævus, sævus perimebat utrumque Cæterùm Mater quò magis amabat, eò sævior fiebat in Matre dolor. Vulnere Christi moriētis, erant vulnere Matris dolentis. *B. Ephrem inducens Virginem plangentem & lamentantem*, [y] sic ait: Cùm gravibus suspiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis exclamavit dicens: Fili mi dulcissime, Fili mi, & Deus meus, deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclavatum, plagisque plenum. O Simeon admirande! en nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum trajiciendum. Ecce gladius, ecce vulnus, Fili mi & Deus meus! Tua mors cor meum subiit, viscera mea sunt disrupta, & pectus meum gravis pertransivit gladius. O Domina, (z) quot fontes lachrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cùm attenderes unicum Filium tuum innocentem coram te pendentem, & morientem in Cruce?

§. XIX.

y *B. Ephrem. Serm. de laments. Virg. z. S. Anselm. de compass. Virginis.*

§. XIX.

De mysteriis dolorum Christi Domini, quos ipse ac ejus Mater revelârunt Sanctæ Brigittæ, ut eos semper in memoria retineret, & assidua meditatione revolveret.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis. *Matth. 11.*

I. **R**evelatio (a) non est aliud quàm infusio gratiæ spiritualis. Ad sunt revelationes, (b) sed in spiritu & virtute: ut tempori gratiæ quæ nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Nobis enim tantò efficacior gratia & revelatio dignior est, quantò nimirum excellentiora constat esse quæ expectamus. Denique (c) revelat Filius seipsum cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem sine dubio per Spiritum Sanctum, Apostolo teste qui ait: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* At verò dando Spiritum per quem revelat, etiam ipsum revelat. Dando revelat, & revelando dat. Porro revelatio quæ per Spiritum Sanctum fit, non solum illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem,

a S. Bern. *Epist.* 107. num. 9. b *Ser. de S. Martino.* num. 11.
c *Ser. 8. in Cant.* num. 4. & 7.

cclii *Prefatio ad Lectorem*

rem, dicente Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Profectò Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Enarravit, dixerim, non mihi misero & indigno, sed planè Ioanni amico Sponsi, cuius hæc verba sunt. Non solùm autem illi enarravit, sed & Ioanni Evangelistæ, utique discipulo quem diligebat Jesus. Placita enim fuit Deo & anima istius, digna prorsùs nomine & dote sponsæ, digna sponsi amplexibus, digna denique quæ recumberet super pectus Domini. Haussit Joannes de sinu Unigeniti quod de paterno hauserat ille. Nec solus ipse tamen haussit, sed & omnes quibus idem aiebat magni consilii Angelus: Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. *Haussit & Sancta Brigitta, cuius Revelationes non sunt ab homine, neque ab homine illas accepit, sed per revelationem Jesu Christi, ejusquè Matris. Profectò hæc sponsa Christi Brigitta tam feliciter quàm veraciter dicere potest: Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Item: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Haud dubium (d) quin secreta veritatis: à sapientibus & prudentibus, id est à superbis: & revelasti ea parvulis, hoc est humilibus. Et in hoc apparet, quòd veritas quæ superbis absconditur, humilibus revelatur. Sancta Brigitta quò abundantiores gratias accipiebat à suo cælesti sponso Jesu Christo, eò magis se humiliabat dicens:*

† S. Bern. tract. de grad. humilitatis sic ap. 1. num. 1.

cens: (e) O Domine mi, & Filius Virginis, quare dignatus es tu tam vilem viduam visitare, quæ sum pauper in omnibus bonis operibus, & modica in conscientiæ intellectu, & consumpta in omni peccato longitudine temporis? *Ad hæc verba Dominus benignè respōdit ei sic*: Ego te elegi sicut phœnicem, quæ cū senio gravatur, comportat in vallem stipulas ficas, inter quas comportat etiam stipulas unius arboris, quæ exteriùs est sicca ex natura & intùs calida, in quam primò venit calor, & ex Solis radiis incenditur, deinde ex ipsa omnes stipulæ accenduntur. Sic oportet te congregare virtutes, quibus renoveris quasi cælestis phœnix in rogo charitatis, & extendaris in altissimas intelligentias secretorum cælestium.

II. *Anno 1346. cū S. Brigitta Vidua Sueca hospitaretur in Monasterio de Alvestra Ordinis Cisterciensis, in Ostrogothia fundato per Suercherium Regem Sueciæ anno 1143. vocatis Claravallensibus Monachis discipulis Sancti Bernardi tunc viventis, essetquè raptā in altissimam contemplationem, apparuit ei Christus Dominus, præcipiens ut iret Romam his verbis*:

(f) Vade Romam, & manebis ibi donec videas Papam, & Imperatorem: & illis loqueris ex parte mea verba mea, quæ tibi dicturus sum. Venit igitur sponsa Christi Brigitta Romam anno ætatis suæ 42. & mansit ibi juxta præceptum divinum annis quindecim, antequam veniret Romam Urbanus Papa V. & Impera

pera

e *Lib. 2. Revelat. cap. 18. nu. 2. pag. 131. noviter impress. Monachis anno 1680. f. Ex Revelat. quæ committitur Extravagantes nu. 108. pag. 8. pag. 754.*

perator Carolus V. quibus obtulit revelationes pro reformatione Ecclesiæ, & Regulam. In illis siquidem 15. annis, quibus mansit Romæ ante adventum Summi Pontificis & Imperatoris, habuit multas revelationes de statu Urbis, in quibus arguebat Dominus noster Jesus Christus excessus & peccata inhabitantium Urbem, cum gravi comminatione vindictæ. Quæ relictis omnibus, (g) ex præcepto Domini ad Urbem peregrinata est, ubi & Crucifixus ei ardentè in Ecclesia S. Pauli oranti dignatus est loqui. *Non solùm autem ad præmissum effectum venit Romam S. Brigitta; iussa à Christo Domino, verumetiam ut excitaret in fidelibus memoriam quasi extinctam Passionis suæ, & inflammarentur frigidè eorum corda ad meditandum mysteria passionis Dominicæ, prout ipsa Deipara dignoscitur innuisse suæ famulæ Brigittæ his verbis: (h) Ut passio Filii mei reduceretur in memoriam, idèd verba Dei tibi divinitùs data venerunt in mundum. Cùm autem Sancta Brigitta amara illa omnia, quæ pro nobis pertulit Christus, semper in memoria retineret, & assidua meditatione revolveret, ipse revelavit ei modum colligendi fructum ex hac tam pia meditatione, dicens ei: (i) Ego sum Creator cæli & terræ, & illud quod consecratur in Altari est Corpus meum verum: idèd dilige me toto corde; quia ego dilexi te. Ego spontaneè tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei & Mater mea in amarissimo dolore & fletu. Licèt autem*

vide-

g Consal. Davant. Episc. Ferrari tract. de Visionibus cap. 10. in fine ex antiquiss. codice Revelat. S. Brigittæ. *h* Lib. 8. Revel. cap. 47. ante num. pag. 669. i lib. 1. Rev. pa. 11. ca. 22.

viderem lanceam, clavos, flagella, & alia passionis instrumenta præparata, processu nihilominus lætus ad passionem. Cùmquè caput meum esset undique coronâ spineâ cruentatum, & undique Sanguis flueret, & etiam si adhuc inimici tetigissent cor meum, magis hoc tamen paterer dividi & vulnerari, quàm te carere vellem. Propterea nimis ingrata esses, si me pro tanta charitate non diligeres. Si enim caput meum punctum est, & inclinatum in Cruce pro te; caput etiam tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti, & pleni lachrymis; idè oculi tui debent lachrymas fundere, & abstinere à delectabili visu. Et quia aures meæ implebantur Sanguine, & audiebant verba detractionis meæ; idcirco aures tuæ avertantur à scurrilibus & ineptis locutionibus. Quia os meum potatum est amarissima potatione, & prohibitum à bona; idè etiam os tuum obstruatur à malis verbis, & aperiatur ad bona. Et quia manus meæ extensæ sunt cum clavis, propterea opera tua quæ figurantur in manibus, extendantur ad pauperes, & ad præcepta mea. Pedes tui, id est affectus tui, quibus ad me ire debes, crucifigantur à voluptatibus. Et sicut in omnibus membris passus sum ego, sic omnia membra tua parata sint ad obsequiũ meũ: à te enim majus servitium exigo quàm ab aliis. *Ut autem magis confirmaretur S. Brigitta in hac devotione adeo essentiali, permisit Christus Dominus, ut ipsi appareret anima cujusdam Principessæ suæ amicæ, quæ referendo*

cclvi *Præfatio ad Lectorem*

do ei causam suæ salutis, ita dicit: (k) Appropinquante tempore mortis, venit mihi in mentem consideratio passionis Dei mei, scilicet quòd illa multò gravior & amarior erat, quàm mea angustia, quam propter demerita mea digna sum pati. Et ex tali consideratione obtinui lachrymas, ingemiscens quòd tanta charitas Dei erat erga me, & mea tam modica erga ipsum. Respexi enim eum tunc oculis conscientiaë meæ, & dixi: O Domine, ego credo te Deum meum, miserere mei Fili Virginis propter amarant passionem tuam: amodò enim ego libenter emendarem vitam meam, si haberem tempus. Et in illo puncto accensa fuit scintilla quædam charitatis in corde meo, quâ amarior videbatur mihi passio Christi, quàm mors mea: stando tota involuta his cogitationibus, soluta erat à vinculis mortalibus ista anima, quæ præsentata à spiritibus infernalibus coram æterno Iudice invenit misericordiam & clementiam. Quantùm autem se monstrat Redemptor misericordem & benignum erga illos, qui compatiuntur anxietatibus & amaritudinibus Christi Domini sui, tantùm se ostendit inexorabilem erga ingratos illos, qui agunt annos & vitam sine recordatione suæ Passionis.

III- Sancta Brigitta rapta in spiritu, [1] vidit palatium grande simile cælo sereno, in quo erat exercitus cælestis militiaë innumerabilis quasi atomi Solis, habens fulgorem sicut radii Solis. In palatio verò sedebat in throno mirabili quædam persona similis homini, incomprehensibilis pulchritudinis,

&

k Lib. 6. cap. 52. pag. 517. l Lib. 7. cap. 30. pag. 623.

& immensæ potentæ Dominus: cujus vestes erant mirabiles, & indicibilis claritatis. Sedensquè in throno, aperuit os suum, & dixit: Audite inimici mei in mundo viventes, quia ad amicos meos non loquor, qui sequuntur voluntatem meam. Audite omnes cujuscunque conditionis & gradus estis, magni & parvi qui inhabitatis orbem, verba hæc, quæ ego ipse qui creavi vos, nunc loquor ad vos. Ego conqueror adversum vos, quia recessistis à me, & dedistis fidem diabolo inimico meo: vos dereliquistis mandata mea, & sequimini diaboli voluntatem, & obeditis suggestionibus ejus: vos non attenditis, quòd ego æternus Deus & Creator vester descendi de cælis ad Virginem, sumens ex ea carne, & conversatus sum vobiscum. Ego per memetipsum aperui vobis viam, & ostendi consilia, per quæ iretis ad cælum. Ego fui nudatus, flagellatus, spinis coronatus, & ita fortiter extensus in Cruce, ut quasi omnes nerui & compagine corporis mei solverentur. Ego audivi omnia opprobria, & sustinui contemptibilissimam mortem, & amarissimum cordis dolorem pro salute vestra. Hæc omnia, ô inimici mei, non attenditis, quia decepti estis. Portatis jugum & onus diaboli cum suavitate fallaci, & nescitis, nec ista sentitis, antequam dolor super onus interminabile appropinquat. Nec sufficiunt vobis ista: sed & tanta est superbia vestra, ut si possetis ascendere super me, libenter faceretis. Tantaquè est vobis voluptas carnis, ut libentiùs velletis carere me, quàm dimittere inordinatam delectationem vestram.

cclviii *Præfatio ad Lectorem*

stram. Insuper cupiditas vestra est insatiabilis, quasi faccus perforatus: quia nihil est, quod satiare posset cupiditatem vestram. Ideò juro in Deitate mea, quòd si moriemini in statu hoc in quo nunc estis, nunquam videbitis faciem meam, &c. Verumtamen, ò inimici, quia ego Sanguine meo redemi vos, & nihil quæro nisi animas vestras: ideò redite adhuc ad me cum humilitate, & grater ut filios suscipiam vos. Excute grave jugum diaboli à vobis, & recordamini charitatis & passionis meæ, & videbitis in conscientia vestra quòd ego sum suavis & mitis. *Post hæc mox cognovit Brigitta effectum prædictarum minarum in quodam peccatore, cujus animã vidit præsentatam coram tribunali Christi Domini, qui improperando illi ingratitude quòd non doluit de doloribus suæ passionis, voce horribili dixit ei: (m) Vade anima ingrata in locum, ubi vives in morte tua æternaliter, quia noluit vivere in luce & vita mea: ego te amplius non recognosco pro mea, qua nihil de mea dolorosa passione cogitasti. De vulnere quippè lateris mei & cordis mei non plùs compassa es, quàm si perforaretur clypeus inimici tui. De vulneribus manuum mearum tantum curasti, ac si pannus gracilis rumperetur. Vulnera etiam pedum meorum tam mollia tibi fuerunt, ac si videres scindi molle pomum. Tu frequenter quæсивisti in vita tua, quare ego Deus in corpore mortuus fui? Nunc autem ego quæro à te, quare tu misera anima mortua es?*

Respon-

Respondit illa: quia non dilexi te. Et Dominus dicit animæ: Tu fuisti mihi quasi puer abortivus matris suæ, quæ non minorem dolorem patitur pro eo, quàm pro illo qui vivus procedit de utero ejus. Sic ego tanto precio & tanta amaritudine te redemi, sicut aliquem Sanctorum meorum, licet modicùm curasti. Verùm sicut puer abortivus non habet dulcedinem de uberibus maternis, nec consolationem de verbis, nec calorem de pectore. Sic tu nunquam habebis dulcedinem electorum meorum ineffabilem, quia dulcedo tua placuit tibi: nunquam audies verba mea ad profectum tuum, quia verba oris tuï & mundi placuerunt tibi, & verba oris mei erant tibi amara: nunquam senties charitatem & bonitatem meam, quia frigida eras quasi gelu ad omne opus bonum. Vade igitur in locum ubi abortivi projici solent, ubi vives in morte æternaliter.

IV. *Videns autem Sancta Brigitta quantum placeat Christo Domino sacrosanctæ Passionis ipsius recolere beneficia, non solum consumebat dies noctesque in hoc exercitio, sed desiderabat etiam ferventer sibi revelari numerum percussionum, quas accepit in sua crudelissima flagellatione. Cui Christus sic respondit:* (n) *Filia, si per integrum annum omni die dixeris XV. Pater noster, & totidem Ave Maria: elapso anno, quodlibet vulnus corporis mei venerata es uno Pater noster, & uno Ave Maria. Ex quo facile constat, Christum Dominum accepisse in sua flagellatione vulnera 5475. dum esset ligatus ad columnam.*

cclx *Præfatio ad Lectorem*

nam . *Deipara etiam Virgo ut magis animaret Sanctam Brigittam ad meditandum passionem Christi, apparuit ei quadam die veneris, quâ contemplantur mysteria dolorosa, & dixit illi: (o) Isto tempore patiebatur Filius meus, qui appropinquante Juda traditore suo inclinavit se ad eum, (quia Judas brevis staturæ erat) dans ei osculum, dicens: Amice ad quid venisti? Et statim alii rapuerunt eum, alii traxerunt eum per crines, alii sputis deturpabant eum. Alia vice Deipara apparens ei, totam seriem passionis Redemptoris enarravit his verbis: Considera inprimis, [p] qualiter instante tempore passionis Filii mei, rapuerunt eum inimici ejus, percutientes eum in maxilla & collo, & confluentes illuserunt ei. Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exiit, personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt tunc inimici ejus, qui undique adstant, & flagellabant corpus ejus ab omni macula & peccato mundum. Flagellis aculeatis, (q) infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus lacerabant. Ad primum igitur idum (r) ego quæ stabam propinquus, cecidi quasi mortua: & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque*

ad

o lib. 4. cap. 99. pag. 329. p lib. 1. cap. 10. nu. 7. pag. 17.

¶ lib. 4. cap. 70. pag. 289. 1 lib. 1. cap. 10. nu. 8. & 9. pag. 17.

Philosophiæ Christianæ. **ecclxi**

ad costas, ita ut costæ ejus viderentur: & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsius flagellis sulcabantur. Cumq; Filius meus totus sanguinolentus, & totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur, tunc unus concitato in se spiritu quæsit: *Numquid interficietis eum sic injudicatum?* & statim secuit vincula ejus. Inde Filius meus induit se vestibus suis: tunc locum ubi stabant pedes ejus, totum repletum vidi Sanguine, & ex vestigiis ejus cognoscebam incessum suum: quò enim procedebat, apparebat terra Sanguine infusa. Nec ipsi patiebantur inimici, ut se indueret totaliter, sed compulerunt & traxerunt eum ut acceleraret. Cum autem duceretur quasi latro, ipse Filius meus extersit sibi Sanguinem ab oculis suis. Cumq; judicatus esset, tunc imposuerunt sibi Crucem portandam: quam cum admodum portasset, veniens vnus assumpsit eam sibi portandam. Interim eunte Filio meo ad locum passionis, alii percusserunt eum in collo, alii in faciem cæciderunt: & tam fortiter & valenter percussus est, ut licet ego non viderem percutientem, audiui tamen clarè sonitum percussionis. Cumquè venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi præparata ad crucifigendum eum; Et ipse Filius meus veniens illuc, exiit se personaliter vestibus suis, ministris inter se dicentibus: *Hæc vestimenta nostra sunt, nec ea rehabebit, quia damnatus est ad mortem.* Stante autem Filio meo sicut natus erat nudo corpore, vnus tunc accurrens ap-

portavit ei velamen, quo ipse intimè exultans ve-
 labat verenda sua. Postea rapuerunt eum sævi tor-
 tores, [s] & extenderunt eum in Cruce, primò
 dexteram manum ejus affigentes stipiti qui pro
 clavis perforatus erat, & manum ipsam ex ea parte
 perforabant, qua os solidius erat: inde trahentes
 cum fune aliam manum ejus ad stipitem, eam si-
 mili modo affixerunt. Deinde dextrum pedem
 crucifixerunt, & super hunc sinistrum duobus cla-
 vis, ita ut omnes nervi & venæ extenderentur, &
 rumpèrentur. Quo factò, aptaverunt coronam de
 spinis capiti ejus: quæ tam vehementer reveren-
 dum caput Filii mei pupugit, ut ex Sanguine flu-
 ente replerentur oculi ejus, obtuerentur aures, &
 barba tota decurrente Sanguine deturparetur.
 Cùmquè sic sanguinolentus & perforatus staret, con-
 dolens mihi adstanti & gementi, respexit sangui-
 nolentis oculis ad Joannem sororium meum, & me
 commendabat ei. Sed, sicut dictum est, (t) cùm
 primus clavus infingeretur ei, ego ad primum ictum
 conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis,
 manibus tementibus, pedibus nutantibus; & non
 respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus
 fuerit. Surgens verò, vidi Filium meum misera-
 biliter pendentem in Cruce: & ego Mater ejus mæ-
 stissima undique consternata, præ dolore vix stare
 potui. Filius autem meus videns me, & amicos
 suos inconsolabiliter flentes, flebili voce & alta cla-
 mabat ad Patrem suum dicens: *Pater quare me de-*
reli-

s *Ibidem num. 10. & 11. t Ibid. num. 12. ;*

*reliquisti? Quasi diceret: Nullus est qui misereatur mei, nisi tu Pater. Tunc oculi ejus apparuerunt semimortui, maxillæ ejus submersæ, vultus lugubris, os ejus apertum, lingua sanguinolenta, venter dorso inhærens consumpto humore quasi non haberet viscera. Omne corpus pallidum erat & languidum ex fluxu & egressione Sanguinis. Manus & pedes ejus rigidissimè extenti erant, & juxta formam crucis cruci attracti conformati: barba etiâ & crines ex toto respersi erant sanguine, &c. Cùmq; Filius meus sic laceratus & lividus staret, respexit ad amicos suos flentes, qui maluissent pœnam illam in se cum auxilio ejus perferre, vel in æternum in inferno ardere, quàm eum sic videre cruciari. Dolor ille ex amicorum dolore omnem dolorem & tribulationem, quam vel in corde vel in corpore sustinuit, excedebat, quia tenerè diligebat eos. Tunc præ nimia corporis angustia ex parte humanitatis clamabat ad Patrem: *O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Hanc igitur vocem cùm audissem ego ejus mæstissima Mater, contremuerunt omnia membra cum amaro cordis mei dolore: & quoties postea hanc vocem cogitabam, quasi in aure mea præsens & recens erat. Appropinquante autem morte, (u) cùm cor Filii mei præ violentia dolorum rumpetur, tunc omnia membra contremuerunt, & caput ejus quasi modicum se erigens inclinabatur. Os ejus apertum videbatur, & lingua sanguinolenta. Manus ejus retraxerunt*

cclxiv *Præfatio ad Lectorem*

runt se modicum de loco perforationis, & pondus corporis pedes amplius non sustentabant. Digni & brachia quodammodo extendebant se, & dorsum fortiter stringebatur ad stipitem. Tunc quidam dixerunt ad me: *Maria, filius tuus mortuus est*. Alii autem dixerunt: *Mortuus est, sed resurget*. Omnibus itaque dicentibus, unus adveniens infixit lanceam in latus ejus tam validè, ut penè per aliud latus transiret: & cum extraheretur hasta, apparuit cuspis rubea Sanguine. Tunc mihi videbatur quòd quasi cor meum perforaretur, cum vidissem cor Filii mei charissimi perforatum. Deinde depositus est de Cruce, quem ego recepi in genu meum quasi leprosum, & totum lividum. Nam oculi ejus erant mortui & Sanguine pleni, os frigidum quasi nix, barba quasi restis, facies contracta: manus quoque sic dirigerant, ut non possent deponi nisi circa umbilicum. Sicut stetit in Cruce, sic habui eum in genu meo, quasi hominem contractum in omnibus membris. Postea posuerunt eum in linteo mundo: & ego linteò meo extersi vulnera & membra ejus, & clausi oculos & os ejus, quæ in morte fuerunt aperta. Deinde posuerunt eum in sepulchro. O quàm libenter tunc posita fuisset viva cum Filio meo, si fuisset voluntas ejus! His completis, venit ille bonus Joannes, & duxit me in domum. Ecce, filia mea, talia sustinuit Filius meus pro te. Considera passionem Filii mei, (x) cujus membra fuerunt mihi quasi membra mea, & quasi cor meum.

Nam

x lib. 1. cap. 35. pag. 53.

Nam ipse sicut alii filii in visceribus matris solent esse, sic fuit in me. Propterea audacter dico, quia dolore eius erat dolor meus: quia cor eius erat cor meum. Idè filia mea cogita qualis ego eram in morte Filii mei, & non erit tibi grave relinquere mundum. Non discedat (y) dolor iste meus ab anima tua: quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad cælestia regna pervenirent. Ergo quicumque est in mundo, (z) consideret qualis eram in morte Filii mei, & semper habeat præ oculis.

§. XX.

De septem doloribus Deiparæ, quos revelavit Sanctæ Brigittæ, mandavit què publicari Christianis ut jugiter recogitent eos, & compatiantur Matri dolorosæ,

Gemitus matris tuæ ne obliviscaris. *Eccl. 7.*

I. **N**ovit quicumque rectè sapit, quantum Christiana pietati expediat, quantum Deiparæ cultorem deceat amarissimos dolores ipsius fideliter recolorere, ad fruendum suaviter in conscientia, & ad

recondendum plenius per imitationem in memoria. Hoc in revelationibus Sanctæ Brigittæ(a) videtur exigere à nobis Mater dolorosa, his verbis eam alloquens: Respicio ad omnes qui in mundo sunt, si fortè sint aliqui qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum: sed paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Idèd filia mea, licèt à multis oblita & neglecta sim, tu tamen non obliviaris mei. Vide dolorem meum, & imitare quantum potes: considera dolores meos & lachrymas, & dole quia amici mei pauci sunt. Proinde mentem & oculos pariter cum manibus ad Reginam mundi attollamus, & coram sua celsitudinis gloria flectamus, ac plenis suspiriis expostulemus ab ea gratiam, ut affectus doloris eliciamus, & amara illa omnia quæ perpessa est, assidua meditatione revolvamus. Expostulemus autem verbis S. Bernardi, cum ipso(b) sic dicentes: Utinam dolor ille tuus, quem passam te fuisse non dubito, sic quotidie inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tuis. Utinam die illa, quâ assumpta fuisti in cælum, ut in æternum gauderes cum Filio tuo, mihi indices lachrymas tuas, ut per illas cognoscam quantum tibi amaritudinis fuit, cum Jesum dilectum (heu, heu, & parùm dilectum mihi!) clavibus in ligno Crucis confixum, capite inclinato suum sanctissimum exhalare videres spiritum. Verumtamen nunc tu Domina mea gaude gaudjo magno valdè, ab ipso glorificata in cælis, quæ in mente tantis clavibus amarissimi-

a lib. 2. Revelat. cap. 24. pag. 147. b S. Bern. Ser. de lament. V. M. 111177. 2.

rissimis fuisti confixa suæ piissimæ mortis. Mihi tamen, obsecro, lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in passione Filii tui, ut his lachrymis affluam largiùs. *Merito quidem Deipara Virgo exigit à nobis compassionem sui, & jugem meditationem dolorum suorum: quia ipsa compatiendo suo Filio patienti, cooperata est redemptioni nostræ, prout constat ex revelatione facta Sanctæ Brigittæ, (c) ubi Deipara eam alloquitur his verbis: Dolor Christi erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum. Sicut enim Adam & Eva venderunt mundum pro uno pomo, sic Filius meus & ego redemimus mundum uno corde. De hac cooperatione salutis nostræ etiam Sanctus Bernardus (d) sic ait: Nascitur Maria, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc opus redemptionis faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil est factum, ita sine illa nihil reffectum sit. Item ait: (e) Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis erat, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Per Mariam utiq; cælum repletum, (f) infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas ejus & affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque. Coopera-*

raba-

c *Lib. 1. Revelat. cap. 35. pag. 53. d S. Bern. Ser. 2. de Nat. Dom. n. 2. to. 6 pag. 615. e Ser. 1. de Virg. Deip. matr. 1. i Ser. 4. de Assumpt. B. V. M. nu. 8.*

rabatur plurimum (g) secundum modum suum ad propitiandum Deum ille Virginis Matris affectus, cum tam propria, quam Matris vota charitas Christi proferret ad Patrem: cum quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Idem voluit Christus (h) Matrem adesse sibi in doloribus, ut ex his quæ foris oculis cerneret, intus animo vulneraretur, ut sic Christi passionis redemptionisque nostræ participes fieret, & cooperatrix. Porro (i) dividunt coram Patre inter sese Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testamentum. Maria enim Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat; Filius impetrat, Pater condonat. Omnino tunc erat una Christi & Mariæ voluntas, unumquæ holocaustum ambo pariter offerebant Deo Patri: hæc in sanguine cordis, hic in Sanguine carnis. Quis igitur ista perpendens, (k) existimare queat qua laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici debuit mediatrix? Hæc est sola Virgo beata, (l) quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Invenisti quod quærebas, (m) invenisti quod nemo ante te potuit invenire. *Invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam?*

g *Arnald. Carnot. Tr. 6. de verbis Dom. in Cruce.* h *Lansperg. Homil. 48. de Pass. Dom.* i *Arnald. Carnot. de laud. Mariæ.* k *S. Ansel. de excellen. Virg. cap. 9.* l *S. Bern. Ser. 4. de dumpte. B. V. M. num. 8.* m *Ser. 3. sup. Missus num. 10.*

tiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hoc supplicabat à te [n] flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitabant sancti patres, patres scilicet tui, qui & ipsi habitabant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectabat. Nec immeritò: quandoquidē ex ore tuo pendeat consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Omnibus deniq; omnia facta es, (o) sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem te fecisti: omnibus misericordiæ sinum aperis, ut de plenitudine tua accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiā: ut non sit qui se abscondat à calore tuo. Quis ergo (p) misericordiæ tuæ longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam *longitudo* ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. *Latitudo* ejus replet orbem terrarum: ut tuā quoque misericordiā plena sit omnis terra. Sic & *sublimitas* ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & *profundum* ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem.

O homo quid retribues Deipara Virgini, inventrici gratia, consolatrici miserorum, redemptrici captivorū, libera-

n *ß* Ser. 4. sup. Missus num. 8. o Ser. 1. de Virg. Dei num. 2.
p Ser 4. de Assumpti. B. V. M. nu. 8.

liberatrici damnatorum, vita reparatrici, cooperatrici redemptionis generis humani, pro omnibus beneficiis quæ retribuit tibi? Solam compassionem sui exigit: sola ei meditatio dolorum suorum sufficit. Hoc enim innuere videtur De para, (q) sic alloquens Sanctam Brigittam: Quicumque est in mundo, consideret qualis eram in morte Filii mei, & semper habeat præ oculis. Talis ego eram: (r) nam ego plena fui tribulatione à nativitate Filii mei usque ad mortem ejus. Ego in dorso meo portavi maximum onus, cum labori divino jugiter instabam, & omnia adventitia mihi portabam patienter. Inter brachia mea tolerabam onerosum pondus, cum tribulationem & dolorem cordis ultra omnem creaturam patiebar. Ego habui oculos meos plenos lachrymis, quando considerabam in membris Filii mei loca clavorum, & passionem meam futuram; & cum viderem in eo omnia compleri, quæ audiebam à Prophetis vaticinata. Sed nunc respicito ad omnes qui in mundo sunt, si fortè sint aliqui qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum: sed valdè paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Idè filia mea, licet à multis oblita & neglecta sum, tu tamen non obliviscaris mei, vide dolorem meum, & imitare quantum potes. Considera dolores meos & lachrymas, & dole quia amici mei pauci sunt.

II. Porro scias Filia mea, [s] quod ego non indige-

q lib. 1. Revelat. cap. 27. pag. 42. r lib. 2. cap. 24. pag. 142. s
lib. 6. cap. 57. pag. 524.

digebam Purificatione, sicut aliæ feminae: quia Filius meus qui natus est ex me, ipse mundavit me. Nec ego aliquam quantumcunq; minimam maculam contraxi, quæ Filium mundissimum sine aliqua immunditia generavi, &c. Verumtamen tali die Purificationis dolor meus augmentatus fuit. Nam licet sciebam Filium meum ex inspiratione divina passurum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium pertransiturum animam meam, & Filium meum positum esse in signum cui contradiceretur, gravius perforabat cor meum dolor iste: qui usquedum assumpta fui corpore & animam in cælum, nunquam defuit à corde meo, licet ex consolatione Spiritus Dei temperabatur. Scire etiam te volo, quod ab isto die Purificationis dolor meus septuplex fuit.

Primus dolor fuit ille quem habui, (t) quando Filium meum deferebam fugiens in Ægyptum, & quando audivi pueros occidi Innocentes, & Herodem persequi Filium meum. Sed licet scirem quæ scripta erant de Filio meo, tamen cor meum præ amoris magnitudine, quem habebam ad Filium meum, dolore & mæstitiâ replebatur. Nunc autem quærere poteris, quid egerit Filius meus in toto illo tempore ætatis suæ antequam pateretur? Respondeo, quod sicut loquitur Evangelium, subditus erat parentibus, & sicut alii infantes se gessit, donec venit ad ætatem majorem. Nec mirabilia defuerunt ætati suæ: quandoquidē creaturæ servierunt Creatori suo, idola obmutuerunt, & plurima ruerunt
in

in adventu suo in Ægyptum: Magi prædixerunt, Filium meum fore signum magnorum futurorum: ministeria etiam Angelorum apparuerunt, &c. Cùm verò venit ad majorem ætatem, in orationibus erat continuus, & obediens ascendebat nobiscum ad statuta festa in Jerusalem, & alia loca, &c. Accrescens verò ætate, & sapientiâ, quâ ab initio plenus erat, laborabat manibus, quandoque ea quæ decencia erant, agebat: & loquebatur nobis separatim verba consolatoria, verba Deitatis, ita ut indicibili gaudio repleremur. Cùm verò in timoribus, paupertate & difficultatibus essemus, non fecit nobis aurum & argentum, sed hortabatur ad patientiam: & mirabiliter servati fuimus ab invidis. Necessaria quoque provenerunt nobis quandoque ex compassione piarum mentium, quandoque ex labore nostro, ita ut haberemus necessaria ad solam sustentationem, non ad superfluitatem: quia nihil aliud quærivimus nisi soli servire Deo, &c. Cùmquè quodam tempore, cogitante me de passione sua, videret me mæstissimam, respondit mihi: Non credis mater quia ego in Patre sum, & Pater in me est? numquid tu perturbata es ad ingressum meum, aut in egressu meo tribulata es? cur ergo mærore contraheris? Voluntas enim Patris mei est, me pati mortem, imò voluntas mea cum Patre. Quod autem habeo de Patre pati non potest: sed caro quam sumpsi de te, patietur, ut caro aliorum redimatur, & spiritus salventur, &c.

Secun-

Secundus fuit dolor meus in *cogitatione*. (u) Nam quoties aspiciebam Filium meum, quoties involvebam eum pannis, quoties videbam ejus manus & pedes, toties animus meus quasi novo dolore absorptus est: quia cogitabam quomodo crucifigeretur. Cùmquè conspicerem & considerarem pulchritudinem ejus, (x) anima mea quasi rorem præ gaudio stillabat, sciens me esse indignam tali Filio. Quando verò considerabam loca clavorum in manibus & pedibus, quos secundùm Prophetas crucifigendos audivi, tunc oculi mei replebantur lachrymis, & cor meum quasi scindebatur præ tristitia: & cùm Filius meus inspexit oculos meos lachrymantes, tristabatur quasi ad mortem. Cùm verò considerarem potentiam Deitatis ejus, consolabar iterùm, sciens quòd ipse sic vellet, & sic expediret: & omnem voluntatem meam conformavi voluntati ejus, & sic semper erat lætitia mea mixta cum dolore. Scias etiam, (y) quòd quodocunque ego induebam Filium meum illâ tunicâ, quam ego propriis manibus feci propter utilitatem sui sanctissimi corporis, tunc oculi mei statim replebantur lachrymis, & totum cor meum torquebatur tribulatione & dolore, & affligebatur intensa amaritudine: ex eo videlicet quòd ego benè noveram modum, quo in futurum illa tunica ab eodem Filio meo esset separanda, scilicet tempore Passionis ejus, quando ipse nudus & innocens à Judæis crucifigeretur. Et hæc tunica fuit illa vestis, super
quam

u *lib. 6. cap. 57.* x *lib. 1. cap. 10. num. 6. pag. 17.* y *lib. 7. cap. 8. num. 2. pag. 586.*

cclxxiv *Præfatio ad Lectorem*

quam crucifixores ejus miserunt sortem: nullusquè in vita ejus eandem tunicam habuit, nisi solus ipse.

Tertius fuit dolor meus in *auditu*. (z) Nam quoties audiui opprobria Filii mei, & mendacia, & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore, ita ut vix se tenere potuerit: sed virtute Dei dolor meus modum & honestatem habuit, ne impatientia & levitas in me notarentur. Instante tempore passionis Filii mei, (a) rapuerunt eum inimici ejus, & flagellabant corpus ejus ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum ego quæ stabam propius, cecidi quasi mortua: & reassumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Postea rapuerunt eum sævi tortores, & extenderunt in cruce. Tunc audiui alios dicentes, quòd Filius meus latro erat, aliosquè quòd mendax, alios quòd nullus dignior esset morte quàm Filius meus: ex quorum auditu dolor meus renovabatur. Filius meus (b) postquam me commendavit discipulo suo, vocem ex imo pectoris, erecto capite & oculis in cælum directis & lachrymantibus, emisit dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quam vocem ego nunquam, donec ad cælum veni, oblivisci potui: quam plùs ex compassione mea quàm sua permotus protulit. Tunc etiam præ nimia corporis angustia, (c) ex parte humanitatis clamabat ad Patrem: *O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Hanc vocem

z. lib. 6. cap. 57. pag. 524. a. lib. 1. cap. 10. nu. 2. 9. & 12. b. lib. 4. cap. 70. nu. 6. pag. 290. c. lib. 1. cap. 10. nu. 12. pag. 18.

vocem cum audissem ego ejus maestissima Mater, contremuerunt omnia membra cum amaro cordis mei dolore: & quoties postea hanc vocem cogitabam, quasi in aure mea praesens & recens erat.

Quartus fuit dolor meus in visu. (d) Nam quando vidi Filium meum ligari, & flagellari, & in ligno suspendi, corruui quasi exanimis: sed reassumpto spiritu steti dolens, & sic patienter sufferens, ut nec inimici, nec alii in me aliud repererint nisi gravitatem. Imminente passione Filii mei, (e) lachrymae erant in oculis ejus, & sudor in corpore praetimore passionis, & mox a conspectu meo abstractus est; nec eum ultra vidi, donec educeretur ad flagellandum. Deinde columnam sponte amplectens, reffligabatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando, totum corpus ejus lacerabatur. Ad primum ictum ego quasi corde percussa, sensibus abducta eram; & post tempus evigilans, corpus ejus laceratum vidi: toto enim corpore nudus erat cum flagellaretur. Ad primum, inquam, ictum (f) ego quae stabam propius, cecidi quasi mortua; & reassumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costae ejus viderentur: & quod amarum erat, cum retraheretur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Tunc locum, ubi stabant pedes Filii mei, totum repletum vidi Sanguine, & ex vestigiis Filii mei cognoscebam incessum ejus: quod enim procedebat, apparebat

s

bat

. d. lib. 6. cap. 57. pag. 524. e. lib. 4. cap. 70. pag. 289. f. lib. 1. cap. 18. pag. 27.

cclxxvi *Præfatio ad Lectorem*

bat terrâ infusa Sanguine, &c. Cùmquè venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi præparata ad crucifigendum Filium meum, &c. Cùm autem primus clavus infingeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus tremantibus, pedibus nutantibus: & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat. Surgens verò vidi Filium meum miserabiliter pendentem in Cruce; tunc ego mater ejus mæstissima undique consternata, præ dolore vix stare potui. Ego stabam viciniùs Cruci ejus (g) & sicut hoc graviùs pungit quod vicinius est cordi, sic dolor ejus gravior erat præ cæteris mihi. Cùmquè respexisset & ad me de Cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi sâguis de venis, lachrymæ exhibât. Et cùm ipse me cerneret dolore confectam, intantum amaricabatur de dolore meo, ut omnis dolor vulnerû suorum fuerit: quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.

Quintus (h) fuit dolor meus in *tactu*. Ego enim cum aliis deposui Filium meum de Cruce, & involvi linteo, & posui in tumulo: & sic tunc augebatur dolor meus, ut vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistendum. Depositus est de cruce, (i) quem ego recepi in genu meum, quasi leprosum & totum lividum. Nam oculi ejus erant mortui & Sanguine pleni,

g. lib. 1. cap. 35. pag. 52. & 53. hlib. 6. cap. 57. pag. 524. ilib. 1. cap. 20. num. 14. pag. 18.

Philosophia Christiane. cclxxvii

ni, os frigidum quasi nix, facies contracta. Manus quoque sic diriguerant, ut non possent deponi nisi circa umbilicum. Sicut stetit in cruce, sic habui eum in genu, quasi hominem contractum in omnibus membris: & ego cum linteo meo extersi vulnera & membra ejus, & clausi oculos & os ejus, quæ in morte fuerunt aperta. Tunc jam quasi consolata sum, (k) quando corpus ejus de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere, vulnera explorare, & extergere Sanguinem. Deinde os ejus digiti mei clauserunt, & oculos pariter composui: brachia tamen rigentia flectere non potui, ut se supra pectus componerent, sed super ventrem. Genua quoque extendi non potuerunt, sed eminebant, sicut in Cruce obriguerunt. Postea (l) posuerunt eum in sepulchro. O quàm libenter tunc posita fuisset viva cum Flio meo, si fuisset voluntas ejus. His completis, venit ille bonus Joannes, & duxit me in domum. Ecce, filia mea, talia sustinuit Filius meus pro te.

Sextus fuit dolor meus, (m) quem patiebar ex vehementi *desiderio* perveniendi ad Filium meum, postquàm ipse ascendit in cælum: quia longa mora, quam habui in mundo post Ascensionem ejus, dolorem meum augmentabat. Et licet gratia Dei semper perseverabat mecum, & voluntas mea erat secundùm velle Dei: attamen dolor meus continuus erat permixtus consolatione, donec assumpta fui corpore & animâ in cælum ad Filium meum. Sunt quidem

k lib. 3. cap. 70. nu. 7. pag. 290. l lib. 1. cap. 10. nu. 14. m lib. 6. cap. 57. pag. 524.

cclxxviii *Prefatio ad Lectorem*

aliqui, (n) qui maligno spiritu negant me esse assumptam corpore & anima : aliqui etiam negant , quia nesciant melius . Sed ista est pro certissimo rei veritas, quod cum corpore & anima ad Deitatem assumpta sum . Ego , (o) postquam Filius meus ascendit ad cœlos , vixi in mundo per quindecim annos , & tanto tempore plus (quantum est de festo Ascensionis ejusdem Filii mei) usque ad mortem meam . Ex tunc jacui in sepulchro in valle Josephat sito , per quindecim dies , deinde fui assumpta in cœlum cum infinito honore & gaudio . Vestes autem meæ , cum quibus fui sepulta , tunc remanserunt in isto sepulchro : & ego fui tunc induta talibus vestibus , quilibet indutus est Filius meus , & Dominus meus Jesus Christus . Item scias , quod nullum corpus humanum in cœlo est , nisi Corpus gloriosum Filii mei , & corpus meum . Tu igitur filia mea , (p) sic laudare debes me : Benedictus sis Deus , qui Mariam Virginem Matrem tuam post Ascensionem tuam crebris consolationibus lætificasti , & per teipsum eam consolando visitasti . Benedictus sis tu Deus , qui corpus & animam Mariæ Virginis Matris tuæ in cœlum assumpsisti , & super omnes Angelos juxta Deitatem tuam honorificè collocasti .

Septimus fuit dolor meus , (q) quem patiebar ex tribulatione Apostolorum , & amicorum Dei , quorum dolor erat dolor meus , timens semper & dolens : timens , ne succumberent tentationibus & tribu-

n lib. 1. cap. 9. nu. 7. pag. 12. o lib. 7. cap. 26. pag. 615. p lib. 1. cap. 8. pag. 12. q lib. 6. cap. 57. pag. 524.

tribulationibus: dolens, quia verba Filii mei ubique habebant contradictionem.

III. Verumtamen ipse moriebatur sic propter inimicos suos, (r) sicut propter me, & amicos suos. Sed quando inimici ejus crucifixerunt eum, quatuor ei fecerunt. *Primo* coronaverunt eum spinis. *Secundo* manus & pedes perforaverunt. *Tertio* propinaverunt ei fel. *Quarto* pupugerunt latus ejus. Sed nunc conqueror, quia Filius meus ab inimicis suis, (*malis Christianis*) qui nunc sunt in mundo, amarior crucifigitur, quam tunc Judæi crucifixerunt eum. Nam licet Deitas impassibilis sit, nec mori possit, tamen cum propriis vitiis crucifigunt eum inimici sui. Sicut enim aliquis homo imagini alicujus inimici sui contumeliam & læsionem faceret, licet imago non sentiret illata, tamen propter voluntatem malam lædendi læsor quasi pro opere argueretur, & dijudicaretur: sic eorum vitia, quibus spiritualiter crucifigunt Filium meum, abominabiliora & graviora sunt, quam illorum qui crucifixerunt eum in corpore. Sed forte tu potes quærere, (s) Quomodo crucifigunt eum? Respondeo: *Primo* ponunt eum in Cruce, quam sibi preparaverant, quando de præceptis Creatoris sui & Domini non curant: & dehonestant eum, quando ipse monet eos per Servos suos servire sibi, & ipsi hoc contemnentes faciunt quæ sibi placent. *Secundo* crucifigunt dexteram manum ejus, quando tenent justitiam pro injustitia, dicentes: Peccatum non est sic grave & odiosum Deo sicut dicitur, nec

Deus in æternum affligit quenquam, sed propter timorem minatus est. Quare enim redimeret hominem, si vellet eum punire? Non attendentes, quòd minimum peccatum, si homo delectetur in eo, satis est ei ad supplicium æternum. Et quia nec minimum peccatum dimittit Deus impunitum, sicut nec minimum bonum sine remuneratione: idèd sempiternum erit eis supplicium, quia sempiternam habent voluntatem peccandi, quam Filius meus qui videt cor, reputat pro opere: quia sicut habent voluntatem, sic etiam opere completerent, si permetteret Filius meus. *Tertiò* crucifigunt sinistram manum ejus, quando virtutem vertunt in vitium, volentes usque in finem peccare, dicentes: Si dixerimus semel in fine vitæ, *Misere mei Deus*: tanta est misericordia Dei, quòd habebimus veniam. Hoc non est virtus, velle peccare, & non emendare; aut velle præmium habere sine labore, nisi esset contritio in corde, quòd libenter vellet emendare, si posset præ infirmitate, vel aliquo alio impedimento. *Quartò* crucifigunt pedes ejus, quando delectantur in faciendo peccatum: & nec semel cogitant amaram passionem Filii mei, nec reſgratiantur ei semel de intimo corde dicentes: *O quam amara erat passio tua Deus: Laus tibi sit pro morte tua.* Hoc nunquam procedit vel rarò de ore eorum. Coronant eum deinde coronâ derisionis, (t) quando derident: Sermones ejus: & vanitatem reputant, servire ei. Dant ei etiam fel bibere, quando gaudent & exultant in peccato:

que

cato:

t *Ibid.* nu. 4. & 5.

eato : nec ascendit semel in corde eorum , quàm grave & quàm multiplex sit . Pungunt latus ejus , quando voluntatem habent perseverandi in peccato . Verè dico tibi , & hoc amicis meis dicere poteris , quòd tales sunt ante Filium meum injustiores judicantibus eum , immitiores crucifixoribus ejus , impudentiores venditoribus ejus : & major pœna debetur istis , quàm illis . Pilatus scivit benè Filium meum non peccâsse , nec dignum esse aliqua morte : tamè quia timuit amissionem temporalis potestatis , & seditionem Judæorum , idèd judicavit quasi invitus Filium meum ad mortem . Quid autem haberent isti timere , si ei servirent ? aut quid de honore suo & dignitate amitterent , si ipsum honorarent ? Idèd graviùs isti judicabuntur , & deteriores sunt Pilato in conspectu Filii mei : quia Pilatus judicavit eum propter petitionem & voluntatem aliorum cum timore quodam . Isti autem judicant eum propter voluntatem propriam absque timore , quando inhonorant eum per peccatum , à quo si vellent possent abstinere . Deteriores sunt Judæi : [u] quia Judas tradito Domino , benè scivit ipsum esse Deum , & graviter se contra eum peccâsse : sed desperavit suspendens seipsum , & properavit dies suos ad infernum , credens se indignum vivere . Isti autem benè sciunt peccatum suum , & tamen perseverant in eo , nullam pro eo in corde compunctionem habentes : sed volunt cum violentia & potentia quadam sumere regnum cœlorum , quando hoc non operibus , sed

ccclxxxii *Præfatio ad Lectorem*

propter spem vanam habere cogitant, quod nulli dabitur nisi operanti bonum, & patienti aliquid propter Deum. Deteriores sunt etiam crucifixoribus ejus: quia cum illi viderunt opera Filii mei bona, (scilicet quia resuscitavit mortuos, leprosos mundavit) cogitabant apud se dicentes: Hic facit inaudita, & mirabilia inusitata: nam prosternit quos vult uno verbo, scit cogitationes nostras, facit quæcunque vult si processum suum habebit, omnes subiiciemur potestati ejus, & subditi ejus erimus. Idem ne subiicerentur ei, crucifixerunt eum propter invidiam. Si enim scivissent quod fuisset Rex gloriæ, nunquam crucifixissent eum. Isti ergo vident opera ejus quotidie, & magna mirabilia, utuntur beneficiis ejus, & audiunt quomodo ei servire debent, & ad eum venire: sed cogitant apud se, si omnia temporalia sunt relinquenda, si voluntas ejus, & non nostra relinquenda est, grave est hoc & intolerabile. Idem contempnentes voluntatem ejus ne sit super voluntatem eorum, crucifigunt Filium meum per indurationem, addentes contra conscientiam suam peccatum super peccatum. Isti ergo pejores sunt crucifixoribus: quia Judæi fecerunt propter invidiam, & quia nesciebant eum esse Deum. Isti autem sciunt eum esse Deum, & ex malitia sua & præsumptione, causâ propriæ cupiditatis crucifigunt amariùs spiritualiter, quàm Judæi carnaliter: quia isti redempti sunt, illi nondum redempti erant. In morte Filii mei (x) omnia conturbabantur. Nam *Deitas*, quæ Filium

tra-

Philosophia Christianæ. cclxxxiii

tradidit in mortem, & nunquam ab eo separabatur nec in morte, in illa horula mortis tanquam compatiens videbatur, licet nullum dolorem vel pœnam Deitas pati possit, quia impassibilis & immutabilis est. *Filius* ipse patiebatur dolorem in omnibus membris, & etiam in corde, qui tamen secundum Deitatem erat immortalis. *Anima* quoque ejus, quæ immortalis erat, patiebatur: quia exivit de corpore. Congregati *Angeli* etiam quasi turbati videbantur, cum viderunt Deum in humanitate pati in terra. Omnia deniq; *elementa* turbabantur: Sol & Luna dimiserunt splendorem suum, terra tremuit, lapides scindebantur, sepulchra aperiebantur in hora mortis Filii mei. Omnes *Gentiles* turbabantur ubicunque erant: quia in corde eorum venit quasi quædam punctura doloris, licet nescierunt unde esset. Tribulabatur etiam *cor crucifigentium* eum in illa hora, sed non ad gloriam eorum. Adhuc etiam *immundi spiritus* turbabantur in illa hora, & quasi in unum congregati turbabantur. Illi verò *qui erant in sinu Abrahæ*, multum turbabantur, intantum ut malent potius in æternū esse in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino suo. Ego autem Virgo & Mater ejus, quæ tunc eidem Filio meo morienti adstabam, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare. Ided filia mea recordare passionem Filii mei, fuge instabilitatem mundi, qui non est nisi quidam visus & flos citò arefcens. Considera filia passionem Filii mei, [y] cujus membra fuerunt mihi

cclxxxiv *Præfatio ad Lectorem*

mihî quasi membra mea, & quasi cor meum. Tria autem (z) cogitare debes filia mea. *Primò* quidem, quòd omnia mēbra Filii mei in morte dirigerunt & frigescebant, & sanguis qui de vulneribus ejus in passione effluxit, membris omnibus adhæsit coagulatus. *Secundo*, quòd in corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, ut pungens non destiterit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent in lancea. *Tertiò* cogita eum, quomodo deponebatur de Cruce. Duo viri deponebant eum de Cruce, qui tres applicabāt scapulas: quarum una protendebatur ad pedes, secunda subtùs scapulas & ad brachia, tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium: secundus ascendens per aliam scalam, excussit primò unum clavum de uno brachio, deinde applicatâ scalâ excussit clavum alterius manus. Qui quidem clavi longè ultra stitipem Crucis protendebantur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis, paulatim & modicè prout poterat: ille alius ascendit scalam quæ protendebatur ad pedes, & excussit clavos de pedibus. Cùmquè appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò quæ Mater eram, tenui per medium. Et sic nos tres portavimus eum ad quādam petram, quæ linteo mundo per me operata erat: in qua obvolvimus corpus, sed non consui linteum. Sciebam enim pro certo, quòd in tumulo non putresceret. Postea & Maria Magdalena, & aliæ sanctæ mulieres venerunt: necnon & Angeli

Angeli sancti multi quasi atomi Solis adfuerunt, obsequium exhibentes Creatori suo. Qualem autem tristitiam tunc temporis habui, non est qui valeat dicere. Eram enim quasi mulier parturiens, cujus omnia membra post partum tremula sunt: quæ licet præ dolore vix respirare possit, tamen gaudet interiorius quantum potest, eò quòd scit filium suum natum in eandem miseriam (de qua exivit) nunquam rediturum. Sic ego licet ex morte Filii mei eram incomparabiliter tristis, tamen quia scivi Filium meum non amplius moriturum, sed in æterni victurum, gaudebam in anima mea, & sic cum tristitia quædam lætitia miscebatur. Verè dicere possum, quòd sepulto Filio meo quasi duo corda in uno sepulchro fuerunt. Numquid non dicitur: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum?* Sic in sepulchro Filii mei semper cogitatio mea, & cor meum versabatur. *Hætenus Deipara ad Sanctam Brigitam.*

2. XXI.

De doloribus Deiparæ, quos perpessa est statim post mortem & ascensionem Filii sui, jugiter meditando Passionem ejus, quousque in cælum assumpta fuit.

1. **P**ostquam Dominus Jesus expiravit, (a) vir quidam nobilis nomine Joseph ad Pilatum accessit,

a S. Bern. ser. de lamentat. Virg. Mariæ num. 9. tom. 6. pag. 1060.

CCCLXXXVI - Prefatio ad Lectorem

accessit, postulans sibi donari Corpus ejus: quo sibi concesso, accessit quendam virum nomine Nicodemum discipulum Christi, occultum tamen. Et venerant ad locum ubi erat Dominus crucifixus, secum instrumenta ferentes quibus clavos extraherent, & ut eum de Cruce deponerent: Quos cum maestissima Mater aspiceret, & sciret eos unicum Filium suum velle deponere de Cruce, quasi de morte confurgens, paululum revixit anima ejus: & de terra exiliens, ubi jacebat doloris violentiâ prostrata, quod poterat adjutorium illis ministrabat debilissima. Unus eorum duos illos ac diros clavos extrahebat de manibus, alius verò ne corpus exanime caderet sustentabat. Stabat & Maria Mater eius, brachia levans in altum, vulnera contemplans, manus perforatas sacroquè Sanguine resperfas intuens, vix sustinere se potuit. Tandem manibus suis brachia sancta & caput supra triste pectus suscepit, ut hoc ultimo & miserando solatio posset consolari. Quem ut attingere valuit, amore materno ruens in dulcissimos amplexus & oscula, de suo sic malè tractato Filio non poterat satiari. Sed cum de Cruce corpus ejus fuisset totaliter depositum, præ doloris vehementia & amoris immensitate quasi exanimis facta fuit. Porro Maria Virgo, (b) deposito Christo de Cruce, osculata est os ejus plùsquàm mille vicibus. Osculabatur benignum caput ejus spinis coronatum, & faciem ejus livoribus plenam. Osculabatur frontem, & collum. Osculabatur manus clavis perforatas. Osculabatur brachia,

&

b Daniel Mallonius lib. de Christi stigma tibus cap. 13.

Philosophiæ Christianæ. cclxxxvii

& pectus lanceâ perforatum. Osculabatur pedes clav
vis perforatos. Lavit & rigavit lachrymis universa ejus
vulnera: & plorans acerrimè super singulis vulneri-
bus, amplexabatur caput ejus, comprimens ad ubera
sua. Sedebat ad caput extincti Filii Mater mæstif-
sima, (c) & ejus regalem faciem mortis palloribus
obfuscatam, maguâ rigabat affluentia lachrymarum.
Aspiciebat illud reverendissimum caput diris coro-
næ spinæ aculeis perforatum, manus illas & pedes
sacros clavis ferreis crudelissimè perforatos, latusquè
perforatum lanceâ, cum cæteris membris laceratis.
Et amarissimè suspirans ac flens, (d) dicebat: O Filii
mi dulcissime quid fecisti? quare crudelissimi Judæi
te crucifixerunt? quæ causa mortis tuæ? Commisi-
stine scelus ut tali morte damnareris? Non Fili, non
Fili: sed sic tuos redimere dignatus es, ut posteris e-
xempla relinquant. In gremio meo nunc te mortuum
teneo. Quid ego tua Mater, Fili mi dilectissime, faciam?
Va mihi Fili mi, dulcedo mea, consolatio mea, vita
mea! Ubi est illud gaudium indicibile quod in tua
admirabili nativitate habui? Va mihi Fili mi! O
in quantum dolorem & tristitiam versum est nunc
illud tam magnificentum gaudium! Succurre mihi Fili
mi, & Spiritum Sanctum mihi interim infunde: quia
jam gaudii illius, quod in obumbratione & angelicæ
salutatione percepi, ferè præ dolore immemor deficio.
Interim autem frontem & genas, nasum & oculos
simulquè os frequentius osculabatur, tantâ perflu-
ens affluentia lachrymarum, ut carnem cum spiritu
resolvi

c. S. Bern. ser. de lacrimis. V. M. num. 9. d. Iste, ibidem. num. 10.

cclxxxviii *Præfatio ad Lectorem*

resolvi putares in lachrymas . Cogitabat mirabilia facta unici sui Filii, & durissima opprobria & tormēta , quæ viderat oculis suis & auribus audierat . Revolvebat in mente, quis videlicet & qualis & quantus fuerat , quem ipsa Virgo concepit illæso pudore , & peperit sine dolore : quem etiam cum summa diligentia lactaverat, custodiērat, & educaverat : qui erat ei vita & dulcedo , gaudium & solatium , consilium, refugium, & auxilium vitæ suæ . Videbat, inquam, Dominum & Deum suum, unicum Filium suum sic viliter & crudeliter pertractatum . Unde dicebat : *Dic Fili dilectissime , dic amor unice , vita mea & singulare gaudium , unicum solatium , quare sic me dolore perimi permittis ? Cur tam longè factus es à me ? Deus meus consolare animam meam , miserere mei, & respice in me .* Aderant secum (e) quædam sanctæ & paucæ mulieres, quæ Christum Dominum cum Matre flente amarissimè flebant . Erant similiter & Angeli dolentibus condolentes . Dolebant pio iustoquè dolore, morti patientes Dei & Domini sui . Flebant & ipsi (ut arbitror) amarissimè, mente turbati , videntes Dominam suam , Matrem utique Dei sui tam vehementi dolore repletam , tot rivulis affluentium lachrymarum perfusam . O quis tunc Angelorum etiam contra naturam suam non fletet, ubi auctor naturæ Deus immortalitatis homo mortuus jacebat ? Videbant Christi corpus sic malè tractatum ab impiis , sic laceratum à pessimis, jacere exanime, suo Sanguine cruentatum . Videbant

bant etiam illam piissimam, illam sanctissimam ac beatissimam Virginem Matrem ejus tantis cruciari singultibus, tam amaris repleti doloribus, tam abundantibus lachrymis perfundi, sic amarissimè flere, ut nullo modo potuerit suas lachrymas refrænare. Et quis poterat tunc à lachrymis abstinere? Fiebat proinde mæror & luctus ab Angelis ibidem præsentibus, qualis decebat Spiritus almos: immo mirarer si omnes Angeli in illa beatitudine, ubi flere est impossibile, non flevisent. Credo, propter quod & loquor, quia dolebant si dolere valebant. Sicut enim fuit possibile Deum per assumptum hominem mori, ita possibile fuit Angelos bonos flere de morte Domini Dei sui. Sed dices: (f) Quomodo turbari (*sive flere*) possunt Angeli, qui immortales sunt? Utique sicut justus, cum viderit amicum suum pati aliqua, de quibus consequeretur maximam gloriam, & gauderet quidem de gloria ejus adipiscenda, sed tamen propter passionem quasi quodammodò contristaretur. Sic Angeli quasi contristabantur de pœna Domini sui, cum tamen impassibiles sint: sed gaudebant de gloria ejus futura, & de utilitate ex Passione ejus ventura.

II. Joseph autem ab Arimathia vir sanctus & justus, (g) qui corpus Christi cum Nicodemo deposuerat de Cruce, mercatus sindonem, involuit illud preciosis conditum aromatibus, ut in monumento novo quod sibi exciderat, sepeliret. Tunc
Ange-

f Ex Revelat. S. Brigittæ lib. 6. cap. 11. pag. 454. g S. Bern. ser. de lamen 2. V. M. 11672. 12.

CCXC *Præfatio ad Lectorem*

Angelorum millia millium, qui ad Christi sepulchrum convenerant, dulces ei ac devotas exequias & victoriam decantabant. Illi quidem Domino laudes canebant, sed Virgo Maria gemitus & suspiria emittebat. Dum igitur Joseph & Nicodemus Dominum ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo Mater mæstissima sepeliri. Erat enim innixa super dilectum suum, quem amplectens suaviterquè deosculans, sic dicebat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltè vos amici mei. Illum adhuc paululum mihi relinquire, ut faciem ipsius sublato velamine valeam contemplari, & præ amore ipsius aliquantulum videndo consolari. Nolite quæso eum tam citò tradere sepultura, sed ipsum reddite mihi miseræ matri suæ, ut illum mecum habeam saltè vel defunctum: aut si illum in sepulchro reconditis, ibidem me miseram matrem cum ipso sepelite, quia malè post ipsum superero. Ut quid post ipsum vivam?* Illi volebant ponere Dominum in sepulchro, & ipsa nisu quo poterat, illum ad se trahere conabatur. Illa volebat eum sibi cum totis viribus retinere, & ipsi volebant eum tradere sepulturæ. Sicquè pia lis erat & contentio miseranda inter ipsos. Omnes tamen virgineo compatientes dolori, pio desiderio coacti sic amarissimè flebant, ut nullus eorum posset ad plenum verba formare. Videbant enim piam Matrem omni quidem solatio destitutam, & super ipsam potius quàm super Dominum suum extinctum plangebant. Major illis inerat dolor de dolore Matris, quàm de morte Domini sui. Utinam do-

lor

lor ille (h) sic quotidie inhaereat & visceribus meis, sicut inhaesit tunc visceribus Matris . Utinam mihi indicet lachrymas suas, ut per illas cognoscam quantum ei amaritudinis tunc fuit, cum Filium suum dilectum tradi sepulturae videret . Rigabat felicibus lachrymis corpus exanime Filii sui, (i) & monumentum in quo posuerunt eum, modo mirabili madidabat: ubi & ejus lachrymae adhuc apparere dicuntur, indicativae doloris intimi, qui animam ejus tanquam gladius acutus pertransivit. *Hactenus S. Bernardus*. Refert etiam Joannes Lignius, (k) in quibusdam nempe Ecclesiis lachrymas Beatæ Virginis reperiri, cultuque maximo & pietate à fidelibus observari. Imò Daniel Mallonius asserit, (l) in Bibliotheca S. Mariæ Gratiarum Bononiæ reperiri in quodam Manuscripto continente fragmenta Historiæ Theophili scribentis sic: *Intantum planxerat Maria Virgo affligens se, ut oculi ipsius ruberent sanguine, & palpebræ ipsius tumerent. Jam corrosæ erant genæ illius rosæ: etiam lachryma sanguinea de ejus oculis emanarunt, propter fletum tam amarum.* Idem dictus Daniel repetit, [m] adducitque in confirmationem verba B. Virginis, (n) sic alloquentis Sanctam Brigittam: *Ex oculis meis ita erumpebant lachrymae, sicut sanguis è venis.* Porro suprascriptus Daniel [o] addit testimonium

Beati

h *Ibid.* num. 2. i *Ibid.* nu. 15. k *Joan. Bapt. Lignius in lib. de Reliq. & venerat. Sanctor.* l *Daniel Mallon. lib. de stigmat. Christi cap. 5. nu. 16. relatus à Novato tom. 1. de Eminent. Deip. cap. 18. quest. 4. pag. 356.* m *Idem ibid. cap. 8. sub num. 18.* n *Lib. 1. Revelat. cap. 35. pag. 53.* o *Daniel Mallon. relatus à Novato loco citato.*

ccxcii *Præfatio ad Lectorem*

Beati Germani dicentis Deiparam aded amarè fle-
 viffe, ut post effusum uberrimum lachrymarum
 fluvium, tandem sanguineas etiam lachrymas emi-
 ferit. Unde non parvum miraculum in hoc [p]
 Deus tunc fecisse dignoscitur, cùm Virgo Mater
 tot & tantis doloribus intrinsecùs sauciata suum
 spiritum non emisit. Quemadmodùm enim suus
 Filius super omnes in hoc mundo viventes amarissi-
 mam mortem sustinuit, ita ipsius Mater in sua be-
 nedicta anima amarissimos dolores sufferendo por-
 tavit. Commemorat sacra Pagina, quòd uxor Phi-
 nees Arcam Dei ab ejus inimicis captam esse per-
 cipiens, præ dolorum vehementia protinùs ex-
 piravit: cujus mulieris dolores Mariæ Virginis do-
 loribus comparari non possent, quæ sui benedicti
 Filii corpus (quod arca prædicta figurabat) inter
 clavos & lignum captum detineri videbat. Majori
 namque charitate Virgo suum Filium Deum verum
 & hominem peramabat, quàm aliquis à viro &
 muliere genitus seipsum. Unde quia mirabile cer-
 nitur, quòd illa uxor Phinees præ doloribus mor-
 tua fuit, quæ minoribus doloribus urgebatur; Ma-
 ria verò revixit, quæ gravioribus mæstitiis exitit
 lacessita. Quis in hoc aliud cõgitare poterit, nisi
 quòd de speciali omnipotentis Dei dono contra
 omnes corporales vires suas ipsa vitam retinuit?
 Dicat qui potest, (q) cogitet quantum potest, me-
 ditetur si potest, quæ doloris immensitas tunc mater-
 nam

p Ex sermone Angelico ad S. Brigittam c. 18. pag. 731. q S. Bern.
 ser. de lament. V. M. num. 11.

nam animã cruciabat. Non credo plenè enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Quo sepulto, (r) Mater ejus sepulchrum amplectebatur, & voce qua poterat suum benedicebat Filium jam sepultum, ingemiscensquè vocabat. O singularis Virgo & Mater, jam dicere poteras: *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est in cruce, quando dixit: Mulier, ecce filius tuus.* Nunc dicere potes: *Quasiivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi*, scilicet ad sepulchrum. Ibi sedens innixo capite, manus extendebat desuper illud osculans, amarissimisquè singultibus suum Filium deplorabat. Accessit autem novus filius ejus Joannes, lugens & ipse inconsolabiliter, ipsam lugentem & gementem levavit. Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflicta ploratibus, pedibus se sustinere nequibat: tamen sicut potuit, à mulieribus honestis & sanctis adjuvata, cunctis simul plorantibus Jerusalem ingreditur, & pervenit ad domum Joannis. Ibi resedit, ibi permansit: ibi eam in sua domo Joannes retinuit, & sicut propriam matrem in omni charitate dilexit.

III. Sepulto itaque Domino, (s) à Judæis signatum est monumentum, & traditum est custodibus ut custodirent illud. Interim Virgo Maria in domo Joannis manebat, ibiquè jacebat, quia nimio dolore confecta non poterat nisi cum difficultate ma-

CCXCIV *Præfatio ad Lectorem*

gna ambulare. Ibi enim die noctuquè plorans gemit, nec erat qui consolari eam posset ex omnibus charis suis amicis, nec suæ sorores, nec etiam ipse Joannes. Ibi amaro corde opprobriofam passionem dilecti Filii sui revolvebat, modò sputa, modò ludibria, modò colaphos, alapas & flagella; modò Crucis angariam, modò dira clavorum vulnera, modò lanceam, modò coronam spineam, modò aceti & fellis pocula, mortem, verbera & improperia, modò mortem, mortem autem crucis. Hæc autem cogitando plorabat, atque plorando & ejulando clamabat: *Fili mi Jesu, Jesu Fili mi, bone ac benigne, & Creator omnium Deus, qui factus homo morte turpissima es peremptus: quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modò arcto clausus es sepulchro. Jacet Filius meus extinctus, & sub lapide clausa est vita mea.* O quoties ipsam (t) præ immensitate doloris credis potuisse deficere! à quo ipsam summè miror etiam mortuam non fuisse. Moriebatur vivens; vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Verumtamen rectum erat (u) amoris & mæroris continens modum. Non desperabat, sed piè & justè dolebat: sperans tamen firmiter, fortiterquè tenens, Filium secundùm promissum suum tertia die resurrecturū. In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat: & dū unusquisq; hæsitabat, hæc quæ fide concepit, fidem quam à Deo semel accepit, nunquam perdidit, spequè certissima Domini
 refur-

† S. Bern. Tract. de vitæ myst. cap. 10. nu. 26. u Idem ser. de lament. V. M. nu. 11.

resurgentis gloriam expectavit. Si verò tunc fugam mentalem intelligimus, (x) nec vir nec mulier relictus est cum Christo, præter illam, quæ sola benedicta est in mulieribus: quæ sola per illud triste Sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis Mariæ, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit. *Hanc sententiam reperit Sanctus Bonaventura, (y) dicens: Domina stabat mente tranquilla & pacata, quia certissimam spem habebat de resurrectione Filii sui, & in ea sola remansit fides in ipsa die Sabbathi: & propterea dies Sabbathi attribuitur ei. In confirmationem horum Novatus adducit consuetudinem Ecclesiæ, (z) de qua sic ait: Favere videtur huic opinioni consuetudo illa Ecclesiæ, quæ in officio Hebdomadæ sanctæ, reliquis candelis extinctis, unam accensam affervat. Quorsùm enim hoc, nisi ad insinuandum fidem in Deipara velut lucernam inextinguibilem, nullo alienæ fidei lumine nõ extincto, semper eluxisse tempore passionis & mortis Christi? Hanc fidem Virginis Mariæ jubari Luna assimilat Angelus, (a) sic alloquens Sanctam Brigittam: Quemadmodùm Deus duo luminaria huic mundo necessaria creavit, unum, ut præffet diei, & alterum, ut præffet nocti: ita & in Virgine Maria: alia duo luminaria clariora fieri prævidit. *Primum**

x Idem Tract. de vite myst. c. 2. n. 4. y S. Bonav. lib. de medit. vite Christi cap. 34. z Jo: Bapt. Novat. tom. 1. de Eminens. Deiparæ cap. 28. quæst. 25. 2 Ser. Angelus ad S. Brigit. cap. 5. pag. 717.

namque erat ejus divina obedientia, quæ instar Solis coram Angelis in cælo, & coram bonis hominibus in mundo (quibus verè Deus sempiternus dies est) lucidissimè radiaret. *Secundum* verò luminare erat Virginis Mariæ constantissima fides, quâ multi nocturno tempore, hoc est, ab illa hora quâ Creator in carne pro creatura pati debebat, usque ad resurrectionem in tenebris desperationis & perfidiæ miserè pervagantes, veluti quodam lunari jubare ad veritatis agnitionem deducendi erant. *Deinde Virgo Mater non solum tempore passionis Filii sui, sed etiam toto tempore post ejus Ascensionem, mente revolvebat amarissimam Passionem illius, prout ipsamet Virgo Maria S. Brigittæ revelavit, (b) his verbis dicens.* Ego post ascensionem Filii mei longo tempore vixi in mundo: & hoc voluit Deus, ut visâ patientiâ meâ, & moribus meis, plures animæ converterentur ad eum, & Apostoli, aliique electi roborarentur. Et etiam naturalis dispositio corporis mei hoc exigebat quòd diutiùs viverem, ut corona mea augetetur. Nam omni tempore, quo post ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit. Sic quoque Passio sua in corde meo fixa erat, ut si-
 ve comedebam, si-ve laborabam, quasi recens fuerit in memoria mea. Sic etiam sensus mei abstracti erant à mundialibus rebus, & jugiter quasi novis desideriis inflammabar, vicissimquè doloribus excitabar. Verumtamen sic dolorem temperabam,

&

b lib. 6. Revelat. cap. 61. pag. 530.

& gaudium meum, ut nihil omitterem de his quæ erant Dei. Ergo & vos omnes fideles Christi, (c) recolite de morte & passione Domini nostri Jesu Christi, & per totum vitæ vestræ tempus lachrymas fundere non cessetis. Agnosce ô homo, (d) quàm gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse erat Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam per eorum remedio Dei Filius moreretur. Si membrum Christi es, (e) compatire Capiti tuo: si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem pretiosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris; deliras, degeneras, belluam sapias, lethargum pateris, hominem diffiteris. Dignum est [f] & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri: passo, mortuo, & sepulto Domino. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Alioquin etiam exquiretur à te sanguis justus, (g) qui effusus est super terram: nec immunis eris ab illo tam singulari scelere Judæorum, quodd videlicet tantæ charitati ingratus fueris, quodd Spiritui gratiæ contumeliam feceris, quodd Sanguinem pollutum duxeris, quodd conculcaveris Filium Dei. Præterea (h) non discedat dolor Virginis Matris ab anima

c S. Bern. ser. de lament. V. M. nu. 15. d Idem ser. 3. in Nativ. Dom. nu. 4. e Idem ser. de excellen. SS. Sacram. nu. 6. f Idem ser. 2. in cena Dom. num. 6. g Idem ser. in ser. 4. hebdom. Sate. nu. 21. h lib. 6. Revelat. cap. 57. pag. 524.

CCXCVIII *Prefatio ad Lectorem*

tua: quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad caelestia regna pervenirent. Ergo quicumque es in mundo, (i) consideres qualis erat Deipara in morte Filii sui, & semper habeas prae oculis dolores Matris Dei. *Hanc enim considerationem dolorum suorum ipsamet exposcit à Sancta Brigitta, (k) cùm dicat: Respicio ad omnes qui in mundo sunt, si fortè sint aliqui qui compatiuntur mihi, & recogitent dolorem meum: sed paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Idèd filia mea, licet à multis oblita & neglecta sim, tu tamen non obliviscaris mei: vide dolorem meum, & imitare quantum potes: considera dolores meos & lacrymas, & dole quia amici mei pauci sunt.*

2. XXII.

De quindecim mysteriis dolorum Virginis Deiparae, typicis imaginibus olim adumbratorum: & de triplici modo commemorandi dolores ipsius: necnon de fructu proveniente ex compassione, & recordatione eorundem dolorum.

I. **Q**uemadmodum è Christi suppliciis alii quinque vulnera, (a) alii septem Sanguinis

i lib. 1. cap. 27. pag. 42. k lib. 2. cap. 24. pag. 142. a Auctor anonymus è Soc. Jesu Libero. de fausto anno hominis. Christiani. cap. 21 de dolorib. Virg. pag. 178.

Philosophia Christiana. ccxcix

guinis effusiones, alii novem, alii quindecim celebrant: alii verò pro alio pietatis sensu, mysteria ejusdem plura, aut pauciora meminerunt. Ita pariter dissimili numero, variaquè religione dolores Virginis Deiparæ recensentur. Sunt quidem qui è sacratissimo Rosario quinque duntaxat dolorum iconas pingunt: alii autem gladium unum materno cordi infigunt, juxta Simeonis prophetiam: alii septem, juxta revelationem Sanctæ Brigittæ factam. Oportunius tamen visum fuit, [præsertim evoluendo Rosario] mysteria dolorum omnia in certa ætatis Christi tempora per tres partes seu quinquagenas dispertiri: suntquè cujusque partis quinque mysteria dolorum Deiparæ, dum quinque decades percurruntur, consideranda. *Prima* pars complectitur quinque mysteria ab infantia Christi, usque ad annum suæ ætatis duodecimum. *Secunda* pars complectitur quinque mysteria ab anno Christi duodecimo, usque ad ipsius passionem exclusivè. *Tertia* pars complectitur alia quinque mysteria, quæ tempore passionis Dominicæ sunt facta.

Prima pars habet quinque mysteria dolorum Deiparæ, quæ incipiunt ab infantia Filii sui usque ad annum duodecimum, (b) totidem typicis imaginibus olim adumbrata.

Primum mysterium. *Joan. 1. & Luca 2.* Sui Virginem, licet prænantem non recipiunt: hinc cogi-

b *Ibid.*, pag. 180.

ccc *Praefatio ad Lectorem*

cogitur ad stabulum errabunda divertere . *Typus* : Agar è domo herili proscripta, vagatur exul cum infante . *Gen. 21.*

Secundum . *Luca 2.* Virgo Mater videt cruentam parvuli circumcisionem . *Typus* : Tulit Saphora acutissimam petram , & circumcidit præputium filii sui , tetigitquè pedes ejus , & ait : Sponsus sanguinum tu mihi es . *Exodi. 4.*

Tertium . *Luca 2.* Virgo Mater ingressa templum , inter laudum carmina audit filiolum multis positum in ruinam , suam verò animam gladio fodiendam . *Typus* : Bethlehem ingressa Noëma , plausuquè excepta , inclamat omnibus : Ne vocetis me Noëmi , id est pulchram ; sed vocate me Mara , id est amaram , quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens . *Ruth. 1.*

Quartum . *Matth. 2.* Jussu Herodis cædes Innocentum , quos Virgo Mater deplorat . *Typus* : Pharaonis imperio infanticidium masculorum , quos luget Maria soror Moysis . *Exodi 2.*

Quintum . *Matth. 2.* Virgo Mater jubetur fugere cum sancto Josepho & puerulo Jesu in Ægyptum . *Typus* : Cogitur descendere Sara , cum Abram viro suo in Ægyptum , ut peregrinaretur ibi . *Gen. 12.*

Secunda pars habet alia quinque mysteria dolorum Deiparae , quae incipiunt ab anno sui Filii duodecimo usque ad ipsam Passionem exclusivè , (c)
toti-

Philosophiæ Christianæ. ccci
totidem typicis imaginibus olim adumbrata.

Sextum mysterium. *Luc. 2.* Virgo Mater dolens quærit amissum Filium suum. *Typus:* De Anna ad filium Tobiam absentem suspirante dicitur: Eò quòd die statuto minimè reverteretur filius, flebat mater ejus irremediabilibus lachrymis. *Tob. 10.*

Septimum. Carissimus sibi sponsus Joseph vitâ defungitur. *Typus:* Mortuus est Manasses solatium Judith conjugis suæ. *Judith. 8.*

Octavum. *Marci 6.* Capite plectitur consanguineus Virginis Mariæ Joannes Baptista, Filiiquè sui præco sanctissimus. *Typus:* Integerrimum Regem Josiam intereptum lugent filiæ Israël. *lib. 2. Paralip. cap. 35.*

Nonum. *Matt. 11.* Virgo Mater intelligit Filium suum ludibrio à sua gente haberi. *Typus:* Dolet Rachel primogenitum suum Joseph à fratribus illuderi. *Gen. 37.*

Decimum. *Joan. 5.* Virgo Mater dolet super Filio suo, quia quærebant eum Judæi interficere. *Typus:* Incredible mærore conficitur Esther, quia impius Aman necem machinatur Hebræis. *Esth. 14.*

Tertia pars habet alia quinque mysteria dolorum Virginis Deiparæ, [d] quæ tempore passionis sui Filii sunt facta.

Unde-

cecii *Præfatio ad Lectorem*

Undecimum mysterium. Virgo Mater Filio suo, priusquàm se ad subeundam in monte Calvariaë mortem accingat, extremò valedicit, *Typus*: Sara suum unicum Isaac ad sacrificium, in eundem montem olim tendentem, postremò à se dimittit. *Gen. 22.* Docent enim *Sanctus Augustinus, Nyssenus, Procopius*, Saram immolationis sui filii consciam, eique assensam fuisse.

Duodecimum. Virgo Mater cum aliis sanctis mulieribus fit obvia Christo crucem ferenti. *Typus*: Mæstissimo Pontifici Oniæ flentes virgines occurrunt. *Machab. 2. cap. 3.*

Decimumtertium. *Joan, 19.* Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. *Typus*: Mater Machabæorum pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspicit. *Machab. lib. 2. cap. 7.*

Decimumquartum. Mortuus Filius materno in sinu jacet. Narrat Adricomius *in descriptione Jerusalem num. 255.* quòd etianum ostenditur locus, ubi corpus Christi de cruce depositum gremio Virgo Mater excepit: distatquè à loco, in quo crucifixus est, gressibus tredecim. *Typus*: Sunamitidis dolens videt in sinu & [genibus suis filium expirantem. *Lib. 4. Reg. cap. 4.*

Decimumquintum mysterium. *Marci 15.* Magno Virginis Matris dolore corpus Christi extinctum sepelitur. *Typus*: Filii Resphæ, quos mater substrato sibi cilicio in crucem actos luxerat & custodierat, sepulturæ traduntur. *Lib. 2. Reg. cap. 21.*

Vis

Vis per modum compendii, tres hosce Mysteriorum quinariorum tanquam fasciculum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Deiparæ colligare, & amara illa omnia quæ pertulit, semper in memoria retinere, assiduamquæ meditatione revolvere? En habes tres versiculos, qui complectuntur eodem ordine ut supra, quindecim mysteria dolorum Virginis Matris, videlicet:

1. Stabulum, 2. Cultrum, 3. Gladium, 4. Cædemquæ, 5. Fugamquæ.

1. Amissum, 2. Functum, 3. Plexum, 4. Irrisum, 5. Interimendum.

1. Amplexum, 2. Occursum, 3. Fixum, 4. Positum, 5. atque Sepultum.

II. *Triples est modus commemorandi dolores præfatos. Primus quidem modus consistit in erectione Confraternitatis, sub invocatione septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis: cui nomen suum inscribant Christianifideles.* Dum Provincia Belgica (e) anno circiter 1482. civilibus bellis arderet, & passim inter Primates plebemquæ intestinis odiis acruentis litibus scinderetur, neque porrò spes ulla rem deploratam instaurandi effulgeret: tandem auspiciis Philippi I. Austriaci Sodalitium in venerationem septem Dolorum Virginis feliciter cæptum est. Et ecce illic tumultus publici sopiti, seditioesquæ compositæ, & mores Urbium in melius commutati sunt. Cæterùm præter Cardinales, Archiepiscopos,

e *Idem Auctor Anonymus Ibid. cap. 3. pag. 187. & seqq. ex Georgio Colvener. lib. de Virg. Dolor. & origine Sodalitii.*

pos, aliosquè Præfules, etiam Philippus I. cum parente suo Maximiliano Primo & Margareta Austriaca sua sorore, deinde ejusdem Philippi Filius Carolus V. interq; Reges, Serenissimi Belgarum Duces & Principes Albertus & Isabella in Album Sodalium sunt relati. Idem Sodalitium ab Alexandro VI. Leone X. Paulo V. Summis Pontificibus confirmatum, Indulgentiisquè auctum, innumeris claret miraculis. *Gandavi* præter Confraternitatem jam olim Virgineis Doloribus memorandis ante aliquot sæcula institutam, etiã solemnitas novè dierum quâ supplicationibus, quâ prædicatione verbi Dei, quâ Sacrificiis religiosè celebratur in Ecclesia S. Salvatoris. Superioribus annis à Reverendissimo D. Antonio Triest Episcopo Gandavi, in afflictæ patriæ opportunum solatium, apud Virgines Religiosas (quibus ab Annunciata Virgine nomen est) post Statuam Deiparæ solemniter dicatam, sub titulo septem Dolorum est erecta Confraternitas Dominicâ Passionis die 16. Martii anno 1625.

Porrò eodem anno Rm̄us Dionysius Christophori Brugenſis Episcopus, non minùs ardenti sua pietate, quàm auspicato natu Serenissimæ Infantis Isabellæ, feliciter instauravit in insigni Ecclesia Collegiata S. Salvatoris jam propè collapsum Sodalitium septem dolorum, olim à Cive Brugenſi Philippo Primo Austriaco primitùs inchoatum. Deinde Philippus IV. Rex Catholicus sese Patronum & Protectorem præfati Sodalitii constituit, ut testatur ejus Diploma datum Bruxellis anno Regnorum illius septimo,

mo, die 24. Decembris 1625. Unde etiam nunc quotannis Regiæ ipsius Majestatis commissas vices gerunt Septem Viri è primariis ejusdem Civitatis, in solemnissima supplicatione de prædictis septem Doloribus Deiparæ. Hanc autem solemnitatem celebrant Dominicâ Palmarum Decanus cum Capitulo Ecclesiæ præfatæ, & Patres Capucini, adornato circuitu, adhibitisquè spectaculis hominum nigro sacco horridoquè cilicio à capite usque ad calcem indutorum, Præferunturq; huic Processioni dolorosæ Virginis icones, & cruenta passionis Christi instrumenta, ad excitandum compassionem erga Virgin. Dolorosam. Accedit deniq; ad annuam istam festivitatem mensura Concio, Supplicatio, Laudes, & hebdomadarium solemne Sacrum.

Insuper *Mechlinia* idem Sodalitium in augusta Transilivanæ Virginis Ecclesiâ canonicè est institutum ab Illustrissimo Domino Jacobo Archiepiscopo Mechlinensi die 12. Kalendas Octobris anno 1626. In Album ejusdem Confraternitatis adscripti per octo dies numerantur populi 4691. Princepsquè inter illos Archiepiscopus: paucis verò hebdomadis elapsis recensentur adscripti septem millia populorum. Ibidem singula mæroris Virginei monumenta imaginibus septem expressa, & circa Templum viciniquè adiacentem certis intervallis, atque distinctis Stationibus, ac concursu celeberrimo, collocata cernebantur. Quod iter inde usquehuc sedulitate sanè ingenti, ab omni genere hominum frequentari solet, etiam intempestivis horis & tempo-

re perfrigido. Taceo libellos ejus argumenti ad aliquot millia distributos, *Votiva Sacra*, aliaquè id genus pietatis officia. Visa est ipsamet Virgo pluribus admirandis rebus hanc populi pietatem divinitus confirmasse: à quibus tamen vulgandis superfedemus, donec legitimis Instrumentis ac sigillo publico approbentur.

Secundus modus commemorandi Dolores Deiparae consistit in institutione Stationum, quae representent mysteria septem Dolorum Matris dolorosa.

Serenissima Maria Austriaca, (f) Ferdinandi II. Imperatoris parens, tam æstate quàm hyeme in Ædem sacram, Juno circiter lapide à *Gratio* distitam quolibet die Sabbathi proficisci consuevit, causâ pietatis ac religionis erga Virginem Deiparam. In itinere occurrunt ex utroque latere septem Columnæ pari intervallo inter se divisæ: in quibus hinc Gaudiorum, illinc Dolorum Virginis mysteria expressa spectantur. Quàm primùm ad columnam primam ventum erat, statim ipsa Princeps cū suis filiabus totoquè comitatu descendeat de curru, concentu musico Litanias audiebat, flexo poplite ad singulas columnas advolebatur, precationunculas cuique Mysterio accomodatas recitabat, deinde ipsam Ecclesiam intrabat, ac tribus Sacris continuè assistebat. Porro (g) *Gandavum* Metropolis Flandriæ in hoc genere amænum ac sanctum toti Provinciæ Belgicæ spectaculum præbet. Siquidem in

vicino

† Idem *ibid.* pag. 199. ex *Jac. Guffman. in vita Margar. Austr. par. 1. cap. 14. & Ibid. pag. 200.*

vicino monte Blandinio, (ubi per longum circuitum & disposita intervalla, Virginei luctus variæ imagines inter Gaudiorum mysteria palàm exhibentur) incredibile dictu est, præter stata quoque sabbatho pietatis obsequia, quantus sit mense præsertim Augusto per dies novem circumeuntium fervor hominum, quot in mediis plateis ad singulas imagines procumbentium & orantium millia, quanta omnis ordinis, ætatis, sexus multitudo, quanta summorum infimorumquè religio erga Virginem Matrem dolorosam.

Tertius modus commemorandi Dolores Deiparæ consistit in externo signo, id est in delatione habitus seu scapularis coloris nigri, ob commiserationem erga Matrem dolorosam: vel in oblatione votivorum donariorum ad ipsius Imaginem, seu Altare.

Anno 1240. (h) hortatu Deiparæ è cælo nigrum habitum manu præferentis, Ordo Servitarum institutus est, ut Virgineis ærumnis piè recolendis vel maximè intēderet: atroq; habitu se in posterū induit, in venerationem scilicet cultumquè istius mæstitiæ, quam in amarissima Filii sui passione & morte toleravit Virgo Mater. Horum exemplo is cui visum esset pietatis causâ cælibem vitam agere, posset singulari etiam hoc nomine (vestium omni luxu abgigato) nigras vestes induendas eligere, in perpetuum quasi doloris argumentum. Profectò immensus est numerus eorum, (i) qui vario pietatis

u

ductu

h Perr. Ans. Spinellus lib. de Maria Deip. cap. 40. n. 10. i Georg. Colvener. lib. de Virg. Dolor, de Mirac. & origin. Sodalitii 7. Dolor.

ductu, sive concepto voto, sive luminibus accensis, aliisque id genus obsequiis dolorosæ V. Matris præsidium deposcentes, divinitus adjuti fuerunt. In ipso duntaxat Sodalitio septem Dolorum Deiparæ, decem supra ducenta miracula in istiusmodi hominum opem cælitus perpetrata sunt, & autoritate publicâ approbata.

III. Refert Carthægena, (k) Sanctæ Elisabethæ de Schonaugia fuisse revelatum, quod Mariæ Virgini concessum sit à Christo Domino, ut Dolores ipsius Virginis recolenti, quemcunque favorem ad ejus salutem conducentem posset libere elargiri: atque hoc præcipuè, ut non nisi peractâ de admittis culpis verâ pœnitentiâ, è vita migraret. Porro cum aliquando B. Joannem Evangelistam (l) ardens incessit cupido videndi Deiparam, (posteaquam jam in cælum erat assumpta) à se abreptus spectavit cum Filio Matrem, & audivit æquè de illius tormentis in cruce toleratis, atque de ingenti sua erga eum commiseratione differentem. Filio deinde supplicavit, ut cæleste quoddam munus, idquè non vulgare omnibus impertiret, qui piè Dolorum Virginis meminissent. Filius illicò hæc quatuor dona spondit. *Primum* erat, ut quisquis Virginem per Dolores ante adductos precaretur, is priusquam è vita decederet, verum germanumquè de præteritis culpis dolorem cælitus impetraret. *Secundum*, fore ut suo ipsius, præsertim imminente morte, præsidio munire-

k *Cartag. tom. 3. lib. 12. Homil. 1. l Pomerius lib. 3. de B.V.M. p. 4. c. 3.*

muniretur. *Tertium*, se illius quisquis esset cordi sua supplicia inscripturum, ideoquè mercedem olim munificam præstiturum. *Quartum*, se Matri omne jus, facultatemquè concedere pro tali aliquo quidlibet impetrandi.

Silvanus refert (m) Clericum quendam fuisse, qui licet non religiosè admodùm vixisset, attamen Deiparam super Filii morte ingentibus immerfam doloribus tenerè miserebatur. Ideoquè quinque propositis gaudiis reficere ac recreare ipsam nitebatur, his verbis: *Gaude ô felicissima Virgo, quia Archangelus immenso te olim gaudio ac voluptate perfudit. Gaude ô beatissima Virgo, quia Dei Mater effecta es. Gaude ô admirabilis Virgo, quia Virgo & Mater es. Gaude ô lucidissima Virgo, quia orbi peperisti lumen orbis. Gaude ô benedicta Virgo, quia beatam te dicent omnes generationes.* Huic autem Clerico in amaro mortis discrimine, & anticipi lucta gravissimis presso molestiis lætissima occurrens Virgo, ait: *Ecquid merore conficeris fili, qui à me toties merorem es conatus expellere? Gaude ejamecum, & me præeuntem letus sequere.* Hoc dicto abiit, & comitem hanc animam secum abduxit. Nos ex hoc monens Deipara, quàm ingens præmium sit præparatum iis, qui suos Dolores, quos ipsa pertulit compatiendo Filio suo, non solùm in memoria retinent & assidua meditatione revolvunt, sed etiam ultrò macerant carnem suam in venerationem Dolorum Virginis Deiparæ. *Grete-*

rus scribit, [n] quoddam B. Henricus Suso Ordinis Prædicatorum, vir longè religiosissimus dolentem Filium Virginis Mariæ, & Filio collachrymantem Matrem hoc pacto veneratus sit. Crucem palmari longitudine sibi fabrefecit, cui acutos triginta claviculos infixit, & nudum inter utrumque humerum exposporrexit, ac per octo annos die noctuquè gestavit in honorem cruciatuum Christi. Horum annorum postremo per eandem Crucem, præter dictos claviculos, tormenti genere inaudito septem ingentes acus trajecit, quæ perpetuo dolore teneram carnem infernè configerent, & suo acumine septiformi, quasi septem gladios Virginei doloris exprimerent. Quoddam si hujusmodi macerationem carnis spontè suscipere non audemus, saltem ærumnas sive mentis, sive corporis, in honorem Virginis dolorosæ, volenti lubentiquè animo subeamus. Non aspernatur illa affectum compassionis & devotionis erga suos Dolores: non aspernatur ingens desiderium quorumlibet quamvis peccatorum, qui totam spem suam in Deipara posuerint, ejusqu; Doloribus compassi fuerint.

Cùm S. Brigitta Vidua (o) ex compassione oraret pro quodam viro nobili, & magno domino secundùm mundum, (qui licet graviter infirmaretur, tamen peccata sua confiteri Sacerdoti volebat) Christus apparens Brigittæ sicut: *Dic Confessorio tuo, ut istum hominem infirmum visitet, & Confessionem ejus audiat.* Missus igitur Sacerdos à Sancta Brigitta,

n Grævus lib. de disciplina o lib. 6. Revelat. cap. 97. pag. 561,

ta, venit ad eundem infirmum: sed iste respondit se non indigere Confessione, testans se sæpissimè confessum esse. Sequenti die iussu Christi sacerdos à S. Brigitta iterùm mittitur ad illum, à quo etiam id quod priùs responsum acceperat. Tertid autem die reversus Sacerdos ad infirmum, exposuit ei illa impedimenta salutis suæ, quæ Christus Dominus Beatæ Brigittæ revelaverat. Tunc ille resolutus in fletum dixit Sacerdoti: Et quomodò ego veniam peccatorum meorum consequi possem, qui tot sceleribus sum irretitus? Cui Sacerdos inquit: Etiam si multò plura & graviora perpetrasses, salvaberis tamen per veram contritionem & Confessionem: hoc fidenter tibi promitto. At ille: Ego de salute animæ meæ desperabam, quia homagium feci diabolo, qui mihi multoties locutus est. Ego sum modò sexaginta annorum, & nunquam feci Confessionem, nec sumpsi Corpus Christi: jam verò dico tibi Pater, quòd tales lachrymas nunc me habere sentio, quales nunquam me habuisse recordor. Igitur die illo quater confessus est, & sequenti die etiam post Confessionem accepit Sacram Eucharistiam, ac se xto die mortuus est. De quo Christus Dominus postea apparens Sanctæ Brigittæ sic loquebatur, dicens: Iste homo, cujus periculum ostendi tibi priùs, jam venit ad purgatorium: & hujus liberationis signum est contritio, quam habebat in fine vitæ suæ. Sed potes querere: Quare meruit contritionem homo iste, qui tantis sceleribus involutus erat? Respondeo tibi: *Hoc fecit dilectio mea, (qui usque ad ultimum*

punctum expecto hominis conversionem) & meritum
 Matris meæ. Et licet homo iste non dilexit eam cor-
 de, tamen, quia consuetudo sua erat compati dolori
 ejus, quoties eam considerabat, & audiebat nomina-
 ri: idèò compendium salutis suæ invenit, & salvatus
 erit. Ergo quicumque sumus in mundo, (p) con-
 sideremus qualis erat Deipara in morte Filii sui, &
 semper habeamus præ oculis dolorem ejus. Non di-
 scedat [q] dolor suus ab anima nostra: quia nisi
 essent tribulationes, paucissimi ad cælestia regna
 pervenirent. Porro insitemur in hoc D. Bonaventuram,
 qui cum afflicta Deipara dolere exoptans, (r)
 his declarat verbis: Tu vulnerata es Mater Christi,
 vulnera & servum sine vulneribus miserum, & nil
 aliud præter vulnera postulant. Non peto cælum, non
 terram, non lunam, non sidera, sed vulnera. Non-
 ne tu es Domina spes nostra? nonne tu es Domina
 Regis? nonne tu es Mater præmii? nonne tu es,
 quæ nos exaltare desideras? Si ergo nos vis facere
 gloriosos, imò quia vis, quare negas nobis causam?
 nam absque vulnere salvari non possumus. O Do-
 mina mea, ô vita mea, ô spes mea, ô dulcedo mea,
 ô bona Domina, vulnera corda nostra. Nonne plus
 sine comparatione nos diligis, ac bona nostra procuras,
 quàm mater carnalis? Quid enim aliud habes
 facere, quàm corda nostra vulnerare? non enim pos-
 sumus stare sine vulnere Filii tui, fratris nostri.
 Verecundum enim nobis valdè est, videre Filium tu-
 um

p lib. 1. cap. 27. pag. 42. q lib. 6. cap. 57. pag. 524. r D. Bonaven-
 in Stimulo amaris de planctu Virginis cap. 4.

um Dominum nostrum sic vulneratum, & te Dominam nostram sic crudeliter vulneratam, nos verò peccatores, servos vestros vilissimos, sic liberos pertransire & illæsos.

2. XXIII.

De Mysteriis septem dolorum, institutis ab Ecclesia in memoriam passionis Dominicæ: quibus, dum recitamus divinum Officium, excitamur ad recolendam passionem Christi.

I. **A**D conservandam copiosæ redemptionis memoriam (a) septies in die laudem dicimus Domino, juxta vulgatissimos (b) Glossæ versiculos sequentes:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.

Sexta Cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.

Vespera deponit. Tumulo completa reponit.

Qui septenarius sacratus numerus (c) à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriiquè tempore nostræ

a Card. Bona lib. de divina Psalmod. cap. 2. §. 3. num. 2. b Gloss. in cap. 1. de celebr. Missarum. c D. Bened. in sua Reg. cap. 16.

servitutis officia persolvamus, quia de his Horis diurnis dicit Propheta: *Septies in die laudem dixi Dño.* Nam de nocturnis Vigiliis idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ, id est Matutinis, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperâ, Completorio: & nocte surgamus ad confitendum ei. *Hactenus Regula D. Benedicti.* Hæc autem potissima ratio est, [d] ob quam his septem Horis divina celebrantur Officia: hæc sunt præcipua mysteria passionis Dominicæ, quibus, dum psallimus, insistere debemus. Nihil enim (e) inter omnia opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ oblectat, sicut Passio Salvatoris nostri. Cibus in ore, (f) Psalmus in corde sapit. Tantum illum terere non negligat fidelis & prudens anima dentibus intelligentiæ suæ, nè si fortè integrum glutiat & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili & dulciori super mel & favum. Offeramus cum Apostolis in cælesti convivio & Dominica mensa favum mellis. Mel in cera, devotio in litera Psalmi est. Alioquin litera occidit, si absque spiritûs condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus in Evangelio Joannis: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Et item quem legimus, dicente

d *Card. Bona loco citato.* e *S. Leo Magnus ser. 11. de Pass. Dom.*
f *S. Bernard. ser. 7. in Cant. num. 6.*

te Sapia: *Spiritus meus super mel dulcis.* Sic delectabitur in crassitudine anima tua, sic holocaustum tuum pingue fiet. Passio Christi (g) est dulcissima medicina, quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non solum sanat ægros, sed etiam vivificat mortuos. Inde holocausta orationum [h] tanquam ex adipe vituli saginati impinguntur. Utinam ego possem his septem horis, (i) ac momentis vitæ meæ tam beatæ Passionis, tam vivificæ mortis recordari, à qua & vita & resurrectio mea, & omne bonum meum procedit. Plus enim mihi contulit Dominus redimendo, quàm creando. Creando quippè me mihi dedit: redimendo verò & seipsum dedit, & me reddidit mihi. De nihilo creatus sum, sed non de nihilo redemptus. Flagella, spinas, clavos, & crucem sustinuit amarissimam, totumquè Sanguinem effudit, ut me vitæ sempiternæ participem efficeret. Vade igitur anima mea ad montem myrrhæ, collige tibi fasciculum ex omnibus amaritudinibus Domini tui Jesu Christi, & dic anima dilecta: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Hunc fasciculum si semel collegero, nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. In hoc justitiæ mihi consummationem constitui, in hoc scientiæ plenitudinem, in hoc divitias salutis, & copias meritorum. Hæc mea sublimior Philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Nullibi enim melius

g Idem Ser. 11. in ult. *Cana num.* 25. h Idem Ser. 20. in *Cant.* num. 7. i *Cardin. Bona de Divin. Psalm.* 107. 2. num. 2.

meliùs discitur quid sit sanctitas, quid sit perfectio, quàm in vulneribus Salvatoris. Nulla efficacior est medicina ad purgandas animæ sordes, ad curanda conscientie vulnera, quàm Christi vulnerum meditatio. Quid tam pium fidelium affectibus, (k) tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, sicut Crucifixi memoria? Loquatur quidem Paulus inter perfectos, sapientiam in mysterio absconditam, sed mihi cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum: his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem & his qui salvi fiunt planè Dei virtutem, Deiquè sapientiam: mihi prorsùs altissimam atque nobilissimam Philosophiam, per quam irrideo infatuatam tam mundi quàm carnis sapientiam. O quàm perfectum me putarem, & quàm provectum in sapientia, si hujus Crucifixi idoneus inveniar auditor, qui factus est nobis à Deo non solùm sapientia, sed & justitia, & sanctificatio, & redemptio! Omnindè & tu si Christi confixus es Crucis, sapiens es, justus es, sanctus es, liber es. An non sapiens est ille, qui cū Christo exaltatus à terra, sapit & quærit quæ sursùm sunt? An non justus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultrà non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibet hostiam vivam, sanctam, placentem Deo? An non verè liber, quem Filius Dei liberavit? Venit princeps hujus mundi, (l) & in Salvatore non invenit quid-

k *Guericus Abb. Ord. Cist. ser. 2. in Dom. Palm. nu. 1. inser Op. in S. Bern. tom. 6. pag. 1187. l S. Bern. tract. de error. Abailar. cap. 6. num. 15.*

quidquam ; & cùm nihilominus innocenti manus injecit, justissimè quos tenebat amisit: quando is qui morti nihil debebat, acceptâ mortis injuriâ , jure illum qui obnoxius erat , & mortis debito , & diaboli solvit dominio .

II. *Docemur ut his septem horis , quibus septies in die laudem dicimus Domino , memoriam Passionis ejus recogitemus , juxta vulgatissimos Glossæ versiculos .*

Matutina ligat Christum . Occurrat itaque spiritaliter, (m) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus , proditus & venditus à discipulo , à Judæis tanquam vile mancipium precio satis exiguo comparatus , captus , ligatus , & tractus tanquam homo sine adjutorio . Vinculum fuit funis , (n) quo ligabatur , cùm traditus esset , & caperetur . Ita enim narrat Matthæus in Evangelio : *Tunc injecerunt manus in Jesum , & vinxerunt eum .* O Rex regum & Domine dominantium , quid tibi & vinculis ? Tot aded ligaris vinculis , qui solus ligandi & solvendi potestatem habes ? Sed propter misericordiam tuam ligatus es , ut nos à miseriis nostris faceres absolutos . O quàm immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula , quibus Agnum micillimum vinciebant ! Quis enim audiat sine gemitu , [o] qualiter homicidas manus in illa hora in te Jesu bone injecerunt , & innocentes manus tuas vinculis adstringentes , te Agnum mansuetissimum nihil loquentem , adinstar latronis contumeliosè
traxe-

m Ser. 2. in *Cana Dom.* num. 7. n *Tract. de vite myst.* cap. 4. num. 12. o Ser. de *Pass. Dom.* nu. 10.

traxerunt ad victimam. Video oculis mentis te Domine Jesu, (p) tam duris nexibus adstrictum tanquam latronem trahi ad iudicium Principis sacerdotum, & perhorresco, & admiror: & admirando desicerem, nisi quod liquidè cognosco te prius in corde charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad duriora sufferenda te leviter attrahere potuerunt. Gratia sit vinculis tuis bone Jesu. Ipsa enim nostra vincula tam potenter diruperunt.

Prima replet sputis. Occurrat itaque spiritualiter, (q) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, vellicatis genis, facie sputis illita. Sic enim narrat Matthæus in Evangelio: *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.* Concilio malignantium pontificum presentatus, (r) & veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphemia adjudicatus est morti. Ibi conspuerunt in faciem dulcis Jesu, (s) & colaphis eum cædebant, & alapas in caput ejus certatim ministri dederunt. O amantissime Domine, (t) quanta illic indigna à propria gente pertulisti! Vultum tuum desiderabilem (in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cælos adimplevit lætitiâ, quem deprecabantur omnes divites plebis,) Judæi polluti labiis suo sputo coinquinaverunt, sacrilegis manibus cæciderunt, velo in derisum operuerunt, & te Dominum universæ creaturæ tanquam servum

con-

p *Tract. de vite myst. cap. 4. nu. 12.* q *Ser. 2. in Cena Dom. num. 7.* r *Ser. de Pass. Dom. nu. 10.* s *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 13.* t *Ser. de Pass. Dom. nu. 10. 11. & 12.*

contemptibilem colaphizaverunt: adhuc autem & Animam tuam incircumcisæ carni deglutiendam tradiderunt. Vincitum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimere qui peccatum non noveras, & virum homicidam dari sibi; agnum lupa, aurum luto postponentes. O indignum & infelix commercium! Et quidem non ignorabat impius Pilatus, per invidiam hæc in te Domine fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit Animam tuam amaritudine sine causa. Illudum recepit, in conspectu illuorum ad stare te iussit: nec percepit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligere. Novissimè autem incircumcisorum militum manibus devolutus es morte turpissima consumendus.

Causam dat Tertia mortis. Occurrat itaque spiritualiter, (u) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, scisso verberibus dorso, punctis verberibus capite, morte turpissima condemnatus. Hac enim hora tertia (x) Dominus noster spinis coronatus, Judæorum vocibus crucifixus est, juxta illud Psalmi quinquagesimiseptimi: *Filii hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Nam Pilato judicante illum dimitti, Judæi firmaverunt sibi sermonem nequam, perti-

u Ser. 2. in Cena Dom. num. 7. x Card. Bona libr. de Divina Psalmod. cap. 7. S. 1. num. 1. ex Ruperto Abb. lib. 1. de Div. Off. cap. 3.

pertinaciter clamando : *Crucifige, crucifige eum.*
 Et ille quidem iniquus iudex sacrilegis Judæorum clamoribus commotus, Auctorem vitæ morte turpissima condemnavit. Jesus autem cum iniquis reputatus, Agnus sine macula sævissimæ luporum rapacitati traditus est. Tum bajulans sibi Crucem, ad locum supplicii contumeliis & blasphemiiis la-cessitus pervenit: ipsoquè patibulo in terra defixo, immania tormentorum genera erga ipsum Dei Filium innovata sunt. Hæc verò omnia (y) horâ ter-tiâ contigisse Ignatius Martyr & Athanasius obser-vant. Et quidem non ignorabat impius Pilatus, (z) per invidiam hæc in Jesum fieri, nec tamen absti-nuit ab eo temerarias manus, sed replevit Animam ejus amaritudine sine causa, dimittens Judæis Barab-bam homicidam, Jesum verò inno-centem tradens vo-luntati eorum, ut crucifigeretur. Per Sacerdotum quippè persuasionem populus dimitti Barabbam, (a) Christum verò crucifigi acclamavit, & Pilatus fieri adjudicavit. Linguis ergo non manibus ipsum crucifixerunt, sicut dicit Propheta David : *Linguas suas ut gladium acuerunt.*

Sexta Cruci nectit. Occurrat itaque spiritualiter, (b) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, terebratis palmis, pedibusquè confossis : qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans expoluit, & nudum corpus quasi incu-
 dem

y Idem Card. ibid. citat Ignatii Epist. ad Trallian. & Athan. lib. de Virginit. z S. Bern. ser. de Pass. Dom. num. 11. a Ser. in ser. 2. Paschæ num. 13. tom. 6. pag. 723. b Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.

dem malleatorum ictibus patienter explicuit. Hoc autem spectaculum est sextâ horâ exhibitum, (c) ac mysterium hac hora fuit impletum, quod animum meum magis percellit, commovet viscera, concutit mentem, calamum urget. Christus Dei Filius, heu quantum in hoc nomine & doloris, & sensûs! Jesus inquam Salvator mundi hac ipsa hora pro salutē nostrâ crudeliter crucifixus est. Ita sanè congruum fuit, (d) ut quo tempore ever- sio facta fuit, eodem fieret reparatio. Congruum fuit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & eâdem horâ, quâ morbus irreperat, remedium applicaretur. Ecce Abel occisus à fratre, ecce Isaac ligatus à patre, ecce serpens æneus in deserto exal- tatus à Moyse, ecce Agnus immolatus in lege, ecce Deus occisus ab homine. Ecce, ô homo, Vita tua quasi pendens ante te. Hostia scilicet pacifica, hos- tia pro peccatis extra templum, extra civitatem, extra castra immolatur: ut veterum victimarum figura cessante, Hostia nova novo Altari impone- retur, & Crux Christi gloriosa in conspectu totius orbis exaltaretur, ipso Domino magnæ promissio- nis fidem adimplente, qui dixerat: *Et ego si exalta- tus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*

Latus ejus Non abipertit. Occurrat itaque spiri- tualiter, (e) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, saucio latere: qui pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exilio transfe- rendis

c Card. Bona libr. de Div. Psalm. cap. 8. §. 3. nu. 3. d Cy-
- ill. Hierosol. cap. 14. ab eodem Card. relas. ibid. e S. Bern. Ser. 2.
in Cæ. ut Dom. num. 7.

rendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exoluit. Sunt (f) qui dicant, hac hora nona ejectos esse primos parentes è paradiso, nam post meridiem ambulabat Dominus ad auram, ut perniciosam illorum transgressionem argueret: cùmquè debitam peccato pœnam imposuisset, emisit eos de paradiso voluptatis, ut qui terram prætulerant cælo, terrenis operibus occuparentur. Quàm insipientes fecit eos peccatum! Audita voce Dei absconderunt se non ferentes confusionem, gratiâ expoliati, quâ priùs vestiti erant. Mox enim ut intravit peccatum, simul eos inuasit erubescencia, clamante conscientia, & reos accusante, durisque flagellis puniente. Deus autem misericors & miserator, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, ante durissimi exilii mortisque corporalis sententiam Redemptorem miseris promisit: qui, ut effectus promissioni & merito conveniret & tempore, circa finem diei Protoparentibus promissus, circa finem sæculi missus in mundum, horâ item nonâ crudelissima morte exivit è mundo. Hæc potissima ratio est, ob quam ad horæ nonæ celebranda mysteria non sine lachrymis & singultibus convenire debemus. Hac enim hora Dominus Jesus exclamans voce magna emisit spiritum. Tunc extensis in Cruce manibus damnatam in primo homine posteritatem ad esum ligni vitæ secundus homo revocavit. Tunc Passio Domini passiones nostras evicit, & singularis misericordia

f *Moses Barc. par. 1. de Paradiso cap. 28. relatus à Card. Borza lib. de Div. Psalmod. cap. 9. §. 2. num. 2.*

Philosophiæ Christianæ. cccxxiii

cordia reatum primæ prævaricationis absolvit. *Propria scilicet Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* ut si eum amare superba mens nostra detractabat, saltem amoris tam singulari dilectionem rependere non neget.

Vespera deponit. Occurrat itaque spiritualiter, (g) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Jesus: cōsideremus quomodo corpus ejus exanime deponitur de Cruce. Suffinet enim adhuc, (h) & diligenter considerat si quis sit qui simul contristetur: si quem inveniat, qui Sanguinis rivus abstergat, & de cruce depositum Corpus suum munda sindone non panni sed cordis involuat, & flens cum beatis mulieribus ad tumulum prosequatur. *Vespera tunc erat,* (i) cū è Cruce depositus, & afflictissimæ Matris sinu exceptus dolorem ipse innovavit, cū Angeli pacis ad obsequiū Reginæ suæ circumstantes amarè flebant. Quis hīc gemitus (k) lachrymasquē contineat? Quis hīc non doleat? Quia si est piū congaudere pio Jesu, ita est piū flere piū Jesum. Venite quæso, (l) & condolete ei omnes, qui gaudere desideratis in Domino. Attendite manu fortem nostrum, quomodò contritus est: desiderabilem nostrum, quomodò miserabiliter deformatus est: pacificum nostrum, quomodò in bello peremptus est. Vacate & videte quàm amarâ, quàm turpi morte condemnatus est. Agnosce ô homo, (m) quàm

x

gra-

g S. Bern. ser. 2. in Cena Dom. num. 7. h Tract. de vite myst. cap. 4. nu. 16. i Card. Bona lib. de Div. Psalm. cap. 10. §. 4. nu. 2. k S. Bern. tract. de vite myst. cap. 4. nu. 15. l Ibid. cap. 5. nu. 27. m Ser. 3. in Nat. Dom. nu. 4.

cccxxiv. *Prefatio ad Lectorem.*

gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Proinde (n) recole frequentius Salutem mundi pro te passam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatire Capiti tuo: si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortē pretiosam Unigeniti Dei Patris. Et dic: Fletus deducite oculi mei, [o] & liquece anima mea igne compassionis super contritione amabilis Jesu, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus. O dulcissime [p] & amantissime Jesu, quis te usque ad hæc non solum dirissima, sed etiam turpissima vulnera patienda pertraxit? quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum utique antiquorum nostrorum unica mors Salvator.

Tumulo Completa reponit. Occurrat itaque spiritaliter, (q) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Jesus, quomodo corpus ejus reponitur in sepulchro. Hac quippè hora [r] Dominicæ sepulturæ memoria celebratur. Corpus enim Christi è cruce depositum in monumento positum est, non corruptioni obnoxium, sed ad immortalitatem resurrectorum. Quiescamus suaviter in hoc Sepulchro, quicumque Christi passionibus communicamus

n Ser. de excellen. SS. Sacramen. nu. 6. o Ser. de Pass. Dom. num. 14. p Traët. de vite myst. cap. 5. nu. 24. q Ser. 2. in Cena Dom. num. 7. r Card. Bona libro de Div. Psalmod. cap. 11. 5. 2. num. 2.

mus. Maneamus in eo securi, nam futurum illud gloriosum Propheta Isaias prædixit. Quiescamus inquam & nos, & moriamur cum eo, ea scilicet morte, de qua psallimus. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*: ut consepulti cum Christo ingrediamur in abundantia sepulchrum. Hæc mors perducit nos ad vitam, quæ non nisi mortua carne cognoscitur, sicut scriptum est: *Non videbit me homo, & vivet*. In patibulo Sextâ feriâ (s) redemit hominem, ipsa die qua fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò die, quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor novus Homo. Ita & nos quicumque sequimur Caput Christum nostrum, tota die hac qua plasmati & redempti sumus, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveravit, & donec dicat Spiritus ut quiescamus à laboribus nostris. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput Christum nostrum deponere viri iusti: nos verò dignatione sua Angeli sancti deponant, ut consummata viriliter die crucis, secundâ quæ post mortem est die quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris: expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demùm die, configurata Corpori claritatis suæ.

III. *Proponitur nobis pia exercitatio erga Christum crucifixum, desumpta ex Horologio Ascetico Eminentissimi Cardinalis Bona Ordinis Cisterciensis, cap. 5. §. 9.*

Montibus Hannoniæ parvus libellus impressus est anno 1634. praxim quandam continens spiritualis exercitationis erga Christum crucifixum, qua pius quidam Dei Servus utebatur. Est autem hujusmodi tenoris:

1. Habebat hic in cubiculo suo Christi è Cruce pendentis affabrè factam Imaginem opere anaglyptico, quam semel in mense nudis pedibus maxima humilitate adorabat, fidelitatis juramentum ei præstans: dequè omni quòd erat, quod poterat, quod habebat, homagium illi faciebat, petens, ut sibi tanquam servo emptitio ejus pedes exosculari liceret. Singulis verò Sextis feriis ipsum cum universa familia adorabat, sicut solet Ecclesia feriâ Sextâ majoris hebdomadæ.

2. Cùm aliqua tentatione vexabatur, ad ipsum confugiebat: & si foris fuisset, anima ejus ad pedes ipsius volabat, & in sacris ipsorum vulneribus se abscondebat. Cùm verò è cubiculo egrediebatur, in una plagarum animam suam relinquebat: & si alicubi inutilia audiebat colloquia, in nidulo suo colligebat se, mente Crucifixum adorans, & dulcia cum eo miscens colloquia. Quòd si domi tentabatur, Crucifixum arripiens eo seipsum signabat, eumquè amplectabatur, sicut infans terrore correptus ad matrem vel nutricem fugit. Deinde dicebat

bat sibi: *In hoc signo vinces*. Et ad diabolum: *Ecce signum Crucis Domini nostri Jesu Christi, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David*.

3. Si aliquando tentationi succumbens culpam aliquam admisisset, concito gressu ad Crucifixum properabat, sequè accusabat ante tribunal justitiæ ejus, & quasi ex ore Domini sententiam suæ damnationis proferri audiret, se humi prosternebat, atque illicd penitentiam sibi inspiratam faciebat. Interdum etiam graviora sua peccata scribebat, & ad pedes Salvatoris ferebat, ut pretioso suo Sanguine ea deleret. Suo item cordi cor faucium JESU Christi aliquando applicabat, manibus manus, pedibus pedes, ut à fonte totius sanctitatis remedium acciperet suarum necessitatum.

4. In omnibus dubiis ac difficultatibus suis consilium ab eo petere solebat, dicens: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. Quoties aliquid composuerat, ad pedes ejus ferebat, inquires: *Tua est hæc doctrina Domine, tu mihi eam didicisti: corrige hæc scripta, & omnis eorum laus tua sit*. In desolationibus ad eum recurrerebatur sæper, dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Confugiebat ad eundem in ariditatibus, & dicebat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Domine*. Cum ægrotabat, subinde ad ipsum respiciebat, æstimans se felicem quòd aliquid pro illo pateretur. Porro scribebat illi epistolas plenas amore, omnemquè statum suum internum ei revelabat, & consilium ab eo

cccxxviii *Praefatio ad Lectorem*

petebat. Serto florum eum coronabat, accipiens sibi spineam coronam. Erant autem flores, diversae de seipso victoriae, actusque virtutum, quos illi offerebat serò post examen conscientiae: spinæ verò erant mortificationes.

5. Vocatus ad aliquam conversationem, ponebat Crucifixum super os, oculos, & aures, dicens: *Pone te Domine, sicut seram ori meo; sicut sepe spinarum auribus meis, & aliis sensibus, ut nihil intret in cor meum, quod displiceat cordi tuo.* Quòd si in illa conversatione aliquo modo deliquisset, penam imponebat ori suo, ne sacra vulnera oscularetur: oculis, ne in faciem ejus respicerent: linguæ, ne coram eo loqui præsumeret usque ad certum tempus, donec crederet culpam esse expiatam. Semper eum præsentem habere conabatur, cupiens mori cum eo in Cruce. Omnes actiones suas actionibus ejus conformare satagebat: ipsumque jugiter precabatur, ut inter brachia sua, & cor apertum reciperet spiritum suum. Hæc & alia obsequia erga Christum crucifixum præfatus Dei Servus præstabat: sed ista duntaxat è multis excerpti, quæ ad exemplum & imitationem sufficere possunt. Amor autem, & Spiritus Domini Jesu se devotè exercitanti plura suggerent. Ipse enim Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, ipse postulat pro nobis, & facienti quod in se est, vires & robur subministrat.

IV. *Proponitur nobis Oratio ad quinque vulnera Christi, excerpta ex Horologio Ascetico ejusdem Cardinalis Bona cap. 5. §. 24.*

I. Sal-

1. Salve vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei JESU Christi crucifixi, pro mea & omnium hominum salute roseo stillans cruore. Protege me Domine dexterâ tuâ, ne quando dicat inimicus meus, *Prævalui adversus eum, quem tu sanguine tuo redemisti.* Deducat me mirabiliter dextera tua, ut omnes cogitationes meæ & sermones mei semper rectâ viâ tendât, & dirigâtur ad te utpotè scopum & finem meum. Da mihi gestare semper ardentem lampadem, oleo charitatis instructam, ut dignus habear, qui tecum ad cælestes nuptias intronictar: & ut, cum seculum judicaturus veneris, ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis tuis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Amen.

2. Salve beatificum vulnus sinistrae manus Salvatoris mei Iesu Christi, pretiosissimo ejus sanguine purpuratum. Manu tua forti & brachio excelso ad nihilum redige Domine, quicquid sinistrum & perversum molitur adversum me, qui cogitant mihi mala. Comprime vires hostium, qui quærunt animam meam. Tuere me, & adesto mihi in omnibus adversitatibus & tribulationibus meis. Dic animæ meæ, *Salus tua ego sum:* ut de manu inimicorum meorum liberatus, in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

3. Salve gloriosum vulnus dextri pedis Domini mei Iesu Christi, sanguine Agni immaculati conspersum. Perfice Domine pedes meos tanquam servorum, ut indefesso cursu per viam mandatorum

CCCXXX *Præfatio ad Lectorem*

tuorum incedam, eaque semper exquiram, quæ placita sunt tuæ divinæ voluntati. Dirige gressus meos in virtutem, donec videam Deum deorum Syon. Lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis, ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenus tu Deus meus in omnibus & ante omnia glorificeris, nunc & in æternum. Amen.

4. Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi Sanguine madefactum. Evelle Domine pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei. Custodi animam meam à lapsu, ne fiam hostibus meis in prædam. Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cordis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te, & opere compleam universa quæ præcepisti mihi. Amen.

5. Salve vulnus saluberrimum cordis JESU Christi crudeli cuspide inflatum, è quo Sanguis & aqua copiosè emanârunt in abluitionem peccatorum nostrorum. Vulnera cor meum Domine amoris tui jaculo, ut te in omnibus & super omnia colat, te què & proximum propter te ferventi semper amore prosequatur. Munda me purissimo Sanguine & aquâ salutarî, ut ab omni labe emundatus te Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde videbunt, in omni æternitate merear contemplari. Amen.

2. XXI V.

Afferuntur variae causae, quibus excitamur ad recolendam passionem Christi.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. *Hebr. 12.*

I. **M**editatio passionis Dominicae, est incitamentum ad amandum Christum Deum nostrum Redemptorem. Quid enim efficacius potest esse, (a) quam jugis recordatio passionis ejus, per quam apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei? Super omnia Christum Jesum passio sua nobis amabilem facit: ipsa enim propitiata est omnibus iniquitatibus nostris. Super omnia, inquam, (b) reddit nobis amabilem Jesum bonum calix quem bibit, opus scilicet redemptionis nostrae. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc inquam est opus, quod nostram devotionem & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Et verè (c) in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio passionis suae: in nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet ejus benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*

a S. Bern. lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 38. b ser. 20. in Cant. num. 2. c ser. 29. diu. num. 3.

CCCXXX *Præfatio ad Lectorem*

tuorum incedam, eaque semper exquiram, quæ placita sunt tuæ divinæ voluntati. Dirige gressus meos in virtutem, donec videam Deum deorum Syon. Lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis, ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenus tu Deus meus in omnibus & ante omnia glorificeris, nunc & in æternum. Amen.

4. Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi Sanguine madefactum. Evelle Domine pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei. Custodi animam meam à lapsu, ne fiam hostibus meis in prædam. Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cordis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te, & opere compleam universa quæ præcepisti mihi. Amen.

5. Salve vulnus saluberrimum cordis JESU Christi crudeli cuspide inflictum, è quo Sanguis & aqua copiosè emanarunt in abluitionem peccatorum nostrorum. Vulnera cor meum Domine amoris tui jaculo, ut te in omnibus & super omnia colat, teque & proximum propter te ferventi semper amore prosequatur. Munda me purissimo Sanguine & aquâ salutari, ut ab omni labe emundatus te Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde videbunt, in omni æternitate merear contemplari. Amen.

2. XXIV.

Afferuntur variæ causæ, quibus excitamur ad recolendam passionem Christi.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. *Hebr. 12.*

I. **M**editatio passionis Dominica, est incitamentum ad amandam Christum Deum nostrum Redemptorem. Quid enim efficacius potest esse, (a) quàm jugis recordatio passionis ejus, per quam apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei? Super omnia Christum Jesum passio sua nobis amabilem facit: ipsa enim propitiata est omnibus iniquitatibus nostris. Super omnia, inquam, (b) reddit nobis amabilem Jesum bonum calix quem bibit, opus scilicet redemptionis nostræ. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc inquam est opus, quod nostram devotionem & blandiùs allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehemètiùs. Et verè (c) in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio passionis suæ: in nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet ejus benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*

a S. Bern. lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 38. b ser. 20. in Cant. num. 2. c ser. 29. diu. nu. 2.

Dei. Et idem (d) hoc repletum amore cor humanum, nihil libentiùs, nihil legit studiosiùs, nihil frequentiùs recolit, nihil suaviùs meditatur, quàm passionem Dominicam. Judæus sanè, (e) sive paganus nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Cernit cælum & consputum Dominum majestatis. Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua Synagoga. Cernit Unicum Patris crucem sibi bajulantem. Cernit auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percussum lanceâ, opprobriis saturatum: cernit tandem illam dilectam Animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suam magis ipsius animam gladius amoris transverberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Hæc mala, (f) hi flores, quibus sponsa Ecclesia se interim stipari postulat & fulciri, credo sentiens facilè vim in se amoris posse tepescere & languescere quodammodo, si non talibus jugiter foveatur incentivis. Sit ergo (g) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & contregnabimus.

II. *Meditatio passionis Dominicæ excitat zelum acquirendi unitatis Christo Deo nostro*. Hoc siquidem habet (h) vera & casta contemplatio passionis Dominicæ, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & deside-

d ser. 20. in Cant. nu. 7. e Tract. de diligen. Deo cap. 3. num. 7. f Ibid. num. 10. g ser. 1. de verb. Esai. num. 2. h ser. 57. in Cant. num. 9.

desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligit, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursum potita votis, aliquatenus in hac parte tantò ardentius redeat in id ipsum, quantò se fructuosius intermisisse meminerit: & item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquiritenda lucra solitâ alacritate recurrat. **Meditatio passionis Christi (i)** replet ubera matrum spiritualium: & idè inter ubera mea commorabitur. Tantæ nempè efficaciz (k) osculum sanctum est, ut ex ipso mox cum acceperit illud sponsa concipiat, tumescentibus nimirum uberibus, & lacte quasi pinguescentibus in testimonium. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt quod dico. Sæpè corde tepido & arido accedimus ad meditationem: persistentibus autem repentè infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis; & si sit qui premat lac conceptæ dulcedinis, ubertim fundere non tardabunt. Sed demus (l) & sodalibus ista depromere. Aliud liquidè est quod unius lætificat cor hominis, & aliud quod edificat multos. Nã etsi Rachel formosior, sed Lya fecundior est. Tu quoque si lapis (m) imitaberis sponse prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit Christus Dominus, semper in memorsa retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: *Fasci-
culus*

i ser. 23. in Cant. num. 4. k ser. 9. in Cant. num. 7. l Ibi. 22.
2. in ser. 242. in Cant. num. 2.

culus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Sit tibi Iesus semper in corde, (n) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

III. *Meditatio passionis Dominicæ est fons omnium bonorum.* Continentia carnis, [o] cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solum autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ & sapientiæ sermo manat. Thesauri siquidē sapientiæ & scientiæ omnes ibi absconditi sunt. Quid casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt? Quid æquè (p) mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Quid denique (q) tam efficax est ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerū sedula meditatio? Hæc est sola, (r) quæ ad omnia valet. Et primùm quidem ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit inores, vitam honestat & ordinat. Hæc est sola, (s) quæ humectat interiora arētis cōscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & refu-

n *Ex formula honestæ vitæ uu. 2. tom. 6. pag. 1024. o ser. 13. Cant. nu. 1. p ser. 15. in Cant. nu. 6. q ser. 62. in Cant. nu. 7. r lib. 1. de consid. ad Eugen. Papam cap. 7. s ser. 18. in Cant. nu. 6.*

Philosophia Christiana. **cccxxxv**

impinguans mores. Passio Christi (t) ultimum est refugium, singulare remedium. Proinde (u) accedendum est mente ad cor Jesu crucifixi per januam lateris lanceati. Ibi enim thesaurus ineffabilis desiderabilis; charitatis latet, ibi nova devotio invenitur: inde lachrymarum gratia extrahitur: ibi discitur mansuetudo & patientia in adversis, compassio in afflictis. Ibi quoq; remediū vulnerū, (x) ibi subsidia necessitatum, ibi refarcitus defectuum, ibi profectuum copiae inveniuntur: ibi deniq; quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet, reperitur. Sit ergo (y) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

IV. *Meditatio passionis Dominica est medicina anima vulnerata.* Si enim intelleximus (z) fossam esse humum illam quæ ait, *Poderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax potest esse ad curanda conscientie vulnera, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Hæc est dulcissima medicina, (a) quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non solum sanat ægrotos, sed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, imò mihi credat crucis amator, quòd jam non lædetur à morte secunda, si in hac vita usus fuerit tali medicina. Mirabilis est passio Domini Iesu,

t ser. 20. in Cant. nu. 9. u Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 169.
x ser. 86. in Cant. nu. 3. y ser. 1. de verb. Esai. nu. 2. z ser. 62. in Cant. nu. 7. a ser. 11. in ult. cana nu. 85.

cccxxxvi *Prefatio ad Lectorem*

su, (b) quæ passiones omnium nostrum propulsavit propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo (c) in mentem venerit tam potens tamquæ efficax medicamentum, nullâ jam possum morbi malignitate terreri. Nihil enim ita iræ impetum cohibet, [d] superbiam tumorem sedat, sanat livoris vulnus, refringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, sicut Christi vulnerum sedula meditatio. Siquidem cum recogito Jesum crucifixum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eundemquæ ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanat, & roborat adjutorio. Itaque cum defecerit virtus mea, [e] non conturbor, non diffido, scio quid faciam: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Hoc est: [f] Monumenta Passionis suæ intra animæ meæ sinum, & intra memoriæ meæ cellas semper revolvam. Aspiciam Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Aspiciam eum ligatum, flagellatum, consputum, saturatum opprobriis, clavisque confixum. Aspiciam in hujus exilii deserto Serpentem æneum super columnam Crucis exaltatum, ut ser-

b ser. in ser. 4. hebd. san. nu. 1. c ser. 61. in Cant. nu. 3. d ser. 15. in Cant. nu. 6. & 7. e ser. 22. in Cant. nu. 9. f ser. de verb. sap. num. 5. tom. 6. pag. 770.

Philosophiæ Christianæ. cccxxxvii

serpentes qui me mordent, moriantur: quia nullus qui credit in eum peribit, sed habebit vitam æternam. Hæc & alia patientis ac morientis Domini mei memorialia, memoriæ meæ arctius commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutius, ut impinger devotius.

V. *Meditatio passionis Dominicæ est refectio animæ Christianæ.* Novit quicumque rectè sapit, [g] quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat sacrosanctæ Passionis ipsius fidelius recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem in memoria: quod est spirituagliter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item [h] quotidie nobis de memoria Passionis in Ecclesia replicatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Ac si diceret: *Qui recolat mortem meam, & exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam.* Hoc est: Si compatimini, & conregnabitis. Quoties ergo in commemorationem ejus qui pro te passus est, (i) piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, toties Corpus ejus manducas, & Sanguinem ejus bibis: & quamdiù in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ & fan-

g ser. 2. in cena Dom. nu. 9. h Tract. de diligen. Deo cap. 4. n. 11.
i ser. 2. in cena Dom. n. 9.

cccxxxviii *Prefatio ad Lectorem*

sanctitatis operationem, in ejus Corpore & in membris ejus computaberis. Propheta etiam David (k) dicit: *Memoriam abundantiae suavitatis eruunt.* O summè pia & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Habeamus ergo [l] eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indefinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia plurimum delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrandam. Unde idem Propheta inquit: *Delectare in Domino*, ut spreta mundi vitiorum omnium jucunditate suavior ejus recordatio sit: & *dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis. Foderunt manus ejus & pedes, (m) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Sit tibi quoque Jesus semper in corde, [n] & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium, lectio & meditatio tua.

VI. *Meditatio passionis Dominicæ omnia amara illa quæ patimur, dulcorat.* Siquidem Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus, (o) crucem amarâ suis amatoribus dulcoravit. Quid enim tam amarum potest esse, (p) quod in recordatione vivificæ Passionis non possit dulcescere? Certè legimus

k ser. de excell. SS. Sacram. n. 6.

l ser. 2. in cena Dom. nu. 9. m ser. 61. in Cant. nu. 4. n Ex formula bon. vit. nu. 2. o ser. de Pass. Dom. nu. 1. p Tract. de vita myst. cap. 44 nu. 171.

mus Hebræos, cùm exissent de Ægypto, venisse ad aquam amarissimam, quam nullus gustare poterat: cui cum Moyses lignum iniecisset, dulcorata est, sic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertius per aquam amaram quàm cujuslibet adversitatis amaritudo signatur? cui cùm lignum crucis iniicitur, id est, cùm passio dulcis Jesu consideratur, necesse est omnem passionem hominis levem videri respectu passionis Dominicæ. Inde martyrii tolerantia, (q) inde Martyri magna fiducia apud Deum Altissimum. Non est quod vereatur Martyr exanguem lividamquè levare ad eum faciem, cujus livore sanatus est. Quid vereatur cui etiam à Domino dicitur: *Ostende mihi faciem tuam?* Vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiolem. Deinde (r) quid mirum si cruci suavitatem dedit, qui dedit & igni? aut quomodò crux judicatur insipida, ubi dulce sapit & flamma? Quid enim sapiebat Laurentio ignis, cùm irrideret carnifices, judicem subsannaret dicens: *Asatura est jam, versa, & manduca?* Quid nos ad ista dicemus, Fratres, quòd non sapit etiam nobis tribulatio quæ pro Christo est, nec gustamus & nos manna absconditum? Mementote (s) quia accepit eum Simeon in ulnis suis, Maria gestavit in utero, fovit in gremio, sponsa sibi inter ubera collocavit. Hi omnes ante se eum habuerunt, & nullus retrò,

y

Exem-

q. ser. 61. in Cant. nu. 7. r. ser. 1. de S. Andrea nu. 2. s. ser. 43. in Cant. nu. 5.

Exemplo ergo sint vobis, ut & vos similiter faciatis. Habete illum semper non retrò in humeris, sed ante præ oculis: ne portantes & non adorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, leviùs vestras portabitis. Sit meditatio nostra Christus, (t) & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachiũ nostrum.

VII. *Meditatio passionis Dominicæ est sublimis philosophia Christianorum.* Hæc est enim, (u) quæ divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Quam utique scientiam (x) haud facile nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Porrò (y) ad discendam hanc scientiam opus est potiùs intima compunctio, quàm profunda investigatione: suspiriis, quàm argumentis: crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus: lachrymis, quàm sententiis: meditatione, quàm lectione. Meditatio ruminat livores vulnere Christi, (z) fixuras clavorum, acetum & lanceam, persecutorum sævitiam, mortem turpissimam, corporis sepulturam. Quid horum non verè, (a) non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi erudire memoriam suavitatis. Memoriam abundantia

t Ser. 1. de verb. Esai n. 2. u lib. 1. de Considerat. ad Eugen. c. 7
 x Epist. 108. num. 2. y Tract. de interiori domo cap. 41. num. 93.
 z Ser. in ser. 2. Paschæ n. 2. 2 ser. 2. de Virg. Deip. n. 11.

Philosophia Christiana. CCCXXXI

tiae suavitatis horum eruclabo (b) quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Recordabor quamdiu fuero, (c) dolorum Christi, convitiolorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquæ similium, quæ per eum & super eum abundantius transierunt. Et propterea non fascem, (d) sed fasciculum dilectum dicit sponsa: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Iesum, & hunc crucifixum. Tu quoq; si sapias, [e] imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et ego ab incunte mea conversione, (f) pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Hæc meditari dixi sapientiam: in his mihi plenitudinem scientiæ constitui. Hæc mea sublimior interim philosophia, scire Iesum & hunc crucifixum: & idem inter ubera mea commorabitur. Hunc & vos, dilectissimi, (g) tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite adi-

b ser. 43. in Cant. nu. 3. c ser. in ser. 4. heb. san. nu. 11.

d ser. 4 5. in Cant. nu. 3. e ser. 43. in Cant. n. 2. 3

f Ibid. nu. 3. & 4. g Ibid. nu. 5.

cccxxxii *Prefatio ad Lectorem*

tum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Sit meditatio nostra Christus, [h] & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

VIII. *Meditatio passionis Dominica elicit gratiam compunctionis*. Quoties enim (i) in contemplatione Dominicæ passionis suspendimur, toties ex recordatione tantæ admiratinnis in oratione compungimur. Meditatio ruminat livores vulnerum, fixuras clavorum, acetum & lanceam. Oratio fundit suspira, piæ devotionis stillat aromata, tota resolvitur in lamenta. Proinde (k) videre est homines sic affectos erga hujusmodi passionem Christi, ut vix sine lachrymis audiant vel recordentur. Qui enim Christo passo piè compatitur, (l) facilè compungitur, & movetur ad memoriam horum quæ pertulit: atque istius devotionis suavitate pascitur, & confortatur ad quæque salubria, honesta, & pia. Et ided(m) accedendū est ad manus & pedes ejus perfossos, sanguineis manantes guttis: undelibet quæreda est devotio, & gratia lachrymosæ compunctionis: utrinq; cōsiderandum est, quàm immites fixuræ clavorum, quàm amara venarū ossiumquè perfractio in manibus & pedibus Iesu Christi. Tandem accedendum est ad cor ejus (n) per januam lateris lanceati: ibi præcipuè cor contritum & humiliatum invenitur. Ibi avidissimè prælibantur (o) incomparabiles deliciae charitatis: & succis spinis ac vepribus quibus antea pun-

h *ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* i *ser. infer. 2. Pasche nu. 2.*
 k *ser. 29. diu. nu. 4.* l *ser. 20. in Caus. nu. 9.* m *Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 168.* n *Ibid. nu. 169.* o *Tract. de convers. ad Clericos cap. 13. nu. 25.*

pungebatur, unctiōe misericordiæ perfusus animus in conscientia bona requiescit. O quàm felix eris, (p) si postquàm intra vulnera Crucifixi fueris intro- missus, ab hujus mundi strepitu per dimidiam sal- tem horam valeas omninò liberari, & soli ei ad quem introisti vacans, gustare possis quàm dulcis est Dominus. Cæterùm ut validiùs compungamur, [q] & ampliùs moveamur, revoluamus connecten- do fasciculum de omnibus & singulis, quæ facta re- feruntur de Redemptore nostro piissimo. Occurrat itaque spiritualiter, & ingerat seipsum cordibus no- stris Dominus Christus, proditus & venditus à disci- pulo, à Iudæis tanquam vile mancipium pretio satis exiguo comparatus: captus, ligatus, & tractus tan- quam homo sine adjutorio: scisso etiam verberibus dorso, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto vepribus capite, saucio latere, terebratis palmis, pedibusquè confossis. Quis tam irreligiosus (r) qui non compungatur? quis tam insolens ut non humili- etur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam deliciosus ut non abstineat? quis tam flagitiosus ut non contineat? quis tam maliciosus ut non pœni- teat, recogitans passionem Dominicam? Sit ergo (s) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

IX. *Meditatio passionis Dominica purificat men- tem, reprimitquè vitia.* Quid enim potest esse (t) tam efficax ad purgandam mentis aciem, quàm Christi

p *Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 262.* q *ser. 2. in cena Dom. nu. 7*
 r *ser. in ser. 4. heb. san. nu. 1.* s *ser. 2. de verb. Esai. nu. 2.*
 t *ser. 62. in Cantem. 7.*

cccxlii *Prefatio ad Lectorem*

vulnerum sedula meditatio? Verè nihil est, (u) quod ita ab omnium vitiorum impulsu & cogitatione mentem nostram purificet, & in puritate conservet, sicut jugis memoria passionis Domini Iesu. Colligamus ergo nobis (x) ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini nostri talem memoriam, ut stigmata ejus in memoria jugiter retinentes, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis custodiam conservemur. Hoc tamen sciendum est, (y) quòd cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrænare potest, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed continuò talium cogitationum insultus sunt reprimendi: ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod ita fit: quoties pravis & immundis cogitationibus tacti statim ad passionis Dominicæ recordationem confugimus, toties suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus. Nihil proficiet inimicus in eo, (z) quem crux Christi delectat, si carnalem suggererit delectationem. Astat oranti sacra imago Hominis Dei morientis, (a) vel stringat necesse est animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Si autem quandoque (b) importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur, anxietates Christi crucif-

u Tract. de visceribus. cap. 44. nu. 171. x Ibid. nu. 172. y Ibid. cap. 19. n. 76. z ser. 1. de S. Andr. nu. 3. a ser. 20. in Cass. n. 7 b ser. de verbis Sap. nu. 6. tom. 6. pag. 770.

crucisque supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos docebit experientia, quid senserit Apostolus cum dixit: *Verbum crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Et, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immunditiæ à facie Crucis. Dei siquidem infirmitas, nostra est fortitudo. Sit ergo (c) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

X. *Meditatio passionis Dominicæ est singulare remedium contra tentationes.* Dæmonum officium est, (d) suggestiones malas ingerere: nostrum est, illis non consentire. Nam quoties resistimus, toties diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus: certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat. Cæterum (e) respiciamus in faciem Serpentis ænei, Christi in cruce suspensi, si volumus à pravorum dæmonum suggestionibus liberari. Respiciere autem est tendere fide in ipsum: quod non infirma, sed forti & perfecta fide completur. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morfu nos cognoverimus esse vulneratos, toties ad Crucifixum curramus, & ad thronum Crucis quandoquæ ignominie, nunc autem summæ gloriæ accedamus: & fide, spe, & charitate

c *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* d *Tract. de cognit. humana condit. cap. 12. nu. 35. tom. 5. pag. 399.* e *Tract. de visib. myst. cap. 45. nu. 17.*

66CXXXIV *Prefatio ad Lectorem*

vulnerum sedula meditatio? Verè nihil est, (u) quod ita ab omnium vitiarum impulsu & cogitatione mentem nostram purificet, & in puritate conservet, sicut jugis memoria passionis Domini Iesu. Colligamus ergo nobis (x) ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini nostri talem memoriam, ut stigmata ejus in memoria jugiter retinentes, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis custodiam conservemur. Hoc tamen sciendum est, (y) quòd cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrænare potest, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed continuò taliam cogitationum insultus sunt reprimendi: ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod ita fit: quoties pravis & sîmundis cogitationibus attacki statim ad passionis Dominicæ recordationem confugimus, toties suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus. Nihil proficiet inimicus in eo, (z) quem crux Christi delectat, si carnalem suggererit delectationem. Astat oranti sacra imago Hominis Dei morientis, (a) vel stringat necesse est animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Si autem quandoque (b) importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur, anxietates Christi crucif-

u *Tract. de visceribus*, cap. 44. nu. 171. x *Ibid.* nu. 172. y *Ibid.* cap. 19. n. 76. z *Ser. 1. de S. Andr.* nu. 3. a *Ser. 20. in Cant.* n. 7
b *Ser. de verb. Sap.* nu. 6. tom. 6. pag. 770.

crucisque supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos docebit experientia, quid senserit Apostolus cum dixit: *Verbum crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Et, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immunditiæ à facie Crucis. Dei siquidem infirmitas, nostra est fortitudo. Sit ergo (c) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

X. *Meditatio passionis Dominicæ est singulare remedium contra tentationes.* Dæmonum officium est, (d) suggestiones malas ingerere: nostrum est, illis non consentire. Nam quoties resistimus, toties diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus: certantes in bello spectat, deficientes subleuat, vincentes coronat. Cæterum (e) respiciamus in faciem Serpentis ænei, Christi in cruce suspensi, si volumus à pravorum dæmonum suggestionibus liberari. Respiciere autem est tendere fide in ipsum: quod non infirma, sed fortis & perfecta fide completur. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morfu nos cognoverimus esse vulneratos, toties ad Crucifixum curramus, & ad thronum Crucis quandoquæ ignominie, nunc autem summæ gloriæ accedamus: & fide, spe, & charitate

c ser. 1. de verb. Esai. nu. 2. d Tract. de cognit. humane condit. cap. 12. nu. 35. tom. 5. pag. 399. e Tract. de vice myst. cap. 45. nu. 17

CCCXXXVI *Præfatio ad Lectorem*

liberatorem piissimum intendentes, per mortem
 nostri Serpentis (qui mortem antiqui serpentis occi-
 dit) à serpentum moribus petamus liberari. Gra-
 vis equidem (f) nobis est inimici tentatio: sed lon-
 gè gravior est illi meditatio & oratio nostra. Medi-
 tatione (g) agnoscimus imminetia nobis pericula,
 oratione evadimus, præstante Domino nostro Iesu
 Christo. Si tentationum sentis aculeos, (h) exalta-
 tum in ligno Serpentem æneum intuerè: & fuge
 non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Porro quo-
 ties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, (i) &
 ad illicitam delectationem affici: toties pone ante
 mentis tuæ oculos, quomodo Christus in cruce cruci-
 fixus est pro te. Præterea increpa te, & dic: *Ita Re-*
demptor meus moritur pro me, & ego nescio cuius-
modi sordida cogitatione sordidior in mente. Suffice-
 re posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas
 cogitationes, sed ecce ad alia adhuc transeamus.
 Si fortè luxuriæ te pompa concusserit, (k) recordare
 dilectum tuum Iesum positum in doloribus, & uni-
 versum stratum suum versatum in infirmitate eius,
 hæc dicens in corde tuo: *Deus meus pendet in pati-*
bulo, & ego voluptati operam dabo? Sicquè invo-
 cato nomine Salvatoris, ingeminando sæpè Nomen
 salutis, cessabit tandem Deo succurrente quassatio.
 Sit tibi itaque Iesus semper in corde, (l) & nun-
 quam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic
 tibi

f Ser. 3. in dedicat. Eccl. dum. 2. g Ser. 1: de S. Andr. nu. 10.
 h Epist. 351. nu. 1. i Tract. de inter. domo cap. 22. nu. 47. tom. 5.
 pag. 427. k Ex formula bon. vit. nu. 13. l Ibj. 3. nu. 1.

Philosophiæ Christianæ. CCCXXXVII
tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contem-
platio tua.

2. XXV.

*De multiplici fructu meditationis
passionis Dominicæ.*

Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem
verò vitam æternam. *S. Paul. Rom. 6.*

I. **F** *Fructus meditationis nostræ est Christus crucifi-*
xus. Seminavit vetus homo in carne, (a)
messuit postmodum corruptionem, nimirum passio-
nem Christi. Nisi enim vetus homo transgredere-
tur, novus non pateretur. Quàm multi Reges (b) & Pro-
phetæ voluerunt videre, & non viderunt: audire,
& non audierunt. Ipsi laboraverunt, & ego in la-
bores eorum introivi. Ego messui myrrham quam
illi plantaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus serva-
tus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea
commorabitur. Omnium nempè temporum, (c) quæ
sub conversatione veteris hominis transegitimus, fru-
ctus noster est passio Christi, cui debemus configu-
rari, mortificationem circumferentes in carne nostra
mortali. Quem utique fructum Ecclesia (d) non so-
lùm ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed etiam à
mun-

a *ser. de verb. Sap. nu. 7.* b *ser. 43. in cant. nu. 4.* c *ser. de verb.
Sap. nu. 8.* d *Tract. de vite myst. cap. 46. nu. 178.*

CCCXXXVIII *Præfatio ad Lectorem*

mundi principio justè congregata, dulcem sibi fore gratulatur dicens de Sponso Jesu: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Meritò ejus desideraverat umbram, (e) de quo & refrigerium & refectiorem pariter acceptura esset. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectiorem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ Ecclesiæ: *Salus tua ego sum.* Propterea Christi potissimum desideraverat umbram, quod solus sit, qui non solum ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Unde ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo:* gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, (f) nihil avidius sumitur, quàm contemplatio passionis Christi. Foderunt manus ejus & pedes, (g) latiusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Fructum igitur redemptionis nostræ (h) toto desiderio cõplectamur, & sæpiùs imò sine intermissione eum ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinẽ linguâ intellectus nostri degustemus. Et in vase memorię nostræ recondamus Sanguinẽ rubicun-

e *Ser. 48. in Cant. nu. 6. & 8. f Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. nu. 22. g Ser. 61. in Cant. nu. 4.*

h *Tract. de wise myst. cap. 46. nu. 184.*

hicundi Jesu, quia factus est nobis redēptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. Hoc fructu jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioſo deserto deficiat, in quo sine requie & sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hæc sunt quippè mala punica, (i) quæ in hortum introducta Dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponsa proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Sit ergo (k) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

II. *Fructus meditationis nostræ est Christus Jesus crucifixus.* Christus (l) non immeritò fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostrā dabit fructum suum.* Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Libet adjungere verba Elizabeth (m) dicentis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.

Primò. De odore hujus fructus cujus fragrantia sentiens Isaac Patriarcha sic dicebat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Necdum speciem suam ille flos induerat, (n) & jam dabit odorem suum, quando eum ut hoc præ gaudio excla-

i *Tract. de diligen. Deoap. 3. nu. 7. k ser. 1. de verb. Esai. 11. 2. l ser. 1. super Missus. 3. m Ibid. ser. 3. nu. 5. & 6. n ser. 47. in Cant. 111 3.*

exclamaret præsensit spiritu, corpore marcens sanctus & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax. Qui filium suum Jacob tangens, (o) & Christum sentiens, inquit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Cùm hoc dicebat, habebat delicias sibi, nec cuiquam illas communicabat. Vestimenti fragrantiam sensit, (p) sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dùm & electi filii simul & sacramenti fraudatus cognitione remansit. At currebant in odore *sapientia* (q) qui missi fuerant à Phariseis, cùm reversi dicerent: *Nunquam homo sic locutus est*: utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. Verùm in odore *justitia* cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cucurrit & Petrus, qui lapsus flevit amarè, quatenùs culpam dilueret, recuperaret justitiam. Porro (r) in odore *sanctificationis* Paulus currere sese testatur, cùm Christi se imitorem esse gloriatur, dicens ad discipulos: *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi*. Cucurrerunt & omnes qui ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Desiderio quippè sequendi Christum reliquerant omnia. Iam qui

o ser. 65. in Cant. nu. 8. p Tract. de exhortat. ad mil. Temp. cap. 7. q ser. 22. Cant. nu. 10. r Ibid. nu. 11.

qui in odore *passionis* cucurrerint, si audire vis, universos Martyres accipe. Superat quippè (s) omnes odores omnium virtutum uncti Iesu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Odor iste [t] omnium suavitatum in se continet monarchiam: quia omnem balsami odorem excedit, etiam quidquid in odoribus continetur. Odor iste omnium odorum suavitas Dominus Iesus est: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior. Hunc tantum ac talem odorem si toto cordis olfactu odorare non desiderimus, in æternum proculdubio non peribimus: quoniam est resurrectio & vita. Colligamus ergo nobis [u] in vulneribus Domini Iesu Christi talem memoriam, talem delectationem, ut stigmata Crucifixi nostri in memoria jugiter retinentes, in ipso qui solus est dulcis, delectemur. Sit nobis Iesus semper in corde, (x) & nunquam imago Crucifixi ab animo nostro recedat. Hic nobis sit dulcedo & consolatio nostra, mel & desiderium nostrum, lectio & meditatio nostra, oratio & contemplatio nostra.

Secundò. De sapore hujus fructus (y) Propheta David quod gustaverat, taliter eructabat dicens: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Et iterùm: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuae Domine*

mine

s Tract. de vite myst. cap. 43. nu. 161. t ser. 4. in ult. *CANA* nu. 25. u Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 172. x *Ecce formula bonæ vite.* nu. 2. y ser. 3. super Missus nu. 6.

ccclii *Praefatio ad Lectorem*

mine, quam abscondisti timentibus te! Et Petrus Apostolus inquit: *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Et ipse fructus Jesus de se, invitans nos ad se, ait: *Qui edit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet.* Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientiam & sitientium justitiam, & esca & potus est. Exinde (z) cibatur nos pane vitæ & intellectus, & potatur aquâ sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Et certè hujusmodi intelligentiâ veritatis internæ vivit anima, & hic est spiritualis cibus. Verumtamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi verò cæperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, & sine difficultate intrat in animam: quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artibus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati. Cibus sitim excitat, (a) potandus est. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatū infundit oblivionem: humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra; fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & impinguans mores. Sit tibi ergo Jesus
sem-

z ser. 2. in Annunc. B. M. nu. 4. a ser. 18. in Cant. nu. 6.

semper in corde, (b) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. Nihil enim (c) in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, quàm contemplatio passionis Dominicæ. Renuat consolari anima tua in aliis, (d) si vis in Dei Hominis crucifixi memoria delectari. Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem. Huic autem suavitati, (e) huic saporis omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed à DEO hæc uniuersa donata sunt: nec dubium quin multò amplius reservaverit sibi, quàm dederit creaturis. Sit ergo (f) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus. Siquidem (g) internæ suavitatis gustus dulcedo est, & manna absconditum. Mel est quod fugit Israël de petra, oleumquè de saxo durissimo. Foderunt manus ejus & pedes, (h) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus.

Tertiò. Audisti de odore, (i) audisti de sapore, audi

b *Ex ferm. bon vit. n. 2. c Tract. de cogn. hum. condit. c. 7. n. 22. d Ser. 4. super Psal. 90. nu. 2. e Ser. 1. de Omn. SS. nu. 4. f Ser. 1. de verit. Esai. nu. 2. g Ser. 1. sup. Sal. Reg. nu. 5. h Ser. 61. in Cant. nu. 4. i Ser. 3. sup. Missus nu. 6.]*

cccliv *Prefatio ad Lectorem*

audi & de *specie* hujus fructus . Si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum , sed etiam delectabilis aspectu : quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere , in quem desiderant etiam Angeli prospicere ? Cujus pulchritudinem in spiritu videbat , & in corpore videre cupiebat David , cum dicebat : *Ex Syon species decoris ejus* . Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem , recole quod in alio Psalmo legis : *Speciosus forma præ filiis hominum , diffusa est gratia in labiis tuis , &c.* Porro [k] sublimis quædam visio nobis describitur ab Isaja Propheta , qui sic ait : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum* . Sed aliam quoque audio Prophetæ ejusdem , & ejusdem Domini longè dissimilem visionem . Siquidem Isaias iste in alio loco sic loquitur : *Vidimus eum , & non erat ei species neque decor , & astimavimus eum tanquam leprosum , &c.* Idem Propheta utrobique vidit eundem , [l] sed non vidit eodem modo , ac per hoc quodammodo non eundem . Ibi enim vidit Dominum sedentem super solium excelsum : hîc autem vidit eum lividum plâgis , saturatum opprobriis , affectum suppliciis , laceratum injuriis . Nec sine causa (m) sanè ibi , *Vidi* , scriptum est , & hîc , *Vidimus* : nisi ut illam visionem intelligam esse propriam prærogativæ propheticæ , hanc verò communem . Propterea (n) hæc mea sublimior interim philosophia , scire Jesum ,

&

k Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1. l Ser. 1. de verb. Esai. nu. 4. m Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1. n Ser. 43. in Cant. nu. 4.

& hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Sublimis in Regno, (o) sed suavis in Cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me* (ait Proheta David) *latitiâ cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore. Splendor [p] & figura substantiæ Dei obnubilatur in forma servi, pro vita servi. Candor vitæ æternæ nigrescit in carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuratur in passione, turpat in Cruce, pallet in morte: ex toto non est ei species neque decor. Agnosco pellem Salomonis, [q] imò ipsum in pelle foris nigra Salomonem amplector, *nempè Christum*. Habet & Salomon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Intus Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, Innocentiæ puritas. Sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus est vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium: nam Fidelium mentibus est formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, sed formosus confessione

z

sione

sione Latronis, Centurionis fide. Et quia Isaias eum modò sedentem super solium excelsum, (r) modò tanquàm leprosum se vidisse testatur id est, non in carne tantum, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem priùs Jesum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deserto Serpentem, si videre desideras Regem in folio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & fatiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cum videris eum sicuti est. Talis visio non est vitæ præsentis, [s] sed in novissimis reservatur, his duntaxat qui dicere possunt: *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Esto & nunc similis ei, (t) videns eum sicut propter te factus & passus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur: Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Sit ergo meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

III. *Meditatio passionis Dominica est fundamentum pietatis Christianæ.* Scit(u) quicumque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, & utile sit unâ saltem aliquâ diei horâ passionis Christi attentius recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia

r Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2. s Ser. 31. in Cant. nu. 1.
 t Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2. u Tract. de vita solitar. cap. 10. nu. 30. tom. 5. pag. 250.

Philosophia Christiana. ccclvii

scientia. In hac Passione (x) tria specialiter convenit intueri, opus, modum, causam. *Primo* quidem in opere singularis patientia Christi commendatur, quod videlicet cum supra dorsum ejus fabricarentur peccatores, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversus Patrem murmurans, à quo missus fuerat: non adversus humanum genus, pro quo quæ non rapuit exolvebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Nec solum enim ingrati gratuiti beneficiis ejus extiterunt, (y) sed contumeliis affecerunt Dominum dominantium, & fecerunt ei quæcunque voluerunt. Ipso enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, dixerunt: *Non est hic homo à Deo: in principe demoniorum eiecit demonia, demonium habet, seducit turbas, vorax est, potator est vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Flagellantur alii (z) non tam purgandi, quam probandi coronandique, & major in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodo non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissime flagellabatur sicut fur? Cum autem (a) in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de corde ejus nisi dulcedo, sed patientiam in amarissima passione retinuit. Patientia ejus fuit singularis, [b] quod videlicet cum sic extenderetur ligno ut dinumerarentur

Z 2

tur

x Ser. in ser. 4. hebdom. San. num. 2.

y Ser. de Pass. Dom. num. 6. z Ser. in ser. 4. hebdom. San. num. 2.

a Tract. de vite myst. cap. 12. n. 50. b Ser. in ser. 4. hebdom. San. num. 2.

CCCXXXVI *Præfatio ad Lectorem*

liberatorem piissimum intendentes, per mortem
 nostri Serpentis (qui mortem antiqui serpentis occi-
 dit) à serpentum moribus petamus liberari. Gra-
 vis equidem (f) nobis est inimicentatio: sed lon-
 gè gravior est illi meditatio & oratio nostra. Medi-
 tatione (g) agnoscimus imminetia nobis pericula,
 oratione evadimus, præstante Domino nostro Iesu
 Christo. Si tentationum sentis aculeos, (h) exalta-
 tum in ligno Serpentem æneum intuerè: & sige
 non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Porro quo-
 ties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, (i) &
 ad illicitam delectationem affici: toties pone ante
 mentis tuæ oculos, quomodo Christus in cruce cruci-
 fixus est pro te. Præterea increpa te, & dic: *Ita Re-
 demptor meus moritur pro me, & ego nescio cuius-
 modi sordida cogitatione sordidior in mente.* Suffice-
 re posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas
 cogitationes, sed ecce ad alia adhuc transeamus.
 Si fortè luxuriæ te pompa concusserit, (k) recordare
 dilectum tuum Iesum positum in doloribus, & uni-
 versum stratum suum versatum in infirmitate ejus,
 hæc dicens in corde tuo: *Deus meus pendet in pati-
 bulo, & ego voluptati operam dabo?* Sicquè invo-
 cato nomine Salvatoris, ingeminando sæpè Nomen
 salutis, cessabit tandem Deo succurrente quassatio.
 Sit tibi itaque Iesus semper in corde, (l) & nun-
 quam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic
 tibi

f Ser. 3. in dedicat. Eccl. dum. 2. g Ser. 1: de S. Andr. nu. 10.
 h Epist. 351. nu. 1. i Tract. no inter. domo cap. 22. nu. 47. 1092. 5.
 pag. 427. k Ex formula bon. vit. nu. 13. l Ibj. nu. 1.

Philosophia Christiana. CCCXXXVII
tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contem-
platio tua.

2. XXV.

*De multiplici fructu meditationis
passionis Dominicæ.*

Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem
verò vitam æternam. *S. Paul. Rom. 6.*

I. **F** *Fructus meditationis nostræ est Christus crucifi-*
xus. Seminavit vetus homo in carne, (a)
messuit postmodum corruptionem, nimirum passio-
nem Christi. Nisi enim vetus homo transgredere-
tur, novus non pateretur. Quàm multi Reges (b) & Pro-
phetæ voluerunt videre, & non viderunt: audire,
& non audierunt. Ipsi laboraverunt, & ego in la-
bores eorum introivi. Ego messui myrrham quam
illi plantaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus serva-
tus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea
commorabitur. Omnium nempe temporum, (c) quæ
sub conversatione veteris hominis transegimus, fru-
ctus noster est passio Christi, cui debemus configu-
rari, mortificationem circumferentes in carne nostra
mortali. Quem utique fructum Ecclesia (d) non so-
lùm ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed etiam à
mun-

a ser. de verb. Sap. nu. 7. b ser. 43. in cant. nu. 4. c. ser. de verb.
Sap. nu. 8. d Tract. de vite myst. cap. 46. nu. 178.

CCCXXXVIII *Præfatio ad Lectorem*

mundi principio justè congregata, dulcem sibi fore gratulatur dicens de Sponso Jesu: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Meritò ejus desideraverat umbram, (e) de quo & refrigerium & refectionem pariter acceptura esset. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ Ecclesiæ: *Salus tua ego sum.* Propterea Christi potissimum desideraverat umbram, quòd solus sit, qui non solum ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Unde ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo:* gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, (f) nihil avidius sumitur, quàm contemplatio passionis Christi. Foderunt manus ejus & pedes, (g) latiusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Fructum igitur redemptionis nostræ (h) toto desiderio cõplectamur, & sæpiùs imò sine intermissione eum ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinè linguâ intellectus nostri degustemus. Et in vase memoriæ nostræ recondamus Sanguinè rubicun-

e *Ser.* 48. in *Cans.* nu. 6. & 8. f *Tract.* de *cognit. hum. condit.* cap. 7. nu. 22. g *Ser.* 61. in *Cans.* nu. 4.

h *Tract.* de *vite myst.* cap. 46. nu. 184.

bicundi Jesu, quia factus est nobis redemptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. Hoc fructu jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioſo deserto deficiat, in quo sine requie & sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hæc sunt quippè mala punica, (i) quæ in hortum introducta Dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponſa proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Sit ergo (k) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

II. *Fructus meditationis nostræ est Christus Jesus crucifixus.* Christus (l) non immeritò fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et iterùm: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Libet adjungere verba Elizabeth (m) dicentis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.

Primò. De odore hujus fructus cujus fragrantiam sentiens Isaac Patriarcha sic dicebat: *Ecco odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Necdum speciem suam ille flos induerat, (n) & jam dabit odorem suum, quando eum ut hoc præ gaudio excla-

i Tract. de diligen. Deocap. 3. nu. 7. k ser. 1. de verb. Esai. 2.
l ser. 1. super Missusnu. 3. m Ibid. ser. 3. nu. 5. & 6.
n ser. 47. in Cant. nu. 3.

exclamaret præsensit spiritu, corpore marcens sanctus & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax. Qui filium suum Jacob tangens, (o) & Christum sentiens, inquit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Cùm hoc dicebat, habebat delicias sibi, nec cuiquam illas communicabat. Vestimenti fragrantiam sensit, (p) sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dùm & electi filii simul & sacramenti fraudatus cognitione remansit. At currebant in odore *sapientia* (q) qui missi fuerant à Phariseis, cùm reversi dicerent: *Nunquam homo sic locutus est*: utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. Verùm in odore *justitia* cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cucurrit & Petrus, qui lapsus flevit amarè, quatenùs culpam dilueret, recuperaret justitiam. Porro (r) in odore *sanctificationis* Paulus currere sese testatur, cùm Christi se imitorem esse gloriatur, dicens ad discipulos: *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi*. Cucurrerunt & omnes qui ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Desiderio quippè sequendi Christum reliquerant omnia. Iam qui

o *ser. 60. in Cant. nu. 8.* p *Tract. de exhortat. ad mil. Temp. cap. 7.* q *ser. 22. Cant. nu. 10.* r *Ibid. nu. 11.*

qui in odore *passionis* cucurrerint, si audire vis, universos Martyres accipe. Superat quippè (s) omnes odores omnium virtutum uncti Iesu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Odor iste [t] omnium suavitatum in se continet monarchiam: quia omnem balsami odorem excedit, etiam quicquid in odoribus continetur. Odor iste omnium odorum suavitas Dominus Iesus est: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior. Hunc tantum ac talem odorem si toto cordis olfactu odorare non desiderimus, in æternum proculdubio non peribimus: quoniam est resurrectio & vita. Colligamus ergo nobis[u] in vulneribus Domini Iesu Christi talem memoriam, talem delectationem, ut stigmata Crucifixi nostri in memoria jugiter retinentes, in ipso qui solus est dulcis, delectemur. Sit nobis Iesus semper in corde, (x) & nunquam imago Crucifixi ab animo nostro recedat. Hic nobis sit dulcedo & consolatio nostra, mel & desiderium nostrum, lectio & meditatio nostra, oratio & contemplatio nostra.

Secundò. De sapore hujus fructus (y) Propheta David quod gustaverat, taliter eructabat dicens: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Et iterùm: *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine*

s Tract. de vite myst. cap. 43. nu. 161. t ser. 4. in ult. Cena nu. 25. u Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 172. x Ecce formula bonæ vit. nu. 2. y ser. 3. super Missus nu. 6.

ccclii *Præfatio ad Lectorem*

mine, quam abscondisti timentibus te! Et Petrus Apostolus inquit: *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Et ipse fructus Jesus de se, invitans nos ad se, ait: *Qui edit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet.* Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientiam & sitientium justitiam, & esca & potus est. Exinde (z) cibatur nos pane vitæ & intellectus, & potatur aquâ sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Et certè hujusmodi intelligentiâ veritatis internæ vivit anima, & hic est spiritualis cibus. Verumtamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi verò cæperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, & sine difficultate intrat in animam: quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artibus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati. Cibus sitim excitat, (a) potandus est. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatū infundit oblivionem: humectat interiora aridentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra; fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, & impinguans mores. Sit tibi ergo Jesus
sem-

Philosophiæ Christianæ. **cccliii.**

semper in corde, (b) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. Nihil enim (c) in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, quàm contemplatio passionis Dominicæ. Renuat consolari anima tua in aliis, (d) si vis in Dei Homini crucifixi memoria delectari. Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem. Huic autem suavitati, (e) huic saporì omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed à DEO hæc universa donata sunt: nec dubium quin multò amplius reservaverit sibi, quàm dederit creaturis. Sit ergo (f) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus. Siquidem (g) internæ suavitatis gustus dulcedo est, & manna absconditum. Mel est quod fugit Israël de petra, oleumquè de saxo durissimo. Foderunt manus ejus & pedes, (h) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus.

Tertio. Audisti de odore, (i) audisti de sapore,
audi

b *Ex form. bon. vit. n. 2. c. Tract. de cogn. hum. condit. c. 7. n. 22.* d *Ser. 4. super Psal. 90. nu. 2.* e *Ser. 1. de Omn. SS. nu. 4.* f *Ser. 1. de veri. Esai. nu. 2.* g *Ser. 1. sup. Sal. Reg. nu. 5.* h *Ser. 61. in Cant. nu. 4.* i *Ser. 3. sup. Missus nu. 6. 1*

cccliv. *Prefatio ad Lectorem*

andi & de *specie* hujus fructus . Si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum , sed etiam delectabilis aspectu : quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere , in quem desiderant etiam Angeli prospicere ? Cujus pulchritudinem in spiritu videbat , & in corpore videre cupiebat David , cum dicebat : *Ex Syon species decoris ejus* . Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem , recole quod in alio Psalmo legis : *Speciosus forma præ filiis hominum , diffusa est gratia in labiis tuis , &c.* Porro [k] sublimis quædam visio nobis describitur ab Isaja Propheta , qui sic ait : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum* . Sed aliam quoque audio Prophetæ ejusdem , & ejusdem Domini longè dissimilem visionem . Siquidem Isaias iste in alio loco sic loquitur : *Vidimus eum , & non erat ei species neque decor , & estimavimus eum tanquam leprosum , &c.* Idem Propheta utrobique vidit eundem , [l] sed non vidit eodem modo , ac per hoc quodammodo non eundem . Ibi enim vidit Dominum sedentem super solium excelsum : hinc autem vidit eum lividum plagis , saturatum opprobriis , affectum suppliciis , laceratum injuriis . Nec sine causa (m) sanè ibi , *Vidi* , scriptum est , & hinc , *Vidimus* : nisi ut illam visionem intelligam esse propriam prærogativæ propheticæ , hanc verò communem . Propterea (n) hæc mea sublimior interim philosophia , scire Jesum ,

&

k Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1. l Ser. 1. de verb. Esai. nu. 4. m Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1. n Ser. 43. in Cam. nu. 4.

Philosophia Christiana. ecclv

& hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Sublimis in Regno, (o) sed suavis in Cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me* (ait Proheta David) *latitiâ cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore. Splendor [p] & figura substantiæ Dei obnubilatur in forma servi, pro vita servi. Candor vitæ æternæ nigrescit in carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuratur in passione, turpat in Cruce, pallet in morte: ex toto non est ei species neque decor. Agnosco pellem Salomonis, [q] imò ipsum in pelle foris nigra Salomonem amplector, *nempè Christum*. Habet & Salomon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Intus Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentia puritas. Sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus est vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium: nam Fidelium mentibus est formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, sed formosus confessione

z

sione

sione Latronis, Centurionis fide. Et quia Isaias eum modò sedentem super solium excelsum, (r) modò tanquàm leprosum se vidisse testatur id est, non in carne tantùm, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem priùs Jesum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deserto Serpentem, si videre desideras Regem in folio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & fatiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum sicuti est. Talis visio non est vitæ præsentis, [s] sed in novissimis reservatur, his duntaxat qui dicere possunt: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Esto & nunc similis ei, (t) videns eum sicut propter te factus & passus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur: Nonquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Sit ergo meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

III. *Meditatio passionis Dominicæ est fundamentum pietatis Christianæ.* Scit(u) quicumque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, & utile sit unâ saltem aliquâ diei horâ passionis Christi attentius recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia

r Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2. s Ser. 31. in Cant. nu. 1.
 t Ser. 1. de verb. Esai. n. 2. u Tract. de vita solitar. cap. 10. nu. 30. tom. 5. pag. 250.

scientia. In hac Passione (x) tria specialiter convenit intueri, opus, modum, causam. *Primo* quidem in *opere* singularis patientia Christi commendatur, quod videlicet cum supra dorsum ejus fabricarentur peccatores, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversus Patrem murmurans, à quo missus fuerat: non adversus humanum genus, pro quo quæ non rapuit exolvebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Nec solum enim ingrati gratuiti beneficii ejus extiterunt, (y) sed contumeliis affecerunt Dominum dominantium, & fecerunt ei quæcunque voverunt. Ipso enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, dixerunt: *Non est hic homo à Deo: in principe demoniorum eicit demonia, demonium habet, seducit turbas, vorax est, potator est vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Flagellantur alii (z) non tam purgandi, quam probandi coronandique, & major in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodo non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissimè flagellabatur sicut fur? Cum autem (a) in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de corde ejus nisi dulcedo, sed patientiam in amarissima passione retinuit. Patientia ejus fuit singularis, [b] quod videlicet cum sic extenderetur ligno ut dinumerarentur

x Ser. in fer. 4. hebdom. San. num. 2.

y Ser. de Pass. Dom. num. 6. z Ser. in fer. 4. hebdom. San. num. 2.

z Tract. de vite myst. cap. 12. n. 50. b Ser. in fer. 4. hebdom. San. num. 2.

tur omnia ossa ejus, cum foderentur manus ejus & pedes, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum. Qualis est hic, (c) qui in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversum maledictos canes illos proferret? Plectuntur aliqui pro peccatis suis, (d) & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Quomodo non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissima morte multabatur sicut fur? Ita ergo habes in opere patientiam.

Secundo, (e) admirabilis in modo humilitas Christi commendatur. Nam modum ipsum si diligenter attendas, non modò mitem, sed & humilem cognosces. Dominus omnium (f) servili forma indutus est, de paupercula Virgine natus est: & cum liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus est in lege: cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit: discipulorum quos elegerat, pedes lavit. Hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in Matre specialis & sine exemplo fuit virginitas, sic in Filio singularis & unica esset humilitas. Quis dignè penset (g) quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum majestatis carne indui, multari morte, turpari cruce? Denique in humilitate judicium ejus sublatum est, (h)

cum

c Ser. de Pass. Dom. nu. 13. d Ser. in fer. 4. hebdom. San. nu. 2.
e Ibid. nu. 3. f Ser. 2. in Cena Dom. nu. 2. g Ser. 11. in Cant. nu. 7. h Ser. in fer. 4. hebdom. San. nu. 3.

cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi objiciebantur quidquam responderet. In Cruce quoque (i) humillimus fuit. In hac enim humilitate solum colorem intuentibus Judæis & Gentibus ipse color vilis apparuit: nobis verò qui virtutem agnoscimus Passionis, ipsa etiam humilitas despecta, humanitas Christi placet, & per humilitatem maximè commendatur. Contemnat Herodes, (k) ego tantò magis non contemno, quantò magis contemptibilem se ostendit. O quanta humilitas! (l) Incomprehensibilis DEUS vuluit comprehendì, Summus humiliari, Potentissimus despici, pulcherrimus deformari. Sic enim Propheeta inquit: (m) Vidimus eum, & non erat ei aspectus; nec speciosum formà præ filiis hominum, sed tanquam leprosum, novissimum virorum, planè virum dolorum, à Deo percussum & humiliatum, ita ut nulla esset ei species neque decor. O novissimum, & altissimum! ô humilem, & sublimem! ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique Iputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis reputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imò quæ tam est ultra modum? Sic est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis: utraque sine exemplo. Habeamus ergo (n) eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam &

i Tract. de vite myst. cap. 17. nu. 65.

k Ser. 61. in Cant. num. 6. l Tract. de vite myst. cap. 17. nu. 70.

m Ser. in ser. 4. hebdom. san. nu. 30. n Ser. 2. in Cant. Dom. nu. 9.

ccclx *Praefatio ad Lectorem*

indefinentem memoriam : non utique ociosam , non tepidam, non torpentem , sed compassionis ardore super omnia plurimum delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem .

Tertio, (o) in causa ipsa commendatur Christi *charitas* inæstimabilis. Propter nimiam quidem charitatem quâ dilexit nos Deus, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius pepercit . Verè nimiam : quia & mensuram excedit, & modum superat, planè supereminens universis . *Majorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* . Tu majorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis . Cùm enim adhuc inimici essemus , per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patti . Alioquin (p) si non dilexisses inimicos, nondum possedisses amicos : sicut nedum quos sic diligeres essent , si non dilexisses qui nondum essent . Verè Domine nimis excessisti : (q) quia cùm sis splendor paternæ gloriæ , & figura substantiæ ejus, & Dominus majestatis, pati dignatus es tormentum abjectissimæ passionis . Verè fuit excessus, cùm dedisti vellentibus genas tuas : cùm faciem tuam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus : quando cum iniquis reputatus es . Quænam alia videbitur esse, (r) vel fuisse , vel fore huic similis charitati ? Vix pro justo quis moritur , tu pro impiis passus es: moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres

o Ser. in ser. 4. heb. San. nu. 4. p Ser. 20. in Cant. nu. 2. q Ser. in ser. 2. Pasch. nu. 3. r Ser. in ser. 4. heb. San. nu. 4.

fratres, captivos cohæredes, exules reges . Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem illustrat, quàm quòd tradidit in mortem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogavit, ut non perirent . Flagellis cæsus est, (s) spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor ait: *Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis: hinc dolores, hinc miserationes: hinc oleum exultationis, hinc Sanguinis guttæ decurrentis in terram . O quàm multus es (t) ad ignoscendum Domine! O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ! O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! O quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res . Ille clamat, *Ignosce: Judæi, Crucifige.* Molliti sunt sermones ejus super oleum: & isti sunt jacula . O charitas patiens, sed & compatiens! Charitas patiens est, sufficit . Charitas benigna est, cumulus est . Digna est ergo charitas tam inæstimabilis, (u) humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis . Quomodò enim non illius *patientia* recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodò non illius *humilitatis* consideratio superbiam vitæ prorsùs extundat? cùm *charitas* illa planè digna ejus meditatione sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam humanam, ut omninò vitium curiositatis

exsufflet. Fortis igitur est contra hæc meditatio passionis Salvatoris.

IV. *Meditatio passionis Christi est incitamentum ad imitandum obedientiam ejus.* Nam illa mors, (x) illa crux, opprobria, sputa, flagella, (quæ omnia Christus pertulit) quid aliud nobis, quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? *Christus enim* (ait Paulus) *factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus:* id est, ut imitemini obedientiam ejus. Qui enim (y) tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Familiaris quidem (z) & amica saluti obedientia est, sed obedientia firma & stabilis, quæ fundata est supra petram. *Melior est enim obedientia quàm victima.* Unde & vitæ quoque ipse Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam non implere. Christus namque (a) factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Et in alio loco ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris.* Postremò (b) obedientia consummata fuit in Christo, cum inclinato capite tradidit spiritum factus obediens usque ad mortem. Ex his autem omnibus quæ passus est Christus, (c) discimus quanta nos qui puri homines sumus,

x *Tract. de grad. humilit. cap. 3. n. 7.* y *Ser. 2. in Cena Dom. n. 6.*
 z *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 1. nu. 1.* a *Ser. 2. in Cena Dom. n. 2.* b *Ser. 1. in die Pasche n. 3.* c *Ser. 2. in Cena Dom. n. 7.*

mus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat non dubitavit mori. Panis obedientia est: (d) quoniam *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. Cibus utique, (e) sed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni necessitate confortat & sustentat, ut divinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conscientiam scilicet ejus ingesta? Quisquis ad intelligentiam pervenire desiderat, (f) profectò necesse est ut priùs per omnia bona sese diligenter exerceat, sicut scriptum est in Psalmo: *A mandatis tuis intellexi*. Si videre desideras Christum, (g) oportet te priùs audire eum, audire de eo, ut dicas cum videris: *Sicut andivimus, sic vidimus*. Denique à *mandatis tuis intellexi*, inquit Propheta: quidd intellectum reddat observatio mandatorum, quem tulit transgressio. *A mandatis tuis intellexi*, inquit: (h) ut scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitè non debeti. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus præjudicium ullatenùs faciendum. Alioquin non dormiet tecum Sponsus in lectulo uno, illo præsertim quem tu tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes suas, vocatusquè non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut mori potius quàm nò obedire mauerit.

d Ser. 1. in Dom. 6. post Pent. nu. 4. e Ser. 3. in Dom. Palm. nu. 4.
 f Ser. 5. in Assump. B. M. nu. 5. g Ser. 28. in Cant. nu. 6. h Ser.
 46. in Cant. nu. 5.

luerit. O homo, (i) quid caufaris contra inobedientiam Adæ! ecce datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Sit tibi ergo (k) Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

V. *Meditatio passionis Dominicæ est ars artium.*
 Hæc est enim (l) sublimior philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Hæc est, (m) quæ divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa determinat, hiantia coit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fugata explorat. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Incomprehensibilis erat & inaccessibleis, (n) invisibilis & incogitabilis omnino. Nunc verò comprehendere voluit, videri voluit, cogitari voluit: jacens in præsepio, in Virginali gremio cubans, & in Cruce pendens, in morte palens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis. Sufficit mihi, [o] nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. O quàm salubrius (p) & tu disceres Jesum, & hunc crucifixum! Quam utique scientiam haud facilè nisi qui
 mun-

i Ser. 1. in Dem. 1. post Oct. Epib. n. 3. k Ex formula bon. vit. n. 2.
 l Ser. 42. in Cant. nu. 4. m Lib. 1. de consider. cap. 7. n Ser. 2. de Virg. Desip. nu. 11. o Ser. 45. in Cant. nu. 3. p Epist. 108. nu. 2.

mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Scientia autem ista (q) *in primo* gradu operatur pœnitentiam & dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat: & incipiant tibi displicere, quæ vehementer ante placuerunt, ut illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: *Qui addit scientiam, addit & dolorem*: ut veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. Proinde (r) sic de omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Dei tui colliga fasciculum, ut amarum poculum lachrymarum tibi conficias. *In secundo* gradu (s) scientia ista operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed omninò coërceas gulã, jugules luxuriam, superbiam deprimas: & facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati ante servierat. Pudeat sectari gloriam membra, (t) quibus Caput suum (*Christus*) tam ingloriam exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Pudeat sub spinato Capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis. *In tertio* gradu (u) scientia ista operatur sollicitudinem, ut jam homo sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel in levissima re tremendæ illius Majestatis offëndatur aspectus. Sicut enim nullum est momentum, (x)

quo

q Ser. 2. in vig. Nat. Dom. nu. 4. r Ex formula hon. vit. nu. 3.
s Ser. 3. in vig. Nat. Dom. nu. 4. t Ser. 5. de Omn. SS. nu. 9.
u Ser. 3. in vig. Nat. Dom. nu. 4. x. Tract. de cognit. hum. condit. cap. 6. nu. 18.

CCCLXVI *Præfatio ad Lectorem*

quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Proinde [y] sit tibi Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Totus tibi figatur in corde, (z) qui pro te totus fixus est in Cruce, semper habens in mente quantam tibi exhibuit charitatem. Sit tibi Crucifixus in memoria: (a) Crucifixi replicetur injuria: Crucifixi ruminentur opprobria, & charitas indefessa. Stat ecce expansis manibus, [b] nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Et te ad suos invitat amplexus, & quodammodò miserabiliter misericorditerquè clamat, dicens: *Lege me librum vite scriptum intus & foris, & lectum intellige*. Noli ergo auditor obliviosus esse, (c) sed die ac nocte legito Passionem Jesu Christi. Hæc enim lectio est (d) mel in ore, júbilus in corde, extasis mentis devotæ. Dulcor ejus omnem excedit eloquentiam, & totam absorbet conscientiam, & transformat in supernæ jubilationis imaginem, & deliciarum cælestium novitatem.

2. XXVI.

† *Ex formula bon. viri. n. 2.* z *Tract. de vite myst. cap. 31. n. 130.*
 n *Ser. in ser. 2. Paschæ n. 10.* b *Tract. vite myst. cap. 44. n. 166.* &
 167. c *Ex Soliloquio S. Bern. nu. 20.* d *Ser. in ser. 2. Paschæ n. 1.*

§. XXVI.

De effectibus meditationis passionis Dominicæ, per quam provehitur ad contemplationem divinarum rerum anima devota.

Cum Moyses (e) in multa constantia Domino supplicaret, dicens: *Domine ostende mihi faciem tuam, ut sciam te.* Dominus ait ei: *Sta in foramine petrae, & cum pertransiero videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Hoc ait, per faciem designans *Divinitatem*, per posteriora *Humanitatem*: quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videndam reliquit. Proinde (f) ad admonitionem Jeremiæ Prophetæ relinquam civitates, & habitabo in petra: ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moysse positus in foramine petrae, transeunte Domino mereat saltem *posteriora eius prospicere*. Nam *faciem* stantis, id est, incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci jam meruit in Sancta sanctorum? Nec vilis tamen aut contempnenda posteriorum contemplatio. Habent enim aliquid & posteriora Domini quod videre delectet. Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Erit cum ostendet faciem

e *Tract. de 3. princip. myst. c. 7. n. 20. f Ser. 61. in cant. nu. 6.*

ccclxviii *Prefatio ad Lectorem*

ciem suam, & salvi erimus. Sed interim præveniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ posteriora demonstrat, aliàs in gloria dignitatis faciem suã demonstraturus. Sublimis quidẽ in Regno, sed suavis in Cruce. Propterea (g) hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commemorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Panis illud, hoc lac. Hoc replet ubera matrum, hoc viscera reficit parvulorum. Et ided animali & novo in Christo homini, (h) ad exercitanda ejus interiora, meliùs & tutiùs proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora, & imago passionis suæ: ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corpora & corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui juxta modum suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippè in forma Meditatoris, in quo, sicut legitur in Job, *visitans homo speciem suam non peccet*. Hoc est, cum intentionis suæ intuitum in eum dirigit, humanam in Deo speciem cogitando, à vero non usquequaque recedat: & dum per fidem ab homine Deum non dividit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscat. In quo pauperibus spiritu & simplicioribus filiis Dei tantò primum

mum solet esse affectus dulcior, quanto humanæ naturæ propinquior. Pius enim (i) Dominus noster Jesus Christus pusillos corde blanditiis talibus soles allicere. Novitios scilicet, (k) qui parvuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro & pedagogo viventes. Id namque convenit maxime novitiis, qui nimirum (si fortè in consolationibus meditationis sanctæ cæperint delectari) quasi pueriliter timent ne magistrum offendant, ne vapulent, ne defraudentur munusculis, quibus solet eos eruditor ille benignissimus allicere. Bonus cibus charitas, (l) quæ media in ferculo Salomonis consistens, diversarum odore virtutum velut diversi generis fragrantia pigmentorum esurientes reficit, jucundat reficientes. *Media, inquit, charitate con-*
stravit propter filias Jerusalem. Propter imperfectas videlicet animas, quæ dum adhuc illum solidum cibum sapientiæ cum vino quod lætificat cor hominis, minus capere possunt, lacte interim charitatis, oleo pro vino nutriendæ sunt. Solis proficientibus ita jam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis ejus suavitas præstò est, ut illis interrim pro sui teneritudine contenti sint. His sanè [m] Ecclesia proponit Jesum, & hunc crucifixum: ut & ipsi absque suo labore habitent in foraminibus petræ, in quibus non laboraverunt. Judæi in his laboraverunt, & ipsi in labores infidelium introibunt, ut sint fideles. Nec verendum quod patiantur repul-

sam,

i Ser. 3. in Circumcis. Dom. nu. 10. k Ser. 8. diu. nu. 6. l Tract. de grad. humil. cap. 2. nu. 4. m Ser. 62. in Cant. nu. 6.

ccclxviii *Prefatio ad Lectorem*

ciem suam, & salvi erimus. Sed interim præveniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ posteriora demonstret, aliàs in gloria dignitatis faciem suã demonstraturus. Sublimis quidẽ in Regno, sed suavis in Cruce. Propterea (g) hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem latus amplector mea inter ubera commemorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Panis illud, hoc lac. Hoc replet ubera matrum, hoc viscera reficit parvulorum. Et ided animali & novo in Christo homini, (h) ad exercitanda ejus interiora, meliùs & tutiùs proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora, & imago passionis suæ: ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corpora & corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui juxta modum suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippè in forma Meditatoris, in quo, sicut legitur in Job, *visitans homo speciem suam non peccet*. Hoc est, cum intentionis suæ intuitum in eum dirigit, humanam in Deo speciem cogitando, à vero non usquequaque recedat: & dum per fidem ab homine Deum non dividit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscat. In quo pauperibus spiritu & simplicioribus filiis Dei tantò primùm

mum solet esse affectus dulcior, quanto humanæ naturæ propinquior. Pius enim (i) Dominus noster Jesus Christus pusillos corde blanditiis talibus soles allicere. Novitios scilicet, (k) qui parvuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro & pedagogo viventes. Id namque convenit maxime novitiis, qui nimirum (si fortè in consolationibus meditationis sanctæ cæperint delectari) quasi pueriliter timent ne magistrum offendant, ne vapulent, ne defraudentur munusculis, quibus solet eos eruditor ille benignissimus allicere. Bonus cibus charitas, (l) quæ media in ferculo Salomonis consistens, diversarum odore virtutum velut diversi generis fragrantia pigmentorum esurientes reficit, jucundat reficientes. *Media, inquit, charitate constitavit propter filias Jerusalem.* Propter imperfectas videlicet animas, quæ dum adhuc illum solidum cibum sapientiæ cum vino quod lætificat cor hominis, minus capere possunt, lacte interim charitatis, oleo pro vino nutriendæ sunt. Solis proficientibus ita jam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis ejus suavitas præstò est, ut illis interrim pro sui teneritudine contenti sint. His sane [m] Ecclesia proponit Jesum, & hunc crucifixum: ut & ipsi absque suo labore habitent in foraminibus petræ, in quibus non laboraverunt. Judæi in his laboraverunt, & ipsi in labores infidelium introibunt, ut sint fideles. Nec verendum quod patiantur repul-

sam,

i Ser. 3. in Circumcis. Dom. nu. 10. k Ser. 8. dis. nu. 6. l Tract. de grad. humil. cap. 2. nu. 4. m Ser. 62. in Cant. nu. 6.

sam, qui & vocantur ut intrent: *Ingrederes*, inquit, *in petram*, *abscondere in fossa humo à facie timoris Domini*, & *à gloria maiestatis eius*. Infirmæ adhuc & inertæ animæ fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat & proficiat, ut possit & ipsa per se cavare sibi foramina in petra, per quæ intret ad interiora Verbi, animi utique vigore & puritate. Et si intelleximus (n) fossam humum esse illam quæ ait, *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Verùm donec purgata & sanata perfectè fuerit, non video qualiter illi aptari possit quod dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Quomodo deniq; faciem suam ostendere audeat, vel levare vocem suam, cui & latere indicitur? *Abscondere*, inquit, *in fossa humo*. Quare? Quia non est pulchra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quando non erit videre idonea. Cùm autem per inhabitationem fossæ humi in sanando oculo interiori tantum profecerit, ut revelata facie speculari gloriam Dei & ipsa possit: tunc demùm quæ videbit, fiducialiter jam loquetur, voce & facie placens. Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque enim id posset nisi clara ipsa quoque esset & pura, utique transformata in eandem quam **conspicit**

conspicit claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resileret insolito reverberata fulgore. Ergo cum pura puram intueri potuerit veritatē, tunc faciem ipsius Sponsus Christus videre cupiet, consequenter & vocem ejus audire. *Quæ cum ita sint, liquit plurimos effectus promanare ex meditatione passionis Dominicæ, multasquæ species esse contemplationis.*

Prima quidem & maxima contemplatio (o) est admiratio Divinæ majestatis. Hæc autē requirit cor purgatum, ut à vitiis liberum atq; exoneratū peccatis, faciliè ad superna levet: interdum quoq; vel per aliquas morulas stupore & extasi suspensum teneat admirantē. Stupenda planè est sublimitas majestatis. Quis verò stupet, nisi qui contemplatur gloriam Dei? Seraphim duo stantes (p) & adstantes Domino majestatis, duabus alis caput ejus velant. Quibusnā autem putamus alis hoc caput Seraphim velant? Duabus, ni fallor, alis, suæ videlicet ipsorum gloriæ & felicitatis. Ineffabiliter siquidem delectantur in *admiratione* contemplationis illius, nec minùs gloriātur in ipsius *veneratione*. Iniquus verò ille Lucifer admirationem quidem, sed non venerationem habens, quia subdi noluit per venerationem, figi non valuit per admirationem. Non ita sanè duo illi Seraphim (q) quos prophetica nobis visio commendavit stantes, & adstantes Domino majestatis. Cujus etiam duabus (ut dictum est) alis caput velant, ipsa equidem sua *admiratione*, in qua delectantur feliciter

o *Lib. 5. de considerat. ad Eugen. Papam. cap. 14. nu. 31. & 92.*
 p *Ser. 5. de Verb. Esai num. 10. q. Ibid. nu. 12.*

ccclxxii *Præfatio ad Lectorem*

ter; ac *venerations*, in qua sublimiter gloriantur. Est locus apud Deum, (r) de quo sua jura decernit, & disponit consilia ipse universitatis Gubernator, leges constituens omni creaturæ. Locus iste altus quidem est & secretus, sed minimè quietus. Nam etsi ipse quantum in se est disponit omnia suaviter, disponit tamen & contemplantem: qui fortè eò loci pervenerit, quiescere eum non permittit, sed mirabiliter quamvis delectabiliter rimantem & admirantem fatigat, reditquè inquietum. Pulchrè utrumque in consequentibus verbis sponsa exprimit, & delectationem videlicet istiusmodi contemplationis & inquietudinem, ubi & se dormire, & cor suum vigilare fatetur. Nam in somno quidem suavissimi stuporis placidæquè admirationis sentire quietem, in vigiliis verò inquietæ nihilominus curiositatis ac laboriosæ exercitationis pati se fatigationem significat.

Secunda contemplatio (s) *est intuens judicia Dei.* Quo sanè pavido aspectu dum vehementiùs concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, iniciat ad sapientiam, humilitatem servat. Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum est humilitas: nempè si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. Pavenda planè est abyssus judiciorum Dei. Quis verò pavet, nisi qui scrutatur profundum Sapientiæ? Est locus, (t) de quo super rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat secretissima & severissima animadversio justii Iudicis, Dei terribilis in consiliis super filios hominum. Cernitur

r Ser. 23. in Cant. nu. 13. s Lib. 5. de Confid. ad Eugen. cap. 14. u. 31. & 32. t Ser. 23. in Cant. n. 14.

Philosophia Christianæ. cclxxiii

nitur inquam à timorato contemplatore in hoc loco Deus, iusto quidem, sed occulto iudicio suo reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona: insuper & corda indurans, ne fortè doleant & resipiscant & convertantur, & sanet eos. Et hoc non absque certa & æterna ratione, quod tantò formidolosius constat esse, quantò immobilius fixum extat in æternitate. Pavendū valdè quod in Propheta Isaia de huiusmodi legimus, ubi loquens ad Angelos suos Deus sic ait: *Misereamur impio.* Quibus paventibus atque querentibus; *Non*, inquit, *discet facere iustitiam.* Misericordiam hanc (u) ego nolo. Siquidem super omnem iram miseratio est ista, sepiens mihi vias iustitiæ. Satiùs profectò mihi est juxta Prophetam David consilium apprehendere disciplinam, nequandò irascatur Dominus, & peream de via iusta. Volo irascaris mihi Pater misericordiarū, sed illà irā, qua corrigis devium, non qua extrudis de via, Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cū nescio, sed cū sentio te iratū, tunc maximè confido propitiū; etenim cū iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Tertia contemplatio occupatur (x) seu potius occupatur circa memoriā beneficiorū Dei. Ipsa est quæ ne dimittat ingratum, sollicitat memorantem ad amorem Benefactoris. Planè fervorem exigit charitas. Quis verò fervet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Est locus ubi verè quiescens (y) & quietus cernitur Deus,

* Ser. 24. in Cant. n. 4. x. lib. 5. de Confid. cap. 14. n. 31. & 32. y Ser. 23. in Cant. nu. 17.

locus omninò non Iudicis, non Magistri, sed Sponsi : & qui mihi quidem (nam de aliis nescio) planè cubiculum sit, si quando in illum contigerit introduci. Sed heu, quàm rara hora, & parva mora! Clarè ibi agnoscitur misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum. Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum: ipsorum & dissimulans mala, & remunerans bona, ut miro modo eis non modò bona, sed & mala cooperentur in bonum. O verè quietis locus, (z) & quem non immeritò cubiculi appellatione censuerim: in quo Deus non quasi turbatus irâ, nec velut distentus curâ prospicitur, sed probatur voluntas ejus in eo bona & beneplacens & perfecta. Bona in se, (a) placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil ultra quærentibus. Quidni ibi videatur cor Dei? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quæ clausa mortalibus, etiam ipsis electis suspecta sunt. Id quidem salubriter: ne desinent timere, dum necdum dignè amare idonei inveniuntur. Visio tamen ista non terret, (b) sed mulcet: inquietam curiositatem non excitat, sed sedat: nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hic verè quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia: & quietum aspicere, quiescere est. In hoc arcanum & in hoc sanctuarium Dei si quem forè vestrùm aliquâ horâ sic rari & sic abscondi contigerit,

z Ibid. nu. 18. a lib. 5. de considerat. cap. 4. nu. 9. b ser. 23. in Cant. nu. 18.

rit, ut minime avocet aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quæ difficilius amoveantur irruentia imaginum corporearum phantasmata, poterit quidem hic cum ad nos redierit gloriari & dicere: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.*

Quarta contemplatio, quæ retrò sunt obliviscens, (c) in sola requiescit expectatione promissorum. Quæ cum sit meditatio æternitatis, (siquidem quæ promittuntur æterna sunt) longanimitatem alit, & perseverantiæ dat vigorem. Planè æternitas exigit perseverantiam sustinendi. Quis verò sustinet & perseverat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempè æternitatis quandam imaginem præferat perseverantia. Denique sola est perseverantia cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Perseverantia (d) singularis est filia Summi Regis, virtutum fructus, earumquæ consummatio, totius boni repositorium: virtus est sine qua nemo videbit Deum, nec à Deo videbitur: finis est ad justitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit. Sola est perseverantia, quæ amatorem obedientiæ ad Regis cubiculum introducit, ut eum videat in decore suo, in quem desiderant Angeli prospicere. Absque perseverantia (e) nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Perseverantia,

c lib. 5. de considerat. cap. 14. nu. 31. & 32. d ser. 41. diu. nu. 10.
e Epist. 129. nu. 2.

ccclxxvi *Prefatio ad Lectorem*

santia est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Dominus utique Iesus Christus Sol iustitiæ, (f) lucens in virtute sua, reddidit semetipsum in præmium sempiternum, omnibus illis qui perseveraverunt in agone certaminis. Receperunt enim ab eo splendorem sempiternum, in quo sine fine felices lætantur. Hunc autem splendorem nullus poterit adipisci, nisi qui perseveraverit usque in finem. Quia nimirum virtus boni operis perseverantia est: idèd huic soli redditur corona iustitiæ. Hæc est enim merces nostra, (g) hæc corona nostra, hoc bravium nostrum, ad quod utinam sic curramus, ut comprehendamus.

Quinta contemplatio (h) *scrutatur Regis ipsius maiestatem, aternitatem, divinitatem.* Hoc autem quantum difficilius cavatur de petra, (Christo) tanto suavius quod inde eruis sapit. Nec verearis illud quod sacra Scriptura minatur scrutatoribus Majestatis Divinæ, tantum affer purum & simplicem oculum: non opprimeris à gloria, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Alioquin suâ quisque opprimitur, non Dei gloriâ; dum proclivis ad istam, ad illam levare cervicem non sinitur, nimirum gravem cupiditate. Hac excussa cupiditate, securè scrutemur in petra, (Christo) in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Si adhuc dubitas, audi ipsam petram: *Qui operantur, inquit, in me, non peccabunt.* Præterea [i] dicit Propheta

f *Tract. de vite myst. cap. 14. nu. 56. & 57. 2 ser. 1. diu nu. 8.*
h *ser. 62. in Cant. nu. 4. i ser. 31. in Cant. nu. 2.*

pheta David: *Accedite ad eam & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Ita sanè, sed si quantum satis est illuminamur, ut revelata facie specularum gloriam Dei, in eandem imaginem transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Ergo accedendū est ad eum, (k) non irruendum, ne irreverens scrutator majestatis Dei opprimatur à gloria. Nec locis sanè accedendum est, sed claritatibus, ipsisque non corporeis, sed spiritibus tanquam à Domini Spiritu. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, (l) & volabo & requiescam? Ibi requiem invenit mansuetus & simplex, ubi dolus opprimitur, vel elatus, & cupidus gloriæ. Ecclesia columba est, & idè requiescit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba, inquam, quia in mansuetudine suscipit insitum Verbum. Et requiescit in Verbo, hoc est in petra: nam petra est Verbum. Ecclesia ergo in foraminibus petræ per quam introspicit, & videt gloriam sponsi sui Jesu Christi: nec opprimitur tamen à gloria, quoniam non sibi usurpat eam. Non opprimitur inquam, quia non scrutatrix Majestatis est, sed Voluntatis: nam quod Majestati attinet, interdum quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si quandoque per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter levans hominem, non hominis temeritas insolenter Dei alta pervadens. Cùm enim Paulus Apostolus raptū se commemoraret, ut ausum excuset: quisnam alter præsumat

k *Ibid.* nu. 3. l *ser.* 62. in *Cant.* nu. 4.

mortalium huic se Divinæ Majestatis horrendo scrutinio propriis intricare conatibus, & importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde Majestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam; sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur à gloria.

Sexta contemplatio scrutatur voluntatem Divinam. Formidolosa quidem est scrutatio Majestatis Divinæ, (m) at Voluntatis tam tuta quàm pia. Quidni totâ diligentia scrutando in stem sacramento gloriæ Voluntatis, cui mihi parendum esse per omnia scio? Suavis est gloria, quæ non aliud de quàm de ipsius suavitatis contemplatione procedit, atque de divitiarum bonitatis ac multæ miserationis intuitu. Denique vidimus gloriam hanc, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Totum nempè benignum & verè paternum quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria ista totis licet viribus intendentem in se, ego potiùs imprimar illi. Etenim revalata facie specularantes in eandem imaginem transformamur de de claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Transformamur, cum conformamur. Absit autem ut in Majestatis gloria, & non magis in Voluntatis modestia, Dei ab homine conformitas præsumatur. Gloria mea hæc est, si unquam de me audiero: Inveni hominem secundum cor meum. Cor Sponsi, est cor Patris sui. Ipsum quod est? *Estote*, ait, *miseri-cordes, sicut & Pater vester misericors est.* Hæc forma quam videre desiderat, cum Ecclesiæ dicit, *Osten-*
de

de mihi faciem tuam: forma pietatis & mansuetudinis est. Hanc cum omni fiducia levat ad petram cui similis est. *Accedite, inquit, ad eum & illuminamini, & facies vestrae non confundentur.* Quo pacto humilis ab humili confundetur, à pio sancta, à mansueti modesta? Nō planè abhorrebit à puritate petrae pura facies sponsae, non magis quàm à virtute virtus, à lumine lumen. Ergo scrutatio Voluntatis Dei tam tuta quàm pia est. Quid est Deus? (n) Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo; creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, sæcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ab benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.

2. XXVII.

De aliis speciebus contemplationis.

I. **S**eptima contemplatio est raptus mentis. Magnus quidem est ille, (o) qui usum sensuum veluti quosdam civium opes expendere satagit, dispensando in suam & multorum salutem. Nec ille minor est, qui hunc sibi gradum ad illa invisibilia philo-

n. lib. 5. de considerat. cap. 11. n. 24. 9 Ibid. cap. 2. n. 3.

philosophando constituit: nisi quod hoc dulcius, illud
 utilius; hoc felicius, illud fortius esse constat. At
 maximus est ille, qui spreto ipso usu rerum & sensu-
 um, (quantum quidem humanæ fragilitati fas est) non
 ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus
 avolare intendum contemplando ad illa sublimia con-
 suevit. Ad hoc ultimum genus contemplationis
 illos pertinere reor excessus Pauli Apostoli: exces-
 sus, non ascensus. Nam raptum potius fuisse, quam
 ascendisse ipse se perhibet. Inde est quod dicebat:
Sive mente excedimus, Deo. Porro hæc tria ita con-
 tingunt, cum consideratio etsi in loco peregrinatio-
 suæ, studio virtutis & adjutorio gratiæ facta superior,
 sensualitatem aut premit ne insolescat, aut cogit ne
 evagetur, aut fugit ne inquinet. In *primo* poten-
 tior, in *secundo* liberior, in *tertio* purior. Puritatis
 siquidem & alacritatis pariter alis fit ille volatus.
 Denique (p) audiamus quod Esaias ait: *Seraphim*
duabus alis velabant caput Domini, duabus pedes, &
duabus volabunt. In quibus verbis ego opinor non in-
 congruè alas istas quibus volant, *agnitionem & devo-*
tionem intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos
 est, Seraphim rapiuntur. Levat quippè agnitionis
 ala, sed sola non sufficit, Ruit citius qui unâ tan-
 tum alâ volare contendit: & quod magis attollitur,
 eò pejùs colliditur. Ubi verò intelligentiam chari-
 tas & agnitionem devotio comitatur, volet securè
 quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in
 æternitatem.

Octava

Philosophiæ Christianæ. ecclxxxii

Octava contēplatio est extasis seu mors vitalis. Contēplatio revera mors est, (q) quoniā Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando sic loquitur: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Proinde & ego (r) non absurdè sponsæ extasim vocaverim mortem, quæ tamen non vitâ, sed vitæ eripiat laqueis, ut possit dicere: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Intet medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui utique toties non timentur, quoties sanctâ aliquâ & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur: si tamen eousque mente secedat & avolet, ut & hunc communem transcendat usum & consuetudinem cogitandi. Etenim frustra jactitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita sentitur? Excedente quippè anima etsi non vitâ, certè vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors est illa quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona mors est illa quæ non corpus cadit, sed anima sublevatur. Verùm (s) hæc mors hominū est.

q ser. 52. in Carst. 126171. 3. r Ibid. 126172. 4. s. Ibid. 126173. 5.

ccclxxxii *Prefatio ad Lectorem*

est. Sed moriatur anima mea etiam (si dici potest) Angelorum, presentium memoriâ excedens, rerum se inferiorum corporearumquè nonmodò cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat: sitquè ei pura cum Angelis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis (ut opinor) excessus aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est: corporearum verò imaginum similitudinibus speculando non involui, Angelicæ puritatis est. Utrumque tamen Divini muneris est, utrumque teipsum transcendere est: sed longè unum, alterum non longè.

Nona contemplatio est sopor seu dormitio. Revera enim dormitio est: (t) quæ tamen sensum non sapiat, sed abducatur. Non est is somnus dormitio corporis placida, quæ sensus carnis suaviter sopit ad tēpus, sed est vitalis vigilquè sopor, qui sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam. Denique (u) audiamus quod legitur in Genesi: *Immisit Dominus soporem in Adam.* Immisit & in seipsum factus nimirum secundus Adam: sed est distantia non parva. Ille enim soporatus esse videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit Veritas, in hunc Charitas, cum utraque sit Dominus. Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat Christianus. Siquidem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor: potestate propria ponens

t ser. 52. in Cass. nu. 3. u ser. 2. in Septuag. nu. 1.

Philosophiæ Christianæ. cclxxxiii

nens Animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Cæterùm qualis & ille sopor dicendus vel credendus sit fuisse, quem Dominus immisit in Adam, in quo sine sensu omninò doloris in mulierem ædificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis Veritatis intuitu, & abyffo Divinæ Sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormisse videtur: quod ex ejus verbis vel maximè conijci potest. Rediens nimirùm indicat quòd abiisset, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnū sacramentū quod tantò post in Christo & in Ecclesia Apostolus commendavit: *Hoc nunc*, [inquit Adam] *est ex ossibus meis*. Et propter hoc (inquit Apostolus) *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. An tibi penitens obdormisse Adam videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuisse: *Ego dormio, & cor meum vigilat?*

Decima contemplatio est intuitio Veritatis Divinæ. Contemplatio quidē (x) est verus certusquè intuitus animi de quacunque re, sive apprehensio veri non dubia. Consideratio autem est intensa ad investigandum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum: quanquam soleant ambæ pro invicem indifferenter usurpari. Beata illa anima est [y] quæ dicere potest: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*. Digna certè quæ de schola humilitatis, duce Spiritu san-

x lib. 2. de considerat. cap. 2. num. 5. y Tract. de grad. humil. cap. 7. nu. 21

ccclxxxiv *Præfatio ad Lectorem*

sancto, in cellaria charitatis (quæ nimirum proximorum pectora intelligenda sunt) per affectionem introduceretur : unde suffulta floribus, ac stipata malis, bonis scilicet moribus & virtutibus sanctis, ad Regis demum cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicum, (horam videlicet quasi dimidia,] silentio facto in celo, inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo utique interim Veritatis arcana rimatur: quorum postmodum memoriâ statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, audit ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Excedit quippe omnem illam quam nox nocti indicat scientiam. Ibi (z) sinceræ Veritatis intuitus oculos cordis irridiat: auditur quoque dat gaudium & lætitiâ dulcissima vox Consolatoris interni. Cæterum (a) impuris non se ostendit Veritas, non se credit Sapientia. Superbo oculo Veritas non videtur, sincera patet. Non est quod se Veritas denegat intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. Denique (b) audiamus quod sequitur: *Pater filiis notam faciet veritatem suam*. Non revelatur servo Veritas, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam Veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem Pater notam faciet Veritatem suam, quem audit dicentem: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu Pater.*

Unde-

z Tract. de convers. ad Clericos cap. 13, nu. 25. a ser. 62, in Cant. nu. 8. b ser. 3. diu. nu. 9.

Philosophiæ Christianæ. ccclxxxv

Undecima contemplatio est quies animæ. Requiescit & dormit sponsa, (c) pro qua dicitur in Canticis canticorum: *Adjuro vos filia Jerusalem per capreas cervosquæ camporum, ne suscitatis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit.* Magna & stupenda est dignatio Sponsi cælestis, quòd quiescere facit animam contemplantem in sinu suo, insuper & custodit ab infestantibus curis, protegitquæ ab inquietudinibus actionum, à molestiis negotiorum: nec patitur omninò suscitari nisi ad ipsius utique volūtātē. Nec deest sanè in nostro genere (d) qui hoc munere felix lætificari meruerit, & sic in semetipso suavissimi arcarni hujus habuerit experimentū: nisi tamen Scripturæ omninò decedimus, ubi manifestè inducitur cælestis Sponsus, vehementissimè zelans pro quiete cujusdam dilectæ suæ sollicitus servare inter brachia propria dormientē, ne quā fortè molestiā vel inquietudine à somno suavissimo deturbetur. Non me capio præ lætitia, quòd illa Majestas tam familiari dulciquæ consortio nostræ se inclinare infirmitati minimè dedignatur, & superna Deitas animæ exulanti inire connubia, eiquæ Sponsi ardentissimo amore captæ exhibere affectum non despicit. Quid putas in cœlo accipiet, quæ hîc in terra tantâ familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foveri, Dei curâ & studio custodiri: ne dormiens fortè à quopiã, donec ultrò evigilet, excitetur? Beata illa anima est, (e) in qua quæcunque molestiæ
foris

c Jer. 51. in Cant. nu. 11. d Jer. 52. in Cant. nu. 2. e Tract. de inter. domo cap. 1. nu. 4.

ccclxxxvi *Præfatio ad Lectorem*

foris perstrepat, usque ad silentium internæ quietis non irrumpunt, quoniam gustu internæ dulcedinis testata, intus est per desiderium collecta: nec jam foris enormiter in carnis voluptates dissolvitur, quia totam intus possidet in quo delectatur. Atq; ita in semetipsa pacifica, dum nihil est quod foris appetit, tota per amorem intus quiescit: & cum tota ad internum gaudium colligitur, ad imaginem Dei reformatur, quam in se veneratur.

Duodecima contemplatio est secessus anima in solitudinem. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, (f) & volabo & quiescam? Ibi requiem invenit mansuetus & simplex. Ibi [g] quibusdam spei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissime prælibantur incomparabiles deliciae charitatis: & succis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione misericordiae perfusus animus in conscientia bona feliciter quiescit. Beatus [h] qui dicere potest: *Ecco elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, ut posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, ut minimè jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris. Profecisti: separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia undique phantasmata corporarum similitudinem transuolare mentis puritate prævaleas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si citra te invenire existimas locum quietis,
secre-

f ser. 62. in *Cant. nu. 4.* g *Tract. de convers. ad Clericos cap. 13. nu. 25.* h ser. 52. in *Cant. nu. 5.*

secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. O sancta anima sola esto, (i) ut soli omnium serves teipsam interim, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus, spiritûsquè requirit non corporis solitudinem: quanquam & corpore interdùm non ociosè te separas, cùm opportunè potes, præsertim in tempore contemplationis. Puto in hanc solitudinem secessisse sponsam, (k) ibiquè amænitate loci inter amplexus Sponsi suaviter obdormisse, id est in spiritu excessisse, quando prohibita sunt adolescentulæ expergescere illam quoadusque ipsa voluerit.

Decimatertia contemplatio est illuminatio mentis. Si enim emundatâ jam ac serenatâ conscientia, (l) sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, atque infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, (quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari) oculus respicientis Dei proculdubid est iste, educens quasi lumen justitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, juxta illud Prophetæ Esaiæ:

b.b

Orie-

i ser. 40. in Cant. nu. 5. k ser. 52. in Cant. nu. 6. l ser. 57. in Cant. nu. 8.

ccclxxxviii *Præfatio ad Lectorem*

Orietur (inquit) *tanquam sol lux tua*. Denique(m) audiamus quod legitur in Canticis canticorum: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*. Aurum Divinitatis est fulgor, aurum Sapiencia quæ desurfum est. Hoc auro fulgentia quædam quasi veritatis signacula spondent se esse figuratos hi, quibus id ministerii est, superni artifices, (*Angeli*) atque internis animæ auribus inserturos: Quod ego non puto esse aliud quàm texere spirituales quasdam similitudines, & in ipsis purissima divinæ sapientiæ sensa animæ contemplantiſ conspectibus importare, ut videat saltem per speculum & in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus intueri. Divina sunt, & nisi expertis prorsus incognita quæ effamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore fide adhuc habente statum, & necdum pro palatâ perspicui substantiâ luminis, jam tamen interim puræ interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit, ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrum cui hoc datum desuper fuerit illud Apostoli: *Nunc cognosco ex parte*. Item: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Cùm autem divinitus aliquid raptim, & veluti in velocitate corusci luminis interluserit menti spiritu excedenti sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum: continuè (nescio unde) adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines infusus divinitus sensus convenienter accommodatæ, quibus quodammodò adumbratus purissimus

rissimus ille ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Dormiens in contemplatione Deum somniat anima, (n) per speculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen sic non tam spectati quàm conjectati, idquè raptim & quasi sub quodam coruscamine scintillulæ transeuntis, tenuiter vix tactu inardescit amore.

Decimaquarta contemplatio est auditio loquelæ Dei. Post prædictū cætæ dignationis & miserationis respectum, (o) sequitur vox blandè & leniter Divinam insinuans voluntatem: quæ non est aliud quàm ipse Amor, qui ociosus esse non potest, de his quæ Dei sunt sollicitans & suadens. Quoties autem audis (p) vel legis Verbum atque animam pariter colloqui, & se invicem intueri, noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Spiritus enim est Verbum, spiritusquè anima: & habent linguas suas quibus se alterutrum alloquantur, præsentisque indicent. Et Verbi quidem lingua est favor dignationis ejus, animæ verò devotionis fervor. Elinguis est anima atque infans quæ hanc non habet, & non potest ipsi ullatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo hujuscemodi linguam suam cum Verbum movet volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Et rursum cum suam animam movet,

n ser. 16. in Cant. nu. 7. o ser. 57. in Cant. nu. 9. p ser. 45. in Cant. nu. 7.

Verbum latere multò minùs poterit, non solùm quia ubique est praesens, sed propter hoc magis quòd nisi ipso stimulàte, devotionis lingua minimè ad loquendum movetur. Sunt denique quaedam verba Verbi Sponsi ad nos, (q) nostræ meditationes de ipso & ejus gloria, elegantia, potentia, majestate. Non solùm autem, sed & cùm avida mente versamus testimonia ejus, & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die ac nocte: sciamus procerto adesse Sponsum, atq; alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati. Felix mens (r) cui Verbum individus comes, ubique se affabilem praebet: cujus indefinenter oblectata suavitate facundiæ, à carnis molestiis & vitiis sese vindicet omni hora redimendo tempus à diebus malis.

2. XXVIII.

De cæteris speciebus contemplationis.

D*Ecimaquinta contemplatio fruitur praesentiã Dei.* Multam enim fiduciam praestat, (s) quòd Christus Dominus libentiùs adsit orationi incumbentibus, quando nec quidem recumbentibus undecim discipulis dedignatur adesse. Deinde quod ut probare suavissimum, (t) ita charissimum probasse est: tanta est Verbi dignatio, tanta benevolentia Patris Verbi erga benè affectam & benè compositam animam, ut quam sua tali benedictione prævenerint & præparaverint sibi, suâ quoque dignen-

q Jer. 22. in Cant. nu. 4. r Ibid. nu. 7. s. Ser. 1. in Ascen. Dom. nu. 1. r Ser. 69. in Cant. nu. 3.

dignentur præsentia, & ita ut non modò ad eam veniant, sed etiam mansionem apud eam faciunt. O quanta illi animæ latitudo, (u) quanta & meritorum prærogativa, quæ Divinam in se præsentiam & digna invenitur suscipere, & sufficiens capere! Non est profectò intricata forensibus causis curisque secularibus, nec certè ventri & luxuriæ dedita, sed nec est curiosa spectandi seu cupida omninò dominandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namque primò quidè his omnibus vacuum esse animam, ut cælum fiat, atq; habitatio Dei. Da mihi animam (x) cui studii & ocii sit providere Deum in conspectu suo semper: & ego non nego dignam Sponsi cælestis curâ, Majestatis respectu, dominantis favore, solitudine gubernantis. Quid est (y) venire ad animam Verbum Filium Dei? Erudire in sapientia. Quid est Deum Patrem venire? Afficere ad amorem sapientiæ, ut dicere possit: *Quia amatrix facta sum forma illius.* Fateor (z) & mihi adventasse Verbum, & pluries. Cùmquè sæpiùs intraverit ad me, non sensi aliquoties cùm intraverit. Aesse sensi, adfuisse recordor: interdùm & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed nec exitum quidem. Moxquè ut intùs venit, (a) expergefecit dormitantem animam meam, movit & mollivit & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumq; erat, & malè sanum. Cæpit quoque evellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa referare, frigida inflamma-

bb 3 re,

u Ser. 27. in Cant. nu. 10. x Ser. 66. in Cant. nu. 2. y Ibid. nu. 3.
z Ser. 74. in Cant. nu. 5. a Ibid. nu. 6.

eccxcii *Præfatio ad Lectorem*

re, necnon & mittere prava in directâ, & aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt Nomini sancto ejus. Denique (b) si sensero aperiri mihi sensum, ut intelligam scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certè expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium, & uberes desursum influere animo meditationum imbres, non ambigo Verbum Sponsum adesse: Verbi siquidem hæc copiæ sunt, & de plenitudine ejus ista accipimus. Quod si se pariter infuderit humilis quidem, sed pinguis intimæ aspersiois devotio, ut amor agnitæ Veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me teneret & contemptum, ne fortè aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsus paternè sentio agi mecum, & Deum Patrem adesse non dubito. Si autem perseveravero huic dignationi dignis semper (quod in me est) affectibus & actibus respondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit: etiam mansionem apud me facit tam Patet enutrens, quàm Verbum erudiens.

Decimasexta contemplatio est amplexus. Amplexatus est nos Dominus Jesus (c) propter laborè & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoq; vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam & ad justitiam suam: actiones ad justitiam dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Deinde videamus, (d) quibus brachiis vicariæ charitatis redaman-

b Ser. 69. in Cant. nu. 7. c Ser. in ser. 4. Hebb. San. nu. 14.
d Ser. 2. in Dom. 1. post O. S. Epiph. nu. 3.

damandus & amplectendus sit, qui tanti nos æstima-
vit, imò qui tanti nos fecit. Duobus utiq; animæ bra-
chiis, (e) intellectu videlicet & amore, id est *cogni-
tione & dilectione* veritatis, amplectitur & com-
prehenditur cum omnibus Sanctis longitudo, lati-
tudo, sublimitas, & profundum: hoc est, æternitas,
charitas, virtus, & sapientia. Et hæc omnia Chri-
stus. *Æternitas* est: quia hæc est vita æterna,
ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Je-
sum Christum. *Charitas* est, quia Deus est. Deus
enim Charitas est. Est & *Dei Virtus*, & *Dei Sapien-
tia*. Dicamus quoque (f) cum sponsa: *Tenui eum,
nec dimittam*. Tenui eum, inquit. [g] Sed nihilo-
minùs ipsa vicissim tenetur ab eo quem tenet, cui
alibi dicit: *Tenuisti manum dexteram meam*, *Quæ*
tenetur & tenet, quomodò jam cadere potest? *Te-
net fidei firmitate*, tenet *devotionis affectu*: at ne-
quaquam diu teneret, si non teneretur. Tenetur au-
tem potentiâ & misericordiâ Dei. Sancti igitur (h)
comprehendunt. Sanctum facit affectio sancta, &
ipsa gemina, *Timor Domini*, & sanctus *Amor*. His
perfectè affecta anima, veluti quibusdam duobus
brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit,
tenet, & ait: *Tenui eum, nec dimittam*. Audia-
mus denique sponsam (i) in Canticis canticorum
fiducialiter loquentem: *Lava ejus sub capite meo,
& dextera illius amplexabitur me*. Transcendit
enim beata anima Christi Incarnationem & Huma-
nita-

e *Epist.* 18. nu. 3. f *Ser.* 4. *Hebd. san.* nu. 14. g *Ser.* 79. in
Cant. nu. 4. h *Lib.* 5. de *considerat.* ad *Rugen.* cap. 14. nu. 30. i *Ser.*
4. de *Omn.* SS. nu. 3.

nitatem, quæ nimirum *leva* ejus jure merito vocatur: ut Divinitatem ejus, quâ non incongruè *dexteram* nominat, sublimiùs contempletur. Sentiet quippè tunc (k) & probabit universa dilectionis testimonia (quæ in priori adventu tanquam de *sinistra* Dilecti acceperat,) præ multitudine dulcedinis amplexantis *dextera* contemnenda, & omninò jam quasi subtùs habenda. Meritò proinde (l) jam nunc gloriatur, & dicit: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* In *leva* reputans recordationem illius charitatis quâ nulla major est, quòd Animam suam posuit pro inimicis suis: in *dextera* verò reputans beatam visionem quam promisit amicis suis, & gaudium de præsentia Majestatis.

Decimaseptima contemplatio est osculum. Quid enim jam post amplexum restat, (m) nisi osculum? Si sic adhærerem Deo, quomodò non jam clamare liberet: *Osculetur me osculo oris sui?* Tria sunt oscula, (n) reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium. *Primum* ad pedes, *secundum* ad manum, *tertium* ad os sumitur. In *primo* osculo accipitur remissio peccatorum, in *secundo* munus virtutum, in *tertio* cognitio secretorum. *Prima* ad pedes procidimus, (o) & ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. *Secundò* manum quærimus sublevantis & roborantis genua dissoluta. *Tertiò*, cum ista multis precibus & lachrymis obtinemus, tum demùm audemus forsitan ad ipsum

k *Tract. de diligen. Deo cap. 3. nu. 10. l Ibid. cap. 12. nu. 4*
m *Ser. in ser. 4 heb. san. nu. 14. n Ser. 3. in ser. par. 2. 1072. 2*
p *Ar. 2. pag. 521. o Ser. 3. in Cant. nu. 5.*

ipsum Os gloriæ caput attollere (pavens & tremens dico) non solum speculandum, sed etiam osculandum. In primo osculo (p) sanè primordia dedicantur nostræ conversionis. *Secundum* autem osculum proficientibus indulgetur. *Tertium* verò osculum sola experitur & rara perfectio. Ex hujus osculi impressione (q) suscipit anima rationalis ab ipso Sponso suo Verbo *cognitionem & amorem* veritatis: quæ duo quasi labia imprimit ei ipsa Dei Virtus & Dei Sapiencia. Siquidem Sapiencia cognitionem, Virtus confert amorem. Habet & ipsa anima similiter duo labia quibus osculatur Sponsum suum, id est *rationem & voluntatem*. Rationis est percipere sapienciam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sapienciæ cognitionem, & voluntas non habeat virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognationem, nihilominùs est semiplenum osculum. Tunc verò plenum & perfectum est osculum, quando & Sapiencia illustrat rationem, & Virtus afficit voluntatem. Revelat Filius Dei seipsum (r) cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem sine dubio per osculum, hoc est per Spiritum sanctum, Apostolo teste qui ait: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*. At verò dando Spiritum per quem revelat, etiam ipsum revelat. Dando revelat, & revelando dat. Porrò revelatio quæ per Spiritum sanctum fit, non solum illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo

Paulo

Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Merito proinde Sponsa petit osculum, (s) id est Spiritum sanctum invocat, per quem accipiat simul & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum. Et bene scientia, quæ in osculo datur, cum amore recipitur: quia amoris indicium osculum est. Vtrumq; enim munus simul confert osculi gratia, & agnitionis lucem, & devotionis pinguedinem. Est quippè Spiritus sapientiæ & intellectûs, qui instar apis ceram portantis & mel, habet omninò & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ.

Decimaoctava contemplatio est unio cum Deo. Spiritus enim (t) ante faciem nostram Christus Dñs: cui adhærentes in osculo sancto, unus spiritus ipsius dignatione efficimur. Cujus utique sermo vivus & efficax (u) osculum mihi est, non quidem conjunctio labiorum, sed planè infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam & quodammodò indiscreta commixtio superni luminis & illuminatæ mentis. Vide autem tu, (x) ne quid nos in hac Verbi animæquè commixtionè corporeum seu imaginatorium sentire existimes. Id loquimur quod Apostolus dicit: *Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Excessum puræ mentis in Deum, sive Dei pium descensum in animam, nostris quibus possumus exprimimus verbis, spiritualibus spiritualia comparantes. Itaque in spiritu fit ista conjunctio, quia spiritus est Deus, & concupiscit decorè animæ
illius

s Ibid. nu. 5. t Ser. 3. in Cant. nu. 5. u Ser. 2. in Cant. nu. 2.
w Ser. 31. in Cant. nu. 6.

illius quam fortè adverterit in spiritu ambulantiem, & curam carnis non perficientem, præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Porro (y) si carnale matrimonium constituit duos in carne una, cur non magis spiritualis copula duos junget: in uno spiritu? Huic simile est (z) quod dicitur *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: nisi quodd hîc quidem spiritualis quædam unio designatur. Hæc est utiq; unitas spiritualis, (a) quæ nos conjungit Deo. Unde Apostolus ait: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Ergo (b) si cui nostrum cum sancto Propheta David adhærere Deo bonum est, & si quis in nobis est ita desiderii vir, ut cupiat dissolvi & cum Christo esse, cupiat autem vehementer, ardentè sitiat, assiduè meditetur: is profectò non secùs quàm in forma sponsi suscipiet Verbum in tempore visitationis, horâ videlicet qua se adstringi intùs quibusdam brachiis sapientiæ, atque inde sibi infundi senserit sancti suavitatem amoris. Felix anima est illa, (c) cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est. Quod non est aliud, quàm amor sanctus & castus, amor suavis & dulcis, amor tantæ serenitatis, quantæ sinceritatis, amor mutuus, intimus, validusquè, qui non in carne una, sed uno planè in spiritu duos jungat, duos faciat jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.*

Decimanona contemplatio maritat animam Deo ad facunditatem. Beata est anima, (d) quæ se induit castitatem.

y Ser. 8. in Cant. nu. 9. z Ser. 5. de verb. Esai. ult. a Ser. 80. dia nu. 7. b Ser. 32. in Cant. nu. 2. c Ser. 83. in Cant. nu. 6. d Ser. 85. in Cant. nu. 11.

stimonix decus, & quendam veluti cælestis innocentiæ candidatum, per quem sibi vendicet gloriosam conformitatem Verbi, de quo legitur quòd sit candor vitæ æternæ, splendor & figura substantiæ Dei. Ex quo jam gradu (e) audet quæ hujusmodi est, cogitare de nuptiis. Quidni audeat, eò se nubilem, quò similem cernens? Non terret celsitudo quam sociat similitudo, amor conciliat, professio maritat. Professionis forma hæc est: *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*. Hanc secuti Apostoli ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Simile est & illud quod in carnali quidem dictum Christi & Ecclesiæ connubium spirituale signavit Apostolus, dicens: *Propter hoc relinquet homo Patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*. Et apud Prophetam gloriatio maritatæ: *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam*. Ergo quam videris animam (relictis omnibus) Verbo votis omnibus adhærere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo, (quæ possit dicere: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*;) puta conjugem, Verboquè maritatam. Confidat in ea cor Viri sui, sciens fidelem quæ præ se omnia spreverit, omnia arbitretur ut stercorea, ut sibi ipsum lucrifaciat. Talem noverat de quo dicebat: *Vas electionis est mihi iste*. Prorsùs pia mater & fidelis Viro suo (Christo) anima Pauli erat, cum diceret: *Filioli mei, quos iterùm parturisc donec formetur*

e *Ibidem*. 12.

Philosophiæ Christianæ. CCCXCIX

metur Christus in vobis. Sed attende (f) in spiritu-ali matrimonio duo esse genera pariendi, & ex hoc etiam diversas esse soboles, sed non adversas: cùm sanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdum exceditur & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut sese non sentiat quæ Verbum sentit. Hoc fit cùm mens ineffabili Verbi allecta dulcedine, quodammodò se sibi furatur, imò rapitur atque elabatur à seipsa ut Verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruēs Verbo. Illic sollicitat necessitas proximi, hinc invitat suavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus Sponsi lætior. Chara pignora filiorum, sed oscula plùs delectant. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, [g] nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi seperat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, & ad omnem laborem, quàm gratia contemplationis.

Vigesima contemplatio fruitur Deo ad jucunditatem. Bonum est salvare multos: [h] excedere autem & Verbo frui multò jucundius est. At quando hoc, aut quandiu hoc? Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum: hoc est quod supra memini me dixisse, quærere utique animam Verbum, quo fruatur ad jucunditatem. Quandiu quippè in hac sumus vita (i) hoc felicissimæ pacis silentio in cælo, id est in anima justæ quæ sedes

f Ibid. III. 13. g Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. nu. 22.

b Ser. 85. in Cant. III. 12. i Lib. 1. de amore Dei cap. 4. nu. 9.

cccc *Præfatio ad Lectorem*

Sedes est Sapientiæ, aliquando fruitur affectus: sed hora est dimidia, vel quasi dimidia: intentio verò de reliquiis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. O amor sanctus & castus! (k) ô dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcator & purior, quò in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Et revera quis fidus verusq; animæ amor, (l) nisi utique is quo veritas adamat. Rationis sum compos, veritatis sum capax: sed utinam non forem, si amor veri defuerit. Horum quippè ramorum is fructus est, & ego radix. Inde est quòd audet anima mea ad dulces castosquè assurgere veritatis amplexus, & sic in amore ipsius tota securitate ac suavitate quiescere, si tamen inveniat gratiam in oculis tanti Sponsi, ut dignam reputet, quæ ad hanc pertingat gloriam. Sed pergit quis quærere à me (m) quid sit Verbo frui? Respondeo: Quærat potiùs expertum à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putarne me posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum Apostolum: *Sive, inquit, mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis.* Hoc est: Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo: aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minimè loqui: in hoc ita condescendo vobis, ut & ego dicere, & vos capere valeatis. O quisquis curiosus es scire quid sit hoc Verbo frui, para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc

k *Tract. de diligenti. Des. cap. 10. nu. 28. l Ser. 77. in Cant. nu. 5.*
m *Ser. 85. in Cant. nu. 14.*

hoc lingua: sed docet gratia. Absconditur à sapientibus & prudentibus, & revelatur parvulis,

2. XXIX.

De reliquis speciebus contemplationis,

Vigesimaprima contemplatio est Centuplum. Et si novit Dominus figmentū nostrū, (n) consulit tamē pusillanimitati nostræ, humanæ obviat cogitationi, anxietatem abigit, prævenit trepitationem. Ait enim Dominus: *Et omnis qui reliquerit patrem & matrem suam propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Si enim solum promitteret regnum, (o) & in itinere deesset viaticū, omninō conquererentur homines & responderent: Magnum quidem est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc sæculum vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc sæculo centuplum providentissima pietate promisit. Hoc autē centuplum (p) adoptio filiorum est, libertas & primitiæ spiritūs, deliciæ charitatis, gloria consciëntiæ, regnum Dei, quod intra nos est: non utique esca vel potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Habet quippè contemplatio (q) ex adipe frumenti solidum cibum sapientiæ, cum vino quod lætificat cor hominis. Ad quæ Veritas perfectos invitat, dicens: *Comedite ami-*

Ci.

n Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 16. nu. 55. *o* Ser. 4. super Psal. 90. num. 1. *p* Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 69.

q Tract. de grad. humil. cap. 2. num. 4.

ci mei, & bibite, & inebriamini charissimi. Denique (r) datum optimum est centuplum hoc, desursum descendens à Patre luminum. An non etiam omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quoddam longè plùs quàm centuplum est visitatio Paraclæti Spiritus, & præsentia Christi. *Quàm magna* (inquit Propheta) *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te!* Vides quomodò memoriam abundantia suavitatis hujus eructet anima sancta, quomodò exprimere gestiens verba multiplicet? *Quàm magna,* inquit, *multitudo!* Hoc ergo centuplum (s) est donum & pax electis Dei: pax utiq; præsentis vitæ, & donum futuræ. Illa quidem superat omnem sensum: sed & huic quidquid sub Sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc est gratia devotionis, & unctio docens de omnibus; quam expertus novit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit nisi qui accipit. Hæc promissio (t) est vitæ præsentis. Nam promissionem futuræ quis explicet? Verùm (u) si & in præsentis commendatione Centupli sermo deficit, & ex abundantia cordis angustia oris obstruitur: quidni ad promissionem æternæ vitæ defectum proprium ipsa etiam cogitatio fateatur? Ad quam nos sua miseratione perducatur præveniens in benedictione dulcedinis, & indefi-

r. *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nn. 68. s. Ibid. nn. 69.*
 & *ser. 2. sup. Psal. 92. n. 13. u. Tract. de vit. & mor. Cleric. c. 22. n. 72.*

deficienter interim tribuens promissam Centupli gratiam, ad solatium utique & remedium laboris hujus, ne deficiamus in via, ut de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum, qui venit ut vitam habeamus, & abundantius habeamus, Jesus Christus Dominus noster.

Vigesima secunda contemplatio. est Pars optima.
Ait enim Dominus: *Optimam partem elegit sibi Maria.* Licet (x) non minoris fortassè meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ, attamen de electione contemplationis Maria laudatur. Quoniam hæc quidem omninò (quod ad nos spectat) eligenda est, illa verò si injungatur, patienter est toleranda. Felix domus Religiosorum, (a) & beata semper congregatio est illa, ubi de Maria conqueritur Martha. Nam Mariæ Martham æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legitur Mariam causantem. Quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret Fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minùs idonea videatur, aliisque magis id operis quod administrat optet imponi. Respondit enim ei Jesus: *Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Vide autè prærogativam Mariæ, quemnã in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur Martha, etiam Discipuli murmurant: sed ubiq; Maria tacet, & pro ea loquitur Christus. *Optimam, inquit, partem elegit sibi Maria, qua non aufe-*

retur ab ea in aeternum. Hoc unum illud necessarium est. Hæc est una quam Propheta tam sedulè requirebat, cum dicebat: *Unam petii à Domino, hanc requiram*. Hæc planè est pars optima, (b) quæ nõ auferetur: hæc est mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. *Bonum* (inquit Apostolus) *acquirit gradum, qui benè ministraverit: fortè meliorum, qui benè vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroq;*. Sunt quidã (c) qui cum Martha solliciti Domino Jesu pulmentaria præparant, scilicet correctionem operis cum balsamento contritionis, & opus pietatis cum condimento devotionis. Alii verò, qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in *mundo*, quid in *hominibus*, quid in *Angelis*, quid in *seipso*; quid in *reprobis*: contemplantur quia Deus est mundi rector & gubernator, hominum liberator & adiutor; Angelorum sapor & dulcor, in seipso principium & finis, reproborum terror & horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis desiderabilis, in seipso incõprehensibilis, in reprobis intolerabilis.

Vigesimatertia contemplatio est Ignis. Ait enim Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Centuplum seu gratia contemplationis (d) est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Solis splendor igneus est, (e) & cum fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet: & si ei non datur utrumque, curat tamen semper ardere magis

b *Ibid.* 22. 3. c *ser.* 48. *divar.*

d *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 22. n. 69. e *ser. de S. Joan. Bap. n.* 3.

magis, ut Pater suus qui videt in abscondito, reddat ei. Dominus quidem fervorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. *Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Hoc nempe commune mandatum: hoc est quod exigitur ab universis, nec ulla, si deesse contigerit, admittitur excusatio. Est autem hoc signum istiusmodi adventus ejus, (f) sicut ab eo qui expertus est docemur in Psalmo: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Oportet namque ut sancti desiderii ardor præveniat faciem Dei ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quoniam juxta est Dominus, cum se senserit illo igne succensam, & dixerit cum Propheta Jeremia: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me.* Et illud Psalmistæ: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quid si & tu ignitum eloquium sentis, (g) atque ex eo conscientiam uri in recordatione peccati, recordare tunc de quo Scriptura dicit, quia *ignis ante ipsum præcedet: & ipsum propè esse non dubites.* Si verò (h) non solum componeris in sermone illo, sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statuens custodire judicia justitiæ ejus: etiam adesse ipsum jam noveris, præsertim si te inardescere sentias amore ejus. Etenim utrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominus ignem

esse. Moyſes ſiquidem de illo dicit, quia *Deus ignis conſumens eſt*. Differunt autem, quod is qui præmittitur ignis ardorem habet, ſed non amorem: coquens, ſed non excoquens: movens, nec promovens. Tantùm ad excitandum præmittitur & præparandum, ſimulquè ad commonendum quid ex te ſis, quo dulcius ſapiat poſtmodùm quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus eſt, conſumit quidem, ſed non affligit, ardet ſuaviter, deſolatur eliciter. Eſt enim verè carbo deſolatorius: ſed qui ſic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctiõnis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammariſ, Dominum præſentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ Excelli niſi in fervore ſpiritûs, & in charitate non ficta, ita ut dicat qui hujusmodi eſt: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcot ignis*.

Vigeſimaquarta contemplatio eſt Manna. Filiis Iſraël donec terram promiſſionis intrarent, (i) in deſerto manna non deſuit: ſic & ab Eccleſia poſt quæſitum regni cæleſtis adventum quotidianus panis petitur in oratione, quam ipſe Salvator inſtituit. Panis eſt meditatio ſancta, (k) de qua ſcriptum eſt: *Cogitatio ſancta conſervabit te*. Et quæ alio in loco ſcripturæ nominari videtur, *panis vita & intellectus*. Eſt enim *intellectus* rerum ſpiritualium & inviſibilium (l) verus animæ panis, confirmans cor noſtrum, & ad omne opus bonum roborans in omni

exer-

i Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 21. nu. 67. k ſer. 1. in Dom. 6. poſt Pent. nu. 4. l ſer. 2. in Annunc. B. M. nu. 4.

exercitatione (spirituali). Proinde (m) in oratione Dominica hujusmodi gratiam devotionis sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sane: (n) quia cum necdū perfectione gaudentes non sine magno labore Divinæ possumus obtēperare voluntati, idè opus est cibo ne deficiamus: opus est, inquam, pane quotidiano. Quòd si cibum hunc & tu desideras, (o) audi quomodo scriptum sit de Domino, quia tentante diabolo & suadente, ut de lapidibus faceret panem, resistit & dixit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Renuat ergo consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem. Unde (p) ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo:* gustum contemptationis significans, quem obtinuerat per amorem sublevata. Vivant de paleis Ægypti, (q) qui diserviunt in operibus lutī & lateris: nobis fortior cibus est necessarius, quoniam nobis grandis restat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Ipse est panis Angelorum, panis vivus, panis quotidianus. Cibus utique (r) est verbum Dei, quo pascuntur omnes sancti tam homines quàm Angeli. Unde scriptum est: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* In hoc igitur verbo laboremus, (s) in quo & vivere & gaudere possumus in æternum. Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

m Ser. 1. in Nat. Dom. n. 7. *n* Ser. 6. in Quadr. n. 5. *o* Ser. 4. sup. Ps. 90. nu. 2. *p* Ser. 48. in Cant. n. 8. *q* Ser. 1. in Dom. 1. post Epiph. n. 5. *r* Ser. 5. in Assumpt. B. M. nu. 4. *s* Ser. de S. Ioan. Bapt. n. 7.

ccccviii *Præfatio ad Lectorem*

nam. Carnalis autem homo, (t) qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitia ei videntur, gemat & lugeat, dicens: *Arui cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Vigesima quinta contemplatio est delectatio mentis. Nihil est enim jucundius, (u) nihil utilius gratiâ contemplationis. Quantò ampliùs in cælestium contemplatione delectamur, & delectando admiramur: tantò libentiùs immoramur, tantò diligentius perscrutamur, profundiusquè illuminamur. Nusquam est copiosior materia admirandi, & nusquam utilior causa delectandi. Ita sanè, (x) si fecerimus quod monemur in Psalmo: id est, si delectemur in Domino. Ait enim sanctus David: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Sed quid est quòd Propheta tam absolutè monet delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit hujusmodi delectatio? Delectationem cibi & potus & somni novimus: Deus autem quam delectationem habet, ut in eo delectemur? Fratres mei, seculares hoc dicere possunt, vos non potestis. Quis enim vestrum est, qui non sæpè expertus sit conscientiæ bonæ delectationem? qui non gustaverit saporem castitatis, humilitatis, charitatis, & contemplationis? Non est hæc delectatio potùs neque cibi, aut similis cujuslibet rei: delectatio tamen est, & major omnibus illis. Divina enim est, & non carnalis delectatio: & cum in his delectamur, planè delectamur in Domino. Siquidem (y) hujuscemodi deliciae

† Ser. 2. in Annunc. B. M. nu. 4. & Tract. de inter. domo cap. 41. nu. 93. & Ser. 5. in Quadrages. nu. 6. y. fol. 91. d. ver. nu. 5.

ciæ mentis sunt, non ventris : animi , non corporis : spiritûs , non carnis : rationis , non sensualitatis : interioris , non exterioris hominis . Ipsæ sunt abundâs infusio gratiæ spiritualis . Beata est illa anima , cui talis gratia infunditur , quæ in benedictionibus supernæ dulcedinis prævenitur , ut templum Dei & oraculum Spiritus sancti efficiatur . Denique nemo sanæ mētis credat (z) ampliorem esse in vitiis , quàm in virtutibus delectationem : præsertim cùm sit Deus virtutum , & totius veræ jucunditatis fons , lætitiæq; & exultationis origo . Audiamus autē Prophetam de propria utique experientia perhibentem fidele testimonium veritati : *In via* , inquit , *testimoniorum tuorum delectatus sum , sicut in omnibus divitiis* . Quid erit in patria , si tanta est copia delectationis in via ? Quid faciet in præsentia , (a) qui in sola memoria delectatur ? Ait enim idem Propheta : *Memor fui Dei , & delectatus sum* . Deus licet unus sit & unum , (b) tamen non sui varietate , sed animi nostri mutatione gustantibus nobis diversos videtur habere sapes . Sapit enim timenti justitiam & potentiam , sapit amanti bonitatem & misericordiam . Non tamen (c) adhuc illum dixerim apparere sicuti est , quamvis non omninò aliud hoc modo exhibeat , quàm quod est . Neque enim vel sic continuè præstò erit quamvis devotissimis mentibus , sed nec uniformiter omnibus . Oportet namque pro variis animæ desideriis divinæ gustum præsentiae variari , & infusum saporem supernæ dulcedinis diver-

z *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 20. n. 64.*

a *ser. 18. diu nu. 2.* b *ser. 72. diuor.* c *ser. 21. in Cant. nu 7.*

sa appetētis animi aliter atq; aliter oblectare palatū.

Vigesima sexta contemplatio est revelatio secretorum caelestium. Revelatio non est aliud (d) quàm infusio gratiæ spiritualis. Scriptum est: (e) *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Enarravit, dixerim, non mihi misero & indigno, sed planè Joanni amico Sponsi, cujus hæc verba sunt: non solùm autem, sed & Joanni Evangelistæ, utique discipulo quem diligebat Jesus. Placita enim fuit Deo & anima illius, digna prorsus quæ recumberet super pectus Domini. Haussit Joannes de sinu Unigeniti quod de paterno hauserat ille. Haussit & Paulus, cujus Evangelium non est ab homine, neque ab homine illud accepit, sed per revelationem Jesu Christi. Profectò hi omnes tam feliciter quàm veraciter dicere possunt: *Vnigenitus qui erat in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Et quidē unusquisq; (f) invenit secretum sibi cum Sponso, & dicit: *Secretum meum mihi, secretum meū mihi.* Non omnibus tamē uno in loco frui datur gratâ & secretâ Sponsi præsentia, sed ut cuique paratum est à Patre ipsius. Non enim nos eum eligimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos: & ubi ab eo quisque positus est, ibi est. Denique mulier una compuncta, secus pedes Domini Jesu sortita est locum: cùm altera suæ devotionis fructum ad caput Domini invenerit, si tamen altera. Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt

d *Epist. 107. nu. 9. e ser. 8. in Cant. n. 7. f ser. 23. in Cant. n. 11.*

sunt affecti. Quis nostrum (g) dignè distinguere sufficiat has varietates meritorum, vel potius præmiorum? Ne omninò tamen præterisse quod ipsi novimus videamur, dicimus: Prior mulier stravis sibi in tuto humilitatis, posterior in folio spei: Thomas in solido fidei: Joannes in lato charitatis: Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. Neq; sanè est quidd causemur (h) nostro huic negatâ esse temporis, sive eam quæ ad Patres veteris testamenti facta est apparitionem, sive eam quæ Apostolis exhibita est præsentiam carnis Christi. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in Sacramento Eucharistiæ. Adsunt revelationes, sed in spiritu & virtute: ut temporis gratiæ quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit diligentibus se, nobis tamen revelavit per Spiritum suum. Porro revelatio (i) quæ per Spiritum sanctum fit, non solùm illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorèm, dicente Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

§. XXX

z Ibid. m. 12. h. ser. de S. Marc. Episc. m. 10. i ser. 8. in Car.
16177. 4

*De quibusdam aliis speciebus
contemplationis.*

Vigesima septima cōtemplatio est typus scale Jacob. Vidit Patriarcha Jacob scalam stantem super terram, [k] Angelos quoq; Dei ascendētes & descendentes per eam, & cacumen illius cælos tangebatur. In hac scala sunt positi omnes ad vitam æternam præparati: & omnis qui spectat ad regnum cælorum, in hac scala habet locum. In hac scala sunt tres ordines hominum, scilicet seculares, activi, & contemplativi. Seculares sunt in minori gradu: activi sunt in altiori loco: contemplativi verò sunt in summo gradu. Ad pedes hujus scalæ sunt homines sæculi: in medio scalæ sunt activi. In summitate verò hujus scalæ sunt contemplativi, jam quasi in cælo positi: quia ascendunt per contemplationem ad Deum, & descendunt per compassionem ad proximum. Hoc siquidem habet vera & casta cōtemplatio, [l] ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo proximos qui eum similiter diligant, ut oculum contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùm potita votis, aliquatenus in hac parte tantò ardentius redeat in idipsum, quantò se fructuosius intermisisse meminerit. Denique

k. *lib. de modo bene vivendi. cap. 59. nu. 225. tom. 6. pag. 957*
l. *ser. 57. in Cass. nu. 9.*

que[m] activa vita innocentia est honorum operum
contemplativa verò vita est speculatio supernorū. Acti-
va vita terrenis rebus bene utitur: contemplativa
verò sæculo renuncians, soli Deo vacare delectatur.
Bona est vita activa, sed multò melior est contempla-
tiva. Hæc est enim scala Jacob, [n] qui quando ca-
put in lapide posuit, Angelos ascēdētes & descendētes
videre meruit. Scala ista duodecim gradus habet. Per
hos gradus ascendunt Angeli, & sublimant homines:
sic disponuntur in corde ascensiones, sensim proficien-
do, & pedetentim ascendendo: sic in domo Patris
lucidas percipiunt mansiones. Illud quoque quod in
scala illa, [o] quæ in typo humilitatis Jacob mo-
strata est, Dominus desuper innixus apparuit, quid
nobis aliud innuit, nisi quidd in culmine humilitatis
constituitur cognitio veritatis? Dominus quippè de
summitate scalæ prospiciebat super filios hominum
tanquam Veritas, (cujus oculi sicut fallere nolunt,
ita falli non norunt:) ut videret si est intelligens aut
requitens Deum. Meritò quidem: (p) quia activa
vita communis est multorum, contemplativa verò
paucorum.

Vigesima octava contemplatio est margarita pretiosa.
Quænam est (q) una tam pretiosa margarita? Ego
unam hanc nihil aliud quàm cognitionem veritatis
arbitror esse. Quærit ille bonas margaritas, qui in
opere salutis suæ non est contentus inferioribus bonis,
sed

m *lib. de modo bene vivendi. cap. 53. num. 125. & 126. n ser. de B.*
M. Neip. nu. 4. tom. 6. pag. 762. o Tract. de grad. humili. cap.
2. num. 7. p lib. de modo bene vivendi. cap. 53. num. 125.
q ser. 65. di. 1. nu. 2.

sed summa quæque & excellentiora perquirit contemplando. Quod tamen aliter non fit, (r) nisi tibi sapiat Deus. Quæras ergo necesse est sapientiam, per quam tibi sapiat Deus, & mundus desipiat. Sapientia per pretiosam signatur margaritam, quam qui invenit homo vadit & vendit universa quæ habet, & emit eam. Utinam gustares & sentirees quàm dulcis est Dominus! Utinam gustares panem qui de cælo descendit, habentem omne delectamentum & suavitatem saporis! Profecidò si quid haberes, venderes, & comparares eam. Internæ suavitatis gustus (s) dulcedo est, & manna absconditum, & thesaurus absconditus in agro. Cui comparatum omne dulce, amarum: omne decorum, fædum: omne jucundum, triste: omne pretiosum, vile: sordidum omne, quod desiderabile est in oculis amatorum mundi fluentis. Hanc pretiosam margaritam datis omnibus terrenarum rerum delectamentis Sancta sanctorum [scilicet Deipara] comparavit, & nobis in Filio suo præparavit, & præparat semper interventu suo nobis orantibus, oleum effusum dulcedinis hujus. Hic est ignis, (t) quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc est virtus in alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc est illa pax quam reliquit Christus, quando dedit & suam. Hic calculus est, (u) quem nemo scit nisi qui accipit. Sunt autem in contemplatione gaudia internæ festivitatis, quæ quotidie mentibus

r ser. de verb. Sap. n. 12. & 12. s ser. 1. sup. sal. Reg. n. 5. t Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 59. u ser. 2. sup. Sal. Reg. num. 5.

tibus nostris per inspirationem sui amoris imprimit interna & æterna dulcedo Dominus Jesus Christus.

Nota, inquit, *feci vobis omnia quaecunque audivi à Patre meo*. Et ad Moysen: *Omne bonum ostendam tibi*. Omnia enim quæ audivit à Patre, & quæ præmittit Moysi, unus denarius est, qui promittitur laborantibus in via: & una illa est, quam petiit David: & unum illud est, quod necessarium est. Mel est quod fugit Israël de petra, & oleum de saxo durissimo. Gaudium est, quod nemo tollit. Osculum est, de quo scriptum est: *Osculetur me osculo oris sui*. Manna absconditum est, (x) quod in Apocalipsi Joannis victori promittitur. Novum nomen est, quod nemo scit nisi qui accipit. Probare libet (y) an hæc ita se habeant, gustare quid hoc absconditum manna sapiat, experiri quid sit hoc centuplum, quale gaudium in Spiritu sancto. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, (z) sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc enim centuplum est, quod in hoc sæculo sæculi contemptoribus exhibetur.

Vigesimalona contemplatio est speculatio rerum cælestium. Duo sunt contemplationis genera. (a) *Primum* quidem genus contemplationis est de statu & felicitate & gloria Civitatis supernæ, quo vel actu vel ocio ingens illa cælestium Civium occupata sit multitudo. *Alterum* genus contemplationis est de Regis ipsius majestate, æternitate, divinitate. O beata

x *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 6x.* y *Ibid. nu. 7.*
z *Tract. de convuls. ad Cleric. c. 13. n. 25. a f. 62. in Cant. nu. 4.*

ccccxvi *Præfatio ad Lectorem*

ta regio supernarum Virtutum, [b] ubi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu clamare non cessant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Locus est voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur Justi. Locus splendoris, ubi Justi fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiæ, ubi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundantia, ubi nihil deest videntibus Deum. Locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis. Locus pacis, ubi in pace factus est locus ejus. Locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera ejus. Locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria ejus. Nihil ibi formidatur, (c) nihil fastiditur, nihil deficit. Tota habitatio *Paradisus*: dulce pabulum *Verbum*: opulenta multa nimis *Æternitas*. O regio sublimis, (d) plena divitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendet: cum error videlicet à ratione, (e) à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. O regio sublimis, [f] in qua Dominus transiens ministrabit Electis suis, id est talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiã creaturæ. Curre igitur spiritualis animã oculis desideriorum per regionẽ istam, & vide Regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum

b ser. 42. div. j. nu. 7. c ser. 33. in Cant. nu. 2. d ser. 42. div. nu. 7. e ser. 11. in Cant. nu. 6. f ser. 42. nu. 7.

Philosophia Christiane. ccccxvii

tum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus. Circuite & vos fratres charissimi, (g) cum pietatis & devotionis affectu, visitantes animo sedes supernas, & multas quæ in domo Patris cælestis sunt mansiones: humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei & Agni: cum reverentia supplicantes singulis ordinibus Angelorum: Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & senatum Apostolicum salutantes: coronas Martyrum suspicientes, purpureis rutilantes floribus: redolentes liliis choros Virginum admirantes: atque ad mellifluum novi cantici sonum (quantum prævalet infirmitas cordis) erigentes auditum. Hæc meditamini, (h) in his versamini. Felix cujus meditatio in conspectu Domini est semper, (i) qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula meditatione revolvit. Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat quod non sint condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bonam Domini in terra viventium?

Trigesima contemplatio est sabbatum mentis. Dormiens enim anima spiritualis in contemplatione Deum somniat, (k) per speculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Et tu quoque, qui ista legis, (l) roga dari tibi devotionis lumē, diem serenissimam, & sabbatum mentis, in quo tan-

g ser. 4. in Ascens. Dom. nu. 9. h ser. 11. in Cant. nu. 8. i ser. 4. in Ascens. Dom. nu. 7. k ser. 18. in Cant. nu. 7. l ser. 3. in Circum. cis. Domini nu. 10.

ccccxviii *Prefatio ad Lectorem*

tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirum corde torrens viam mandatorum Dei: ut quod prius cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas & delectatione. Alioquin erras, (m) si citra te invenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc pervenerit, & incunctanter fateor quiescentem, qui merito dicat cum Psalmista: *Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.* Atque hinc verè in solitudine locus est, & in lumine habitatio, prorsus juxta Isaiam Prophetam, tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & pluvia. Quid felicius, (n) quid jucundius sabbato illius animæ, quæ contemplatione & dilectione Dominum comprehendens, & quasdam divinæ suavitatis experientias formans, in æstimabili gaudio sanctæ fruitionis afficitur, dum à seiperegrinans jam in cælis habitat, & in memoria abundantiae suavitatis Dei exultat & jubilat? O quies pacifica, ô sabbatum delicatum! ô dulcedo charitatis, quæ animam diligentem Deum usque in altissima ejus magnalia provehit, provectamquè inter voluptates æternas quiescere interim facit! Feriatione hujus sabbati totus homo interior hilarescit, ejus intelligentia serenatur, affectiones dulcescunt, & sancta desideria in Deo quadam fruitione felicissima resolvuntur. O præclara solemnitas, ô jucunda pau-

satio,

m *Ser. 5. in Cant. n. 5. n. lib. 3. de amore Dei cap. 18. m. 63. & 64.*

fatio, & sabbatum delicatum! Et quænam gloria delicatior aut desiderabilior potest esse, quam Deo medullitùs inhærere, & jactare in eum omnes cogitatus & affectus suos, atq; in dilectione ipsius colligere tantę certitudinis fructus, ut de salute animę suæ, de consortio Angelorũ, atq; de illa interminabili exultatione, quæ diligentibus Deum preparata est, nullatenus oporteat dubitare? O sabbatum delicatum, (o) ô dulcedo amoris, ô æternæ felicitatis introitus, quam preciosiorem omnibus thesauris, desiderabiliorem omnibus divitiis, elegantior omnibus regnis operatur charitas de puro corde & bona conscientia, & fide non ficta. Satage ergo anima spiritalis, (p) Deum tuum intimè & summè diligere, & omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad teipsam, & in solo Divinitatis desiderio requiesce. Debet namque anima perfecta [q] omni hora peregrinationis suæ terminum cum summo desiderio expectare, & ad illud divinæ contemplationis spectaculum (quod in futura vita speramus) animum suum suspendere, & in ejusmodi expectatione vehementer cum desiderio anhelare: ut quod interim videt per speculum & in ænigmate, mereatur videre facie ad faciem. Necessè est itaque ad cor altum ascendere, & mentis excessu per divinam revelationem addiscere, quid sit illud ad quod aspirare oporteat, & ad qualem sublimitatis habitum animum suum componere & assuescere debeat. Nam si semel ad illam

d d

luci-

o *Ibid.* cap. 32. cap. 109. p. *Tract.* de *integ. domo* cap. 49. nu. 89.
q *Ibid.* cap. 41. nu. 92.

luciferam Angelicæ sublimitatis gloriam quis admiffus fuerit, & ad illud divinorum radiorum fpectaculum intrare meruerit: quàm intimis defideriis, quàm profundis fufpiriis, quàm inenarrabilibus gemitibus eum qui ejusmodi eft, putamus infiftere: quàm affidua recordatione, quàm jucunda admiratione infpectam claritatē credimus eum retractare menteq; revoluere, illam defiderando, ad illam fufpirando, illam contem- plando, donec tandem aliquando in eandem imaginē transformetur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu? Qui divina inspiratione [r] & re- velatione ad contemplationis gratiam promovetur, quafdam arras futuræ illius plenitudinis accipit, ubi fempiternæ contemplationi perpetuè inhærebit. Qui verò contemplationi veritatis vult vacare, necelfe eft, ut difcat requiefcere non folùm ab operibus malis, fed etiam à cogitationibus fupervacuis. Multi fi quidem etfi fciunt vacare corpore, minimè tamen valent vacare corde, nefcientes fabbatum ex fab- bato. Et ided non valent implere quod dicitur in Pfalmo: *Vacate, & videte quoniam ego fum Deus*. Nihil enim in hac vttà dulcius fentitur, (s) nihil avi- dius fumitur, nil ita mentem ab amore mundi fepa- rat, quàm gratia contēplationis. Omnes quidē nobis caufamur deeffe gratiam, (t) fed juftiùs forfitan ipfa fibi queritur gratia deeffe nunnullos. Nempè res cordis eft gratia devotionis ifta, quam quærimus: & hoc munere ipfe fe fraudat, qui internum ei diffi- mulat receptaculum exhibere. Qualenam poterimus

*x Ibid. nu. 91. s Tract. de cognit. human. condit. cap. 7. nu. 22.
t Ser. 17. di ver. nu. 1.*

Philosophiæ Christianæ. . . . cccxxi

mus (u) idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est gratia : purissimum , & solidissimum vas requirit . Et quid tam purum , quid vè tam solidum , quàm humilitas cordis ? Meritò proinde humilibus dat gratiã Deus . Sed noverint qui hujusmodi sunt , (x) gratiam hanc præstitam sibi esse , non datam : ut in die bonorum memores sint malorum , & in die malorum immemores sint bonorum . Longè aliter qui exercitatos habent sensus , devotionis hujus felici fruuntur jucunditate . Sed multi totâ vitâ suâ ad hoc tendunt , & nunquam pertendunt . Quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt , statim ut de corpore exeunt , redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum : illuc perducente eos sola gratia , quò priùs tendebant ipsi cum gratiã , ut consummati in brevi expleant tempora multa . O quàm gloriosum est regnum illud , (y) in quo Reges congregati sunt , convenerunt in unum , ad laudandum scilicet & glorificandum eum , qui super omnes est Rex regum , & Dominus dominantium . De cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut Sol , in regno Patris eorum . Felix qui sine ulla nube confusionis (z) revelata penitus facie gloriam Domini speculari , in eandem imaginem transformabitur , & similis erit illi , videns eum sicuti est , utique super omnia Deus benedictus . & laudabilis , & gloriosus in sæcula sæculorum . Amen .

Hactenus actum est de divini contemplationis specibus ,

dd 2

ebus ,

u ser. 3. in Annunc. B. M. nu. 9. x ser. 3. in Circumsf. Dom. nu. 10.
y ser. 4. sup. Missus nu. 2. z ser. 28. diver. nu. 7.

ccccxxii *Prefatio ad Lectorem*

abus, quas triginta Epitbetis complexus sum, easque Melliflui Doctoris sententiis explanavi. Superfunt tamen plures & diversi gradus contemplationis, quamvis ipsa una sit: nec facile possunt certo numero comprehendi. Multis enim modis anima contemplanti se communicat Deus: & Spiritus ejus ubi vult spirat, & quando vult, & quomodo vult. Caterum aliis speciebus omissis ad contemplationem spectantibus, solum mihi restat referre exemplum de mirabili contemplatione Eronis Abbatis Ordinis nostri: quem caelestis avicula cantu in extasim raptum, per ducentos annos contemplationi insistentem, ac divinitus conservatum historia commemorat, his planè verbis quae sequuntur.

I. Gallaciæ in Hispania Beatus Eron Abbas Monasterii Armentariæ Ordinis Cisterciensis erat, qui pia quadam spiritûs affectione, & sedula meditatione animo revolvebat supernorum Civium delicias, & deifici luminis pulchritudinem, atq; caelestis Jerusalem decorem, & domus Domini ubertatem cõtemplabatur. Dum autẽ meditationi intentus esset (anima ejus terrenis exuta tumultibus cælorum secreta penetrans) & mûdi hujus vanitates calcaret, mirã dicebat: *Quis incomprehensibilis gloria tua, Domine, comprehendere poterit consilia? Quisvè divitias sapientia & scientia tua, quibus Sanctos tuos in aeterna patria glorificas, investigare valebit? Vel quis sensus capere poterit lumen illud, quo Beatorum elevas mentes, ut finitum valeat infinitum contemplari? Sed iudicia tua sunt abyssus multa, nec nostræ fragilitatis est*

est potentia divina arcana investigare. Sufficit mihi si Te omnipotentem, incomprehensibilem, & in operibus tuis mirabilem, me verò miserum & miserabilem actionibus meis agnoscam. Sed adhuc non quiescit spiritus meus, vel potius carnis gravatus miseropadere, quae sursum sunt attingere non potest: & ideo nec requies inuenit. Quo ergo pacto Beatorum spiritus idem semper obiectum contemplantes, quod contemplantur possident, quod possident amant, & quod amant diligere non cessant? & tamen perpetua eiusdem obiecti dilectio, continua contemplatio, & aeterna possessio fastidium non parit? Vel ut melius dicam: Qualis erit decor & pulchritudo Deitatis, quae semper dilecta voluntatem attrahit, contemplata intellectum illuminat, non offuscat: possessa veneratur, non parvipenditur?

II. His & similibus cogitationibus venerabilis senex Eron angebatur, mirans, non dubitans: humilitate incomprehensibilem maiestatem venerans, fide verò minimè trepidans. Cujus Dominus humilitatem respiciens, miro modo & haetenùs inaudito, inæstimabilis gloriae suae thesaurum si non ex toto, certè ex parte ostendere voluit, ut per cognitionem minimi (ut ita dicam) gloriae suae splendoris, ad aeternae claritatis notitiam perveniret: nec miraretur in Beatis aeternam Deitatis sine fastidio contemplationem, sequenti miraculo roboratus. Accidit ergo quadam die, nocturnis precibus ex more absolutis, beatum Abbatem è Monasterio egredi, ut ed-

lesti contemplationi vacaret, quoadusquè instarent. Laudes matutinæ. Cæpit itaque (ut sæpè consueverat) spiritum suum paulatim ascendendo inter Angelicos ordines collocare, ibiquè quiescere, ac Divinitatis magnalia investigare. Cùmquè de incomprehensibili gloria Dei, ac Beatorum æterna felicitate miraretur: & ecce Avis pulcherrima, sibi autem ignota, mira suavitate, incredibili eaque cælesti melodiâ, non usitato avium cantu, non materialis sed potius justitiæ Solis præsentiam celebrare cæpit. Miratur Senex, eamquè Aviculam huc illucquè volitantem ac penetrantem interiora deserti suspensus sequitur: qui tandem in medio nemoris sub arbore quadam resedit, & dum divinam musicam audit, in extasim raptus corporis sensibus destituitur, & omnium rerum creaturarum penitùs immemor perseverat in eodem loco: Quem cùm Monachi quærerent nec invenirent, mirantur, nimioquè dolore perfulsi existimant beatissimum Patrem Abbatem humilitatis causâ, & ut securiùs divinæ contemplationi spiritum tradere posset, dignitatem & locum deseruisse: & idèd alius in locum ejus eligitur Abbas. Interea ille contemplationi insistens non minùs quàm ducentis annis divinitùs conservatur: & tandem à somno meditationis evigilans, Avicula cessat à cantu. Abbas mærore confectus conqueritur: existimabat namque cantùs dulcedine raptus, se unius quadrantis spatio ad summum ibi mansisse: & quia ampliùs musicam illam audire non licebat, idèd tristitiâ angebatur.

III. Revertitur denique ad Monasterium Abbas, cui ad ostium pulsanti Monachus ei ignotus respondens, ac videns Senem obstupefactus miratur, Abbatem advocat, & quisnam sit quidvè quærat, interrogat. Ille è converso dissimiles Religiosos in Monasterio suo videns, ac etiam ædificorum repentinam (ut ipse credebat) ejus mutationem conspiciens, tam incredibili admiratione corripitur, ut vix vel minimum verbum proferre posset. Sed tandè inquit: *Ego sum Eron hujus Monasterii Abbas, qui hodie ante unam horam post Vigiliis matutinas egressus, in nemore viciniore contemplationi insistens paululum mansi: & ecce cum jam revertor, brevi temporis intervallo mirabilem mutationem invenio, nec ferè Monasterium agnosco, nec vos qui in illo habitatis hactenus vidi.* Dum hæc diceret, mirabilem quandam splendorem in facie ejus, ac cælestem gravitatem in verbis sanctissimi Senis contemplabantur nonnulli Monachi: & qui jam sancti Eronis quondam ejusdem loci Abbatis plenam notitiam habebant, & ejusdem beati Viri inopinatū discessum non ignorabant, verbis ejus fidem adhibentes, totum Conventum advocant: & in conspectu omnium miraculum hoc comprobatum est. Eron verò totam eis historiæ seriem exposuit, & qualiter Deus cælestis gloriæ magnitudinem mirabili illo modo dignatus fuerit ostendere declaravit. Qui non multò post Ecclesiasticis Sacramentis munitus ex hac vita discessit, meritò coronandus in futura. Omnes autem Dominum collaudabant, qui temporibus illis anti-

ccccxxvi *Prefatio ad Lectorem.*

quum illud miraculam, quod in septem Dormientibus expertum est olim, non minori omnipotentiae suae indicio renovavit. Egressus est ergo Venerabilis Abbas de Monasterio suo Anno Domini 1167. Obiit autem anno 1267. & corpus ejus in Monasterio Armentariae honorificè tumulatum est. *Ita testantur Angelus Manrique in Epistola ad Fratrem Joannem Marietam, quae est 1. lib. 3. §. 2. Barnabas de Montalvo tom. 1. Chronicorum lib. 2. cap. 39. Malachias Dasus Monachus Monasterii Hortensis, & Jacensis Episcopus, qui hanc historiam in antiquo manuscripto libro conscriptam invenit. Haecenus Henriquez, qui eosdem Authores citat, & historiam praesertam refert in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis tom. 2. dist. 26. cap. 6. & in Monologio Cisterciensi ad diem 30. Augusti.*

EPILOGUS AD LECTOREM.

Libet jam hunc librum claudere, [a] sed in calce aliqua velim quasi epilogando addere praetermissa. Hucusq; fatigavimus vos prolixitate sermonis, [b] & detinuvimus ultra quam oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati nostrae quem non imperat verecundia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Pauli Apostoli, quem aliquando verbum praedicationis usque in mediam noctem legitis protraxisse. *Utinam adhuc [ut ipsius verbis utar] sustineatis*

a S. Bern. lib. 4. de Considerat. cap. 7. nu. 24. b Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 22. nu. 22.

Philosophia Christiana. ccccxvii

avis modicum quid insipientia mea. Emulor enim vos Dei æmulatione. Charitas denique (c) labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus urget. Nemo autem mihi molestus sit vel ingratus, (d) si de publico haurio & propino. Nam ut paulisper ministerium meum in hac parte commendem; nonnullius profectò fatigationis est atque laboris, quotidie scilicet exire & haurire etiam de manifestis rivulis scripturarum, & ex eis singulorum necessitatibus inferuire: ut absque suo labore quisque vestrum præstò habeat aquas spirituales ad omne opus, verbi gratià ad lavandum, ad potandum. Est nimirum aqua sapientiæ salutaris sermo divinus, nonmodò potans, sed & lavans, dicente Domino: *Et vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Porro (e) in Scripturis sacris historiam ad hortum non immeritò deputavimus, eò quòd in ea inveniantur Viri virtutum, tanquam ligna fructifera in horto Sponsi, & in paradiso Dei, de quorum bonis actibus ac moribus quot sumitis exempla, tot carpitis poma. Alioquin (f) sicut jure omnium hominum stolidissimus censetur, qui ad arborè viriditate foliorum atq; ubertate fructus pulcherrimam veniens, foliorum inanitate ventrem farciret, & ab utilitate fructus jejunus remaneret: eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam & fecundissimam seriem strenuæ conversationis Patrum sanctorum relegens, velut chronica tantum vel annales Regum,

ad

c *Epist.* 143. n. 3. d *ser.* 22. in *Cant.* nu. 2. e *ser.* 23. in *Cant.* .n. 14.
f *Ascher libri* 7, de *vita S. Berni*, cap. 29. nu. 70. p. 12. 228.

ccccxxviii *Prefatio ad Lectorem*

ad solam curiosam noticiam rerum eam transcurrit, & nihil ex his quæ legit, ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam conscientia suæ rubiginem, & ad librandam morum suorum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decerpit. Neque enim propterea Patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ & inquietæ curiositati inserviat: sed ut per ea rudes instruantur, infirmi confortentur, lascivi gravitatem sectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem informantur: & ut per ædificationem & consolationem legentium sancta Ecclesia Catholica roboretur, & laus Dei (cujus bona sua sunt bona nostra) per gratiarum actionem amplificetur. Proinde obsecro vos dilectissimi, (g) considerate diligentius quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus in vobis sermo tam vivus & efficax, sermo fidelis & omni acceptione dignus, sermo non tam oris quàm operis. Putatis, Fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihili: quàm justius indignabitur Dominus majestatis, si tantam ejus operam nostrâ aut duritiâ aut negligentia contingat evacuari?

Fateor: protraxi hujus exhortationis sermonem ultra quàm credidi. Quod tamè non aliud esse reor, (h) nisi quoddam fortis mulier Sapientia misit manum ad colum, & digi-

2 S. Bern. ser. 3. in Nat. Dom. nu. 6. h. ser. 15. in Cant. nu. 5.

& digiti ejus apprehenderunt fufum . Novit enim modicam lanam vel linum in longum producere filum , atque in telæ extendere latitudinem , & fic omnes domesticos suos vestire duplicibus . Plura fanè potuiffem (i) è sanctorum Patrum amæniffimis hortis colligere, quibus hoc sterile fenticetum uberius exornaretur : fed præstabilius vifum eft in tanta rerum congerie fervare temperamentum , & posteriorum induftriæ multa relinquere . Cæterùm quia hoc Opus ex fcriptis veterum Patrum magna ex parte compactum eft, illorum dicta haud importunè in hac meta ufurpabo . Et primò quidem illis verbis Lectorem meum conveniam , quibus modèftiffimè alloquitur fuum Timotheum Magnus Dionyfius Areopagita, (k) fic inquiring : Hæc à me, Fili, tam multa, tamquè præclara Hierarchiæ noftræ fpectacula (quæ unum faciunt) afpecta & animadverfa funt . Ab aliis autem mentibus quæ acrius cernunt, non modò hæc perfpecta funt , fed multò clariora & diviniora . Tibi etiam (ut opinor) planè collucebunt clarioreſque pulchritudines , fi iis quos dixi gradibus ad fuperiorem radium contendas . Communica igitur tu quoque mecum majorem perfectioremquè lucem, meifquè oculis monftra præfiantiores, & unius fpeciem magis exprimentes formas quafcunque cernere potueris . Dicam & illud quod Maximus Martyr (l) fcribit his verbis : Hæc er-

go

i Card. Bona lib. de Div. Pſalmod. c. 20. §. 3. k Dionyf. Areopag. in fine libri de Eccleſiaſt. Hierarchia, relatus ab eod. Card. Bona loc. cit. l Maxim. Mart. in fine Opufc. de Eccleſiaſt. Myſtagogia, relatus à dicto Card. ibid.

CCCCXXX *Præfatio ad Lectorem*

go de his pro vicibus exposui, ea quæ sunt magis mystica & altiora attingere non ausus. Danda est autem venia imbecillitati meæ: & suscipiendum est potius quàm reprehendendum, si quod dari potest datur. Deo enim gratum & acceptum est, quidquid pro viribus purè & sincerè ex animo datur, etiamsi cum magnis collatum videatur esse exiguum. Scio quidè (m) hac etate eruditissima scribentibus multa à multis imminere judicia, multaſq; parari censuras: sed recordatus sum cū Divo Hieronymo illius versiculi:

Pollio, & ipse facit nova carmina,

Possum tamen de stylo & methodo hujus Operis audacter dicere, quod Phocas Grammaticus (n) de brevitate suæ artis dicit:

*Ars mea multorum es, quos sæcula prisca tulerunt,
Sed nova te brevitæ asserit esse meam.*

Possum quoq; Paschasii Rathberti (o) verba usurpare dicentis: Expositio mea multorum eruditissimorum est Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis: sed proprio commendatum stylo, novitas facit esse meam, ita ut Tractatus qui de omnibus colligitur, unus verè videatur, & specialiter esse meus. *Hactenus ille.* Si quid verò benè tractavi, malo id cum prædicto Phoca Lectoris judicio laudari, quàm mea jactari prædicatione. Porro si quid peccatum in hoc Opere est, (& sanè plurima pecca-

in Idem Card. in *Præfat. lib. de Div. Psalm. & S. Hier. in Prolog. lib. I. in Epist. ad Ephes. in Phocas in Proemio de nomine & verbo*
• Pasch. in *Præf. lib. 6. in Mass.*

peccata sunt) meum est: si quid bonum, si quid laude dignum, non meum, sed alienum est. Si quoq; peccavi, (p) quiddam propriam magis ex hoc excitavi devotionem, quam communem quaesierim utilitatem: potens erit pia Virgo Mater apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecunque Opusculum devotissimè destinavi. Nec mihi vitio vertat quis, (verba sunt Theodosii (q) Macrobiani ad Eustachium filium) si res, quas ex lectione varia mutuatus sum, ipse saepe verbis, quibus ab ipsis auctoribus enarrata sunt, explicavi: quia praesens Opus non eloquentiae ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Ex scriptis probatissimorum Auctorum pleraque meo stylo elicui, illud Lucretii Poetae [r] secutus, qui sic ait:

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.*

Texunt plerique libros, sicut ferta ex variis floribus: miranturquè novas frondes, & non sua poma. Pauci possunt cum Manilio (s) dicere:

*Nostra loquar: nulli vatam debebimus orsa,
Nec furtum, sed Opus veniet.*

Ab hoc autem communi vitio immunis ego sum. Nam libenter, [t] ubi mihi congruere videbam, verba Sanctorum Patrum assumpsi, quò vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant quaecunque
in

p S. Bern. in Epilogo ser. 4. sup. Missus. q Macrobiani in praefat. Satur.
r Lucret. lib. 3. s. Maguil. Astronom. lib. 2. v S. Bern. ser. 2. super
Missus num. 1.

ccccxxxii *Pref. ad Lect. Phil. Christ.*

in eis lectori meo apposui. Ligna quidem (u) & lapides ad hanc structuram ab aliis accepi: at ædificiï forma, & constructio mea est. Sanctorum verò Patrum, & antiquorum Historicorum sententias fideliter ex fonte excerpti, rivulorum perosus impuritatem. Verba tamen scrupulosè non sector, dum sensus integer maneat. Nam & Apostoli in citando veteri Testamento, aliquando & media interfecant, & ex pluribus locis unum constant, prout doctè observant Authores, Adrianus Papa, Leo Castrensis, & Franciscus Ribera. Nec verebor Juvenci Poëtæ assumptâ personâ aliquid mihi de hoc qualicumque Opere polliceri cantans in hoc Epilogo, quod ille in Prologo Evangelicæ Historiæ cecinit, dicens:

Non metuo, ut mundi rapiant incendia secum

Hoc Opus. Hoc etenim forsân me subtrahet igni

Tunc, cum flammivoma descendet nube coruscans,

Judex altithroni Genitoris gloria Christus.

Ipsè interim (x) sit finis hujus Operis, qui finis est ad justitiam omni credenti. Ipsè principium & finem (y) omninò vendicat sibi: ut sit nobis alpha & omega Dominus Deus noster. Ipsè autem det vobis ea quæ dicuntur, (z) non solùm tenere memori- ter, sed & ardentè diligere, & efficaciter adimplere Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

F I N I S.

Prote-

ut Card. Bona in præfat. lib. de Div. Psalm. x S. Bern. Epist. 107. num. 13. y ser. 4. de verb. Esai. nu. 4. z ser. 77. in Cant. num. 9.

Protestatio Authoris.

CVM fœlicis recordationis Vrbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & Vniversalis Inquisitionis Decretum ediderit, illudquẽ confirmaverit die 5. Iulii anno 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum qui sanctitate vitæ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hætenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. porrò idem Vrbanus Papa die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirùm non admittantur Elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea quæ cadunt super mores, & opinionem cum protestatione in principio vel in calce libri, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorem. Ideò huic Decreto, ejusquẽ confirmationi, & declarationi ea qua par est observantiã & reverentiã insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hac Præfatione refero accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanã duntaxat auctoritate, non autem divinã Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodò exceptis, quos jam Sancta Sedes Sanctorum aut Beatorum catalogo adscripsit.

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

PARS PRIMA,

*De Creatione, & prævaricatione primi
hominis, malisque inde secutis.*

PROLOGUS.



IN hoc libro vide ô homo(a) quid
Deus tibi erogavit, imò quod
prærogavit, & supererogavit.
Creavit, cùm non esses: recrea-
vit, cùm perditus esses. Crea-
vit, vt esses particeps beatitudi-
nis suæ: recreavit, ne post lapsum
permaneres exfors patriæ, & exfors felicitatis æter-
næ. Conformaverat te imagini Divinitatis suæ (b)
cùm te creavit: conformatus est imagini humanita-
tis tuæ, ut te reformaret. Tu ergo, qui non retinui-
sti formam Divinitatis suæ tibi impressam in tua
formatione, retine saltem formam humanitatis tuæ
sibi impressam in tua recreatione: idest, si non reti-
nes qualem te creavit, retine saltem qualem te re-
creavit. Si non capis quantas virtutum divitias tibi
dederit te creando, cape saltem quantas in humanita-

A te-

*S. Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. auctore Horstio in VI. Tom.
impr. Parisiis an. 1667. A Tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 3.
tom. 5. pag. 579. b tract. de vite myst. cap. 44. n. 169. & cap. 30. n. 120.*

te tua miseras propter te acceperit recreando, & ad potiores quàm ad quas te formaverat delicias reformando. Dedit te tibi quando te creavit, ut esses: reddit te tibi cùm recreavit, ut benè esses: dedit in viaticum tibi, ne in via deficias, Corpus & Sanguinem suum, se verum Deum & hominem verum. Totus tibi datus (c) & totus in tuos usus expensus est. Siquidem (d) Carnem suam in cibum, Sanguinem in potum, Animam ministravit in precium. Nec habuit (e) seipso melius: se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum Sanctarum, se in redemptionem distrahit captivarum. Et tu quid rependes? (f) Si pro eo quod dedit tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere: quid denique pro eo rependes, quod se tibi dedit? Certè si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? Repende tamen quantum potes, repende te totum illi, qui te totum tibi dedit & reddidit: & his non contentus, se quoque totum tibi dedit. Dilige hunc tantum te diligentem, & singularem dilectum ex tota anima tua, & ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis. Siquidem ut incitaret te ad diligendum seipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis; impendit tibi quicquid debuit, creando, & recreando te Deus. Redde vicem (g) & super vulnera ejus misericordiam commovere, & pone eum talem, qualem nunc vides ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in
 omni-

c fer. 3. in Circumcis. n. 4. d fer. 54. in Cant. n. 1. e tract. de diligen. Deo cap. 8. n. 22. f tract. de vite myst. cap. 30. n. 120. & cap. 46. n. 183. 2 ibid. cap. 44. n. 169.

omnibus operibus brachii tui, eidem taliter ut vides signato possis similis inveniri. Agnosce ô homo (h) quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Nisi enim (i) vetus homo transgrederetur, novus homo non pateretur. Denique (k) si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio. Intuere homo (l) quomodo redemptus es. Empti estis (inquit Apostolus) precio magno: non magno tantum, sed permaximo. Venditus eras sub peccato, precio vili, & despicibili morsu vnus pomi: emptus & redemptus es precio magno & inæstimabili, morte Filii Dei. Quid pro tua salute facere debuit (m) & non fecit? Ab imo pedis usque ad summum verticis se totum in aquas passionum demersit, ut te totum extraheret de illis: & intraverunt usquæ ad Animam ejus. Nam & Animam suam in mortem perdidit, ut tuam perditam tibi redderet. Et ecce te duplici debito obligavit. Nam & pro eo quod dedit Animam suam, debitor illi es: & pro tua quidem anima bis ab eo tibi data, semel in Creatione, & semel in Redemptione, quid magis justè Deo reddes, quàm ipsam animam. Pro sua autem preciosa Anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit, non invenio. Nam etsi Cælum & terram & omnem ornatum eorum pro ea posset rependere, certè nec si usque ad mensuram debiti ullatenus attingere posset. O homo (n)

A 2 quid

h ser. 3. in Nat. Dom. n. 4. i ser. de verb. sap. n. 7. tom. 6. pag. 771.
 k tract. de vite myst. cap. 46. n. 181. l. tract. de 3. præcip. myst. cap.
 7. n. 10. m ser. de Pass. n. 18. n tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 17.

quid retribuēs Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Novit quicumque rectè sapit (o) quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei feruum deceat Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recordandum plenius per imitationem in memoria. Proinde (p) lege hunc librum vitæ, scriptum foris & intus, & lectum intellige. Noli auditor obliviosus esse (q) sed die ac nocte legito Passionem Jesu: & in omnibus actibus sponsam Jesu imitare, tollens crucem tuam ad imitationem ejus. Hæc enim lectio (r) mel in ore, & jubilus est in corde, extasis mētis devotæ. Dulcedo ejus omnē excedit eloquētiā, & totam absorbet conscientiam, & transformat in supernæ jubilationis imaginem, & deliciarum cœlestium novitatem. Considerata hujus lectionis miranda suavitas totas inebriat medullas animæ. Ex singulis enim clausulis sentitur quidam ignis erumpere, qui in sinu absconditur clausus, in ossibus totos depascit angulos amantis conscientiæ. Si scintillet exterius, videtur Solis jubare splendidius radiare. Legi eas (s) & quasolvebam in ore literas, scintillas sentiebam in pectore, quibus & concaluit cor meum intra me, tanquæ ex illo igne quæ Dominus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescebat ignis, è quibus hujusmodi evolant scintillæ. Accipe itaque syllabas has (t) ex sacris literis passim sparsimquæ comprehensas: in quibus si quid

fla-

o ser. 2. in Cena Domini n. 9. p tract. de vite myst. cap. 44. n. 167.
 q Soliloq. S. Ber. n. 20. tom. 6. pag. 1023. r Ser. in ser. 2. Pasch. n. 1. tom. 6. pag. 717. s Epist. 11. n. 1. t. ex proem. tract. de 3. præcip. myst.

PROLOGUS

5

flagrantia, si quid dulcoris, si quid interni saporis palato pii cordis degustaveris, noli mihi attribuas; sed nobilibus illis pigmentariis, de quorum apothecis emendicatum est, referas gloriam. Ego, quidem nostra fragmenta (u) quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne fortè incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis. Superest jam (x) ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem. Ipse det vobis ea (y) quæ dicuntur, non solum tenere memoriter, sed & ardentè diligere, & efficaciter adimplere. Obsecro vos dilectissimi (z) considerate diligentius quàm fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus & efficax, sermo fidelis & omni acceptione dignus. Putatis, Fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihili: quàm justius indignabitur Dñus Majestatis, si tantam ejus operam vestrâ aut diiritiâ aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc à Servulis suis, pro quorum salute induere dignatus est formam servi, Unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

A 3

CA.

v Ser. 2. in Dom. post. Pen. 11. x Ser. 1. de omn. San. num. 3. y Ser. 77. in Cant. n. 8. z Ser. 3. in Nat. Dom. num. 6.

C A P U T. I.

*De dignitate hominis , creati ad imaginem
& similitudinem Dei .*

Creavit Deus hominem ad imaginem ,
& similitudinem suam . *Gen. 1.*

1. *Ostenditur Animam hominis habere affinitatem cum Deo , secundum ejus imaginem & similitudinem , ad quam creata est . 2. Secundum simplicitatem substantiæ . 3. Secundum immortalitatem vitæ naturalis . 4. Secundum libertatem arbitrii . 5. ostenditur Animam nostram à Sancta Trinitate creatam , habere quandam trinitatem , scilicet Memoriam , Rationem , & Voluntatem : nec non Dignitatem , Sapientiam , & Virtutem .*

§ I.

BENÈ mihi (a) eructavit Moyse; & bonus odor in ructu ejus creantis potentiæ: Creavit (inquit) Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Proinde nullus (b) Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub sole habitant creaturas, quàm Anima humana. Sed dicit (c) aliquis: Quid tu duo ista conjungis? Quid enim Animæ, & Verbo? Multum per omnem modum. Primò quidem, quòd naturarum tanta cognatio est, ut hoc Imago, illa ad imaginem sit. Deinde quòd cognationem similitudo testetur: nempe non ad imaginem tantum, sed ad similitudinem-

A Ser. 67. *Cast.* nu. 5. b Ser. 9. *div.* nu. 2. c *Serm.* 80. in *Cast.* nu. 2.

nem facta est. In quo similis sit quæris? Audi de Imagine prius. Verbum est Veritas, est Sapientia, est Justitia: & hæc Imago. Cujus? Justitiæ, Sapientiæ, & Veritatis. Est enim Imago hæc justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi lumen de lumine, de Deo Deus. Harum rerum nihil est Anima, quoniam non est imago. Est tamen eorundem capax appetensquæ: & inde fortassis ad imaginem. Celsa creatura in capacitate quidem majestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens. Legimus quia Deus hominem reatumfecit, quod & magnum, capacitas (ut dictum est) probat. Oportet namque id quod ad imaginem est, cum Imagine convenire, & non in vacuum participare nomen Imaginis, quemadmodum nec imago ipsa solo, vel vacuo nomine vocitatur imago. Habes verb de eo qui Imago est, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Vbi tibi utique ejus& in forma innuitur rectitudo, & in æqualitate Majestas, ut dum rectitudini rectitudo, & magnitudini magnitudo comparatur, consonanter sibi altrinsecus respondere appareat quod ad imaginem est, & imaginem: sicut imago quoque nihilominus in utraq: respondet illi cujus imago est. Nempe ipse est, de quo Sanctum David audisti in Psalmis canentem, nunc quidem: Magnus Dominus noster, & magna Virtus ejus. Nunc verb: Rectus Dominus noster, & non est iniquitas in eo. Ab isto recto & magno Deo habet imago ejus, ut & ipsa recta & magna sit, habet anima quæ ad imaginem est. Sed dico: (d) Nihil ne ergo amplius

habet Imago ab Anima quæ ad imaginem est, quia & huic magnum rectumq; assignamus? Et plurimū. Hæc ad mēsurā accepit, illa ad æqualitatē. Annon plus hæc? Adverte & aliud. Huic utrumque aut creatio aut dignatio contulit, illi generatio. Atque id magnificentius esse non dubium est. Sed ne hoc quidem eminentius esse quis abnuat, quod cū à Deo huic, illi & de Deo utrumque sit, idest, de Dei substantia. Est enim consubstantialis Deo Imago sua, & omne quod eidem suæ Imagini impartiri videtur, ambobus est substantiale, non accidentale. Adhuc unum attende in quo Imago non parū eminet. Magnum & rectum, ista duo naturā à sese discrepare quis nesciat? In Imagine unum sunt. Neq; hoc solū, unum sunt & cum Imagine. Imagini enim non modò id rectum est esse, quod magnum esse, sed etiam id magnum rectumquè esse, quod esse Animæ non ita. Et magnitudo ejus, & rectitudo ipsius diversæ ab ea, diversæ ab invicem sunt. Si enim (ut supra docui) eò Anima magna est quò capax æternorum, eò recta quò appetens supernorum: quæ non quærit nec sapit quæ sursum sunt sed quæ super terram, non planè est recta, sed curva, cū tamen pro hujusmodi magna esse non desinat, manens utiquè etiam sic æternitatis capax. Neque enim illius aliquando non capax erit, etiamsi nunquam capiens fuerit, ut sit quomodo scriptum est in Psalmo: Verum tamen in imagine pertransit homo. Ex parte tamen, ut eminentia Verbi appareat de ipsa integritate. Quo enim à magno rectovè Verbum cadat, quod sic ea utique habet, ut sit quæ habet? Vel ideo ex parte,

te, ne si toto privaretur, non superesset spes salutis.
 Nam si desinat magna esse, & capax. Quippe de capacitate (ut dixi) æstimatur Animæ magnitudo. Quid verò sperare posset cujus capax non foret? Itaque(e)per magnitudinem, quam retentat etiam perditâ rectitudine, in imagine pertransit homo, uno quasi claudicans pede, & factus filius alienus. De talibus enim reor dictum in Psalmo: Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis, Pulchrè appellati sunt *filii alieni*: nã *filii* propter retentâ magnitudinem, *alieni* propter amissam rectitudinem. Nec dixisset, *claudicaverunt*, sed corrverunt, aut quidpiam simile, si ex toto hominis imaginẽ exvissent. Nunc verò secundùm magnitudinem quidem in imagine pertransit homo: quantum verò ad rectitudinem veluti claudicans conturbatur & deturbatur ab imagine, Scriptura ita dicente: Verumtamen in imagine pertransit homo.

§ I I.

Quæsitum est supra (f) de affinitate Animæ ad Verbum: atquè id quidem necessarie. Quæ enim conventio tantæ Majestati & tantæ paupertati, ut more & amore sponsorum veluti ex æquo sese complecti videantur sublimitas illa & illa humilitas? Nã si verè id dicimus, valdè læta fiducia est: si falsò, valdè puniènda audacia. Propterea ergo de convenientia horum quærendum fuit, quæ quidem jam multa inventa est, sed non omnis. Quis enim vel nimis hebes non videat, quàm se è vicino respiciant Imago, & quod ad imaginem est? Quorum utique
 vnum

e Ibidem num. 4. f Serm. 81. in Cant. num. 1.

unum uni, & alterum alteri assignavimus supra. Nec de imagine tantum, sed etiam de similitudine demonstrata ibidem propinquitas est, nisi quod ipsa similitudo in quo vel in quibus potissimum constet, necdum à nobis est declaratum. Age jam intendamus declarationi huic, ut quod Anima plenius suam agnoverit originem, eò amplius erubescat vitam habere degenerem. Imò verò quod peccato vitiarum deprehenderit in natura, studeat reformare industrià: ut dignè suo genere, Dei quidem munere se se regens, ad amplexus Verbi fidenter accedat. Advertat igitur (g) ex hac Divinæ ingenuitate similitudinis inesse sibi illam suæ substantiæ naturalem simplicitatem, quâ hoc est illi esse quod vivere, & si non quod benè quodvè beatè vivere, ut sit similitudo, non æqualitas. Gradus propinquus, gradus tamen. Neque enim unius excellentiæ parisque fastigii sunt, hoc habere esse quod vivere, & item habere hoc esse quod beatè vivere. Ergo si Verbi est illud propter sublimitatem, hoc Animæ propter similitudinem, *salvâ* quidem eminentiâ Verbi, palam est affinitas naturarum, palam Animæ prærogativa. Et ut quod dicitur planius fiat: Soli Deo id est esse, quod beatum esse, atque hoc primum & purissimum simplex. Secundum autem simile est huic, id videlicet habere esse quod vivere, atque hoc Animæ est. Ex hoc etsi inferiori gradu ascendi potest nonmodò ad benè, sed etiam ad beatè vivendum, non quia vel tunc si hoc esse quod beatum esse illi qui eò pervenerit, quatenus ita gloriètur pro similitudine, ut tamen pro disparitate habeat semper unde

om-

omnia ossa ejus dicant: Domine, quis similis tui? Bonus tamen Animæ gradus, ex quo & solo ad beatam ascenditur vitam. Sunt namque viventia, (h) & horum genera duo, quæ sentiunt, & quæ non sentiunt. Porro insensibilibus sensibilia præferuntur, atque vtiusque vita quâ vivitur & sentitur. Non stabunt pariter in gradu uno vita & vivens, multò minùs vita, & quæ sunt sine vita. Vita anima est vivens quidem, sed non aliunde quàm seipsâ, ac per hoc non tam vivens quàm vita, ut propriè de ea loquamur. Inde est quòd infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ præsentia non vita, sed vivens. Unde liquet, ne vivo quidem corpori id vivere esse, quòd esse; cùm esse, & minimè vivere possit. Multò minùs quæ vitæ expertia sunt, adhuc gradum assurgunt. Sed nec omne quòd vita dicitur, vel est, continuò valebit pertingere huc. Est pecorum, est & arborum vita, sensu altera vicens, altera carens. At neutri tamen idem esse quòd vivere est: cum (ut quidem multorum opinio est) ante in elementis, quàm vel illa in membris, vel ista in ramis extiterint. At secùdum hoc cùm desinunt vivificare, simul vivere cessât, sed non & esse. Soluuntur pariter & dissolventur, tanquam non alligatæ tantùm, sed colligatæ. Neque enim unum simplex est quæque harum, sed ex pluribus constans: & propterea non redigitur in nihilum, sed diffilit in partes, ut & ad suum quòdque recurrat principium: Verbi causâ aër ad aërem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum. Nequaquam igitur tali vitæ idem esse & vivere est, quæ est & quando non vivit.

§ III.

h Ibidem n. 3. i Ibidem n. 3.

Porro nihil horum (i) quibus non hoc esse quod vivere sit, ad benè beatequè vivendum quandoque proficiet vel emerget: quippe quod neque ad hunc inferiorem gradum potuit pervenire. Sola quæ in ipso stare cognoscitur Anima hominis, in eo dignitatis gradu creata est vita à Vita, simplex à simplici, immortalis ab immortalis: ut non sit longè à summo gradu, ubi scilicet id esse quod beatè vivere est, in quo solus stat beatus & solus potens, Rex regum & Dominus Dominantium. Accipit itaque in sui conditione Anima etsi non esse, posse tamen esse beata, summo proinde gradui quantum licet appropians, non pertingenstamen. Neque enim vel ipsi (ut supra diximus) hoc erit aliquando esse quod beatam esse, nec quando beata erit. Fatemur similitudinem, æqualitatem renvimus. Verbi causâ. Vita Deus, vita & Anima est: similis quidem, sed dispar. Porro similis, quod vita, quod seipsa vivens, quod non tantum vivens, sed & vivificans sicut & ille hæc omnia est. Dispar verò, quantum à Creante creata. Dispar, quod ut nisi creata ab illo non esset, sic nisi ab ipso vivificata non viveret: Non viveret dico, sed spiritali vita, non naturali. Nā naturali quidē etiā quod non spiritaliter vivit, immortaliter vivat necesse est. At qualis vita, in qua satiùs foret nō nasci, quā non ab ea mori? Mors potiùs est, & ideo gravior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peccatorum pessima. Et audi (k) unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque

Idem n. 4. k. Epist. 150. n. 2.

quæ duplici contritione . Ita ergo (l) quæ secundum carnem vivit Anima , vivens mortua est : quippè cui bonum erat omninò non vivere , quàm sic vivere . A qua nimirum vitali quadam morte minimè unquam resurget , nisi per Verbum vitæ , imò per Verbum vitam , viventem utique & vivificantem . Aliàs autem (m) immortalis est anima , & in hoc nihilominus Verbo similis quidem , sed non æqualis . Nam intantum superexcellit immortalitas Deitatis , ut Apostolus dicat Deo : *Qui solus habet immortalitatem* . Quod ego reor pro eo dictum , quòd solus sit naturâ incommutabilis Deus , qui ait : *Ego Dominus , & non mutor* . Vera namque & integra immortalitas tam non recipit mutationem , quàm nec finem , quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio sit : omne etenim quòd mutatur , dum de uno ad aliud transire esse , quodammodò necesse est moriatur quòd est , ubi esse incipiat quòd non est . Quod si tot mortes quot mutationes , ubi immortalitas ? Et huic vanitati subjecta est ipsa creatura non volens , sed propter eum qui subjecit eam in spe . Attamen immortalis Anima est : quoniam cum ipsa sibi vita sit , sicut non est quo cadat à se , sic non est quo cadat à vita . Verùm cum constet suis affectibus mutari eam , agnoscat ita se Deo in immortalitate similem , ut sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem , soli cedens absolutam perfectamquè immortalitatem , apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio . Non mediocris tamen Animæ dignitas præsentis disputatione comperta est , quæ gemina quadam vicinitate naturæ Verbo ap-

pro-

¹ Serm. 81. in Cant. n. 4. in Ibiem n. 5.

propriare videtur, simplicitate essentiae, & perpetuitate vitae.

§ I V.

Sed adhuc (n) vnum occurrit quod minimè præteribo: nec enim minùs insignem similemùe minùs Verbo Animam facit, & fortè etiam plùs. Arbitrii libertas hæc est, planè Divinum quiddam præfulgens in Anima tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras & cognitio iudicii, & optio eligendi: & si qua sunt alia quæ similiter circa animi habitum sese è regione respicere videantur, nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter is Animæ oculus dijudicat & discernit: sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Unde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potens. Omne etenim quod feceris bonù malumvè, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit, sed qui & potuit non facere bona & fecit: ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona & non fecit. Ubi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur: quia sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent quo se dijudicent sive regant, sed ne instrumentum quidem iudicii, idest

ratio-

rationem habent: inde est quòd non judicantur, quia non judicant. **Quanam** quippè ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? Hanc vim (o) à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate, non à natura, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur. **Quod enim** voluntarum, & liberum. Et quidem peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur aggravet animam, sed amore, non mole. Nam quòd surgere Anima per se jam non potest quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodò voluntaria. Est favorabilis vis quædam, pre-mendo blandiens, & blandiendo pre-mens: unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus: Domine (inquit Esaias) vim patior, responde pro me. Sed rursus scien s quòd non justè causaret adversus Dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quid secutus intulerit: Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim? Premebatur jugo, non alio tamen quàm voluntariæ cujusdam servitutis

tis, & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est quæ se cùm esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo: Voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntariè serviendo. Unde dicitur: Qui facit peccatum, servus est peccati. Propterea cùm peccavit (peccavit autem cùm peccato obedire decrevit) servam se fecit. Sed sit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eadem servitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est. Ergo quia volens, servam seipsam fecit: nonmodò fecit, sed facit. Meritò proinde (quod sepè memorandum est) quis respondebit illi cùm ipsa fecerit, ipsa & facit? Et hoc vobis (p) liquiddò apparere jam arbitror, Animam pro ingenita atque ingenua similitudine (quæ in simplicitate, immortalitate, & libertate tam eximiè claret) non parvam cum Verbo habere affinitatem, Sponso Ecclesiæ Iesu Christo Domino nostro.

§ V.

Adverte homo (q) quia Deo conjunctus es, & non sis ingratus. Fecit enim te, ut dictum est (r) ad imaginem suam & similitudinem. *Ad imaginem*, ut haberes memoriam, intellectum, discretionem, & cætera naturalia: ad *similitudinem*, ut haberes innocentiam, justitiam, & alia gratuita: ad imaginem & cognitionem Veritatis, ad similitudinem in amore Virtutis. Vel certè factus es ad *imaginem Dei*, collatis tibi omnibus istis: ad *similitudi-*

*P Ibid. II. q Ser. 3. in Vigil. nativ. Dom. n. 8. r Tract. de 3. p. æ
cip. myst. cap. I.*

rudinem secundum essentiam Deitatis factus es immortalis & indivisibilis. Deniq: (s) creationem hominis Creator rerum summa dignitate commendans : Faciamus , inquit , hominem ad imaginem & similitudinem uostram . Reverendum revera privilegium , nec ulli traditum creaturæ . Creatur illa sublimior numerositas Angelorum , & elementorum omnium ordinatur variata connexio , sed Omnipotentis præsentia tantum opus tediturnitate alta prospectat . Ut verò venitur ad hominem , & nobilis creatura creari disponitur , accingit se Trinitas ad creandum : & consilium accipit Sapientia , ut creaturæ dignitas Creatoris privilegio clara esse monstratur . Hinc est (t) quòd cum Trinitas Deus hominem crearet ad imaginem suam , quandam in eo formavit trinitatis similitudinem , in qua & imago Trinitatis Creatricis reluceret , & per quam novus ille Mundi Incola , simili naturaliter ad simile recurrente , principio suo , Creatori suo indissolubiliter inhæret , si vellet : ne multiplici creaturarum varietate illecta , abstracta , distraeta , creata illa trinitas inferior à Summæ Creatricis unitate recederet . Etenim cum in faciem novi hominis spiraculum *Vitæ* , *spiritualem vim* , idest , intellectualem , quod sonat spiratio & spiraculum ; & *vitalem* , idest , *animalem* , quod sonat nomen vitæ , infudit , & infundendo creavit : in ejus quasi quadam arce vim memorialem collocavit , ut Creatoris semper potentiam & bonitatem memoraret : statimquè & sine aliquo moræ intersti-

B

tio,

5 Ser. de S. Io: Bapt. n. 10. tom. 6. pag. 748 t. lib. 2. de amore Dei cap. 2. n. 2. tom. 5. pag. 499.

tio, Memoria de se genuit Rationem: & Memoria & Ratio de se protulerunt Voluntatem. Memoria quippe habet & continet quò tendendum sit: Ratio quid tenendum sit: Voluntas tendit. Et hæc tria unam quiddam sunt, sed tres illæ efficacæ, sicut in illa Summa Trinitate una est substantia, tres personæ. In qua Trinitate sicut Pater est genitor, Filius genitus, & ab utroque Spiritus Sanctus procedens: sic ex Memoria Ratio gignitur, ex Memoria & Ratione Voluntas procedit. Ut ergo Deo inhæreret creata in homine rationalis Anima, memoriã sibi vendicat Pater, rationem Filius, Voluntatem ab utroque procedentem, ab utroque procedens Spiritus Sanctus. Ecce (v) quibus orta natalibus voluntas, cujus nativitatis, cujus adoptionis, cujus dignitatis, cujus nobilitatis. Quæ cum præveniente & cooperante gratia Spiritui ipsi Sancto (qui Patris & Filii amor est & voluntas) bono sui assensu incipit inhærere: & vehementer incipit velle quod Deus vult, & quod volendum Memoria suggerit & Ratio: & vehementer volendo efficitur amor. Nihil enim aliud est amor, quàm vehemens in bono voluntas: per se enim voluntas simplex est affectus, sic anima rationali indutus, ut sit capax tam boni quàm mali, bono replendus cum adiuvatur à gratia; malo, cum sibi dimissus deficit in semetipso. Ne enim à Creatore aliquid Animæ deesset humanæ, libera in utramvis partem data est ei voluntas: quæ cum adiuvanti concordat gratiæ, virtutis accipit profectum & nomen, & amor efficitur: cum sibi dimissa seipsa secundum seipsam frui vult, sui in seipsa pati-

tur

tur defectum : & quot habet vitia , tot vitiorum fortitur nomina , cupiditatis , avaritiæ , luxuriæ , & alia hujusmodi . Quærat denique homo (x) eminentiora bona sua in ea parte sui quâ præminet sibi , (hoc est , in Anima) quæ sunt dignitas , scientia , virtus . *Dignitatem* in homine liberum arbitrium dico : in quo ei nimirum datū est cæteris non solum præminere , sed & præsidere animantibus . *Scientiam* verò , quâ eandem in se dignitatem agnoscat , non à se tamen . Porro *Virtutem* , quâ subinde ipsum à quo est , & inquirat non segniter , & teneat fortiter cum invenerit . Itaque (y) geminum unum quodque trium horum apparet . *Dignitatem* siquidem demonstrat humanam , non solum naturæ prærogativa , sed & potentia dominatūs : quod terror hominis super cuncta animantia terræ imminere decernitur . *Scientia* quoque duplex erit , si hanc ipsam dignitatem , vel aliud quodque bonum in nobis , & nobis inesse , & a nobis non esse noverimus . Porro *Virtus* & ipsa æquè bifaria cognoscetur , si Auctorem consequenter inquirimus , inventoque inseparabiliter inhæremus . Dignitas ergo sine scientia non prodest , illa verò etiam obest , si virtus defuerit : quod utrumque ratio declarat subjecta . Habere enim quod habere te nescias , quam gloriam habet ? Porro nosse quod habeas , sed quia à te non habeas ignorare , habet gloriam , sed non apud Deum . Apud se autem gloriantur dicitur ab Apostulo : Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti , quid gloriaris quasi non acceperis ? Non ait simpliciter , *quid gloriaris* , sed addit ? *quasi non acceperis* : ut adserat reprehensibilem non

qui in habitis, sed qui tanquam in non acceptis gloriatur. Meritò vana gloria nuncupatur hujusmodi, veritatis nimirum solido carens fundamento. Veram enim gloriam ab hac ita discernit idem Apostulus: Qui gloriatur, ait, in Domino gloriatur: hoc est, in veritate. Veritas quippe Dominus est. Vtrumque ergo scias necesse est, & quid sis, & quòd à te ipso non sis: ne aut omnino videlicet non glorieris, aut omnino videlicet non glorieris, aut inaniter glorieris. Cæterum (z) verè possumus gloriari, quòd tantum habemus Patrem; quòd Majestati ineffabili cura est de nobis. Unde & Propheta: Domine, inquit, quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Itaque qui gloriatur, jam non in meritis suis gloriatur. Quid enim habet quod non acceperit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? In eo ergo à quo accepit, gloriatur, non quasi ipse magnus sit, sed quia magnificet eum Deus: hoc est, ut in illis quæ acceperit, non quasi ea non acceperit, sed quasi qui ea acceperit, gloriatur: Neque enim ait Apostolus, si autem accepisti, quid gloriaris? sed quid gloriaris, inquit, quasi non acceperis? vt non prohibeat, sed doceat gloriari. Quamobrem (a) cum duabus istis, Dignitate atque Sapientia, opus est & Virtute, quæ utriusque fructus est: per quam ille inquiritur ac tenetur, qui omnium Auctor & dator meritò glorificetur de omnibus. Alioquin sciens & non faciens digna, multis vapulabit. Quare? Utique quia noluit intelligere ut bene ageret: magis autem iniquitatem meditatus est in cubili suo, dum de bonis quæ à se non

non esse ex scientiæ dono certissimè comperit, boni Domini gloriam seruus impius captare sibi, imo & raptare molitur. Liquet igitur & absque Scientia Dignitatem esse omninò inutilem, & Scientiam absque Virtute damnabilem. Verùm homo virtutis (cui nec damnosa Scientia, nec infructuosa Dignitas manet) clamat Deo, & ingenuè confitetur inquitens: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini da gloriam. Hoc est: Nil nobis, ô Domine, de scientia, nil nobis de dignitate tribuimus, sed tuo totum (à quo totum est) Nomini deputamus.

C A P U T I I.

De Creatione hominis ex limo terræ.

Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem *Gen. 2.*

1. *Demonstratur mira bonitas Dei, tam in Creatione hominis, 2. quàm in ejus conservatione. 3. Proponitur nobis doctrina videndi sive contemplandi Deum in Creaturis hujus mundi.*

§ I.

Magna (a) opera Domini, ait Propheta David. Magna quidem omnia opera ejus, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod
psal-

a Ser. 2. in nat. Dom. n. 1.

psallit idem Propheta, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum*. Nam in opere conditionis nostræ de limo plasmavit hominem Deus, & inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis vnitor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ, & spiritus vitæ? Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cælum, & terram. At spiritus sanè non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce ô homo dignatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim tibi cum Mundo corpus, sic enim decet eum qui constitutus est super universam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei simili ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omnino comparandus es cæteris creaturis. Compacta & confæderata sunt in te caro & anima: illa plasmata, hæc inspirata. Sed (b) cujus interest hæc commixtio? Cui hæc unione præstatur? Etenim juxta sapientiam filiorum hujus sæculi, ubi sociantur summis inferiora, qui prævalent potestatem habent, & humilioribus utuntur prohibitu suo. Conculcat fortior minùs fortem, ridet sapiens indoctum, simplicem fallit astutus, potens despicit imbecillum. Non sic in opere tuo Deus, non sic in tua commixtione: non ad hoc sociasti spiritum limo, sublimem humili, dignam & excellentem creaturam abjectæ & inutili massæ. Quis non videat quantum corpori præstet Anima? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritatis visus, & sonus vocis. Denique sensus

om-

 b *Ibidem* n. 2.

omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego. Charitatem in ipso statim principio non solum prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris. Agamus gratias(c) Factori nostro: siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos. Parumnè videtur tibi istud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit. Nempe etiam secundum corpus egregiam Creaturam, sed secundum Animam magis, utpote imagine Creatoris insignem, rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porro secundum ambo simul præ cæteris creaturis maximè admirandum, cohærentem sibi incomprehensibili artificio, investigabili sapientia Conditoris. Et priùs quidem te cum cæteris (d) & inter cætera creavit, non sine magna prærogativa dignitatis. Dixit enim de omnibus, & facta sunt. Itaque tam magnum hoc donum est (e), quàm magna res homo, Sed quàm gratuitum putas? Planum est, quia nihil ante promeruit, qui penitè nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus Auctori? Dixi Domino, Deus meus estu, quoniam bonorum meorum non egēs. Non igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit, sed devotas relaturus gratias ei qui sic meruit, sperabatur. Quidni gratias agat? Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedem tibi præpeditum aliquo modo reparasse videretur, si quis sopitam quavis occasione excitasset in te rationem; quis non alius tibi vehementissimè succenseret, si quando fortè beneficii hujus

immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enim verò Dominus Deus tuus, ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modò fecit, sed & compegit etiam & formavit, ac suo quoque illustravit officio. Et primò quidem (f) intuerè creationem, positionem, & dispositionem rerum, quanta sit videlicet in creatione Potentia, quanta in positione Sapientia, in compositione quanta benignitas. In creatione vide quàm multa & quàm magna potenter creata sunt: in positione quàm sapienter cuncta locata sunt: in compositione quàm benignè suprema & infima connexa sunt, tam amabili quàm admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, vt in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quòd non solùm vitam habeant, sed & sentiant, quinque partita sensificatione vigentes. Adidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus: qui non solùm vivunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum. Non sine causa dictum est (g) hominem plasmatum non de terra qualibet, sed de limo. Vide enim quàm limosum sit corpus, quòd ipsi quoque spiritui tam fortiter & penè indissolubiliter in hæret, ut vix cum multa afflictione possit aliquando separari. Time ô homo (h) quòd in morte
sepa-

f Ser. 3. in Vig. Nat. Dom. n. 8. g Ser. 31. int. diu. n. 2. h Ser. 12. int. diu. n. 4.

separandus es à bonis omnibus hujus corporis, & tam dulce carnis & animæ vinculum amarissimo fecandum divortio erit. Adverte homo (i) quia limus es, & non sis superbus,

§ II.

Porro (k) nè hoc quidem licet maximo Deus contentus est munere, qui dedit ut esses qui ante non fueras, adjecit etiam unde subsisteres, qui jam eras. Nec minùs liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter est operatus. Faciamus (inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid verò postea? Et præsit piscibus Maris, & bestiis terræ. &c. Nam & cælestia sese elementa in usus creasse tuos, antedocuerat. Nempe facta memorantur ut essent in signa, & tempora, & dies & annos. Cui putas? Nulli utique nisi tibi. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egēt his omnibus, aut non intelligunt ea. Quàm copiosus in secundo hoc beneficio Deus, quàm liberalissimus fuit? Quanta enim largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta etiam ad delectationem. Verùm hæc duo gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico dupliciter gratis? Sine merito tuo, sine labore suo. Nempe dixit, & facta sunt. An idcirco minùs devotus, minùs obnoxius, minùs gratus es, quòd hæc quidem sicut pro nihilo, ita de nihilo fecit? Perversi cordis est occasiones ingratitude vestigare. Nemo id facit, nisi qui etiam gratis esset ingratus. Puto enim neutrum tibi propterea minùs utile, quàm quod præstanti minimè difficile fuit. Alioquin si fortè quod ei laborio-

i Ser. 3. in vigil. nativit Dom. n. 8. k | Ser. 14. sup. Psal. 90. n. 2

boriosum, tibi magis commodum ducis, ex te ipso tibi iudicium hoc: nec te alibi illud putem quam apud te didicisse. Sic præstares libentius ipse fratri tuo absque incōmodo tuo. Verum etsi gratis præstare velles, nolles tamen ut hanc tibi ille prætenderet ingrati tudinis causam. Denique (l) omnis creatura propter te facta est: *Cælum*, ut esset tibi patria, & delecteris in aspectu pulchritudinis ejus: *Terra*, ut delectabiles & pulcherrimos ferret tibi fructus: *Solem & Lunam* & cætera sydera tibi fecit lucentia. *Dominium* dedit tibi super volucres Cæli, & bestias a gri, pisces Maris, ut omnibus his ad libitum tuum dominareris. Quod si (m) infideles hæc latent, Deo tamen in proptu est ingratos confundere super innumeris beneficiis suis, humano nimirum & usui præstitis, & sensui manifestis. Nempe quis alius administrat cibum omni vescenti, cernenti lucem, spiranti flatum? Sed stultum est velle modò enumerare, quæ innumera esse non longè ante præfatus sum: satis est ad exemplum præcipua protulisse, Panem, Solem, & Aerem. Præcipua dico, non quia excellentiora, sed quia necessaria sunt, quippe corporis. Quis vel infidelis (n) ignoret suo corpori non ab alio in hac mortali vita supradicta illa necessaria ministrari, unde videlicet subsistat, unde videat, unde spiret; quam ab illo qui dat escam omni carni, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Quis item vel impius putet alium ejus quæ in Anima splendet humanæ dignita-

tis

l *tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 4. in tract. de diligen: Deo cap. 2. n. 1. Ibidem n. 6.*

tis Auctorem, præter illū ipsū qui in Genesi loquitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Quis alium scientiæ largitorem existimet, nisi æquè ipsum qui docet hominem scientiam? Quis rursū munus sibi aliunde virtutis aut putet datum, aut speret dandum, quàm de manu itidem Domini Virtutum? Ego (o) Deum meum teneo vitæ meæ non solū gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem. Eia igitur, Fratres (p) cogitemus super nos & in nos opera Trinitatis ab initio mundi usque ad finem, & videamus quàm sollicita fuerit illa Majestas, cui administratio pariter & gubernatio sæculorum incumbit, nè nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & sapienter omnia gubernabat, & utrarumque rerum tam potentiæ quàm sapientiæ signa manifestissima tenebantur in creatione & conservatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis, sed latebat in corde Patris cumulanda quandoque super genus filiorum Adam tempore opportuno. Tria quoque (q) in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in *esse* quidem rerum inæstimabilis *Potentia* commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in *modo* ipsa *Sapientia*

o *ibidem* cap. 5. n. 14. p. Ser. 2. in die Pent: n. 2. q. Ser. 3. in die Pent. n. 3.

tia singularis elucet, quod hæc quidem sursum, hæc
 verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint lo-
 cata. Si verò *ad quid* factus sit mediteris, occurrit
 tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam
 ingratiſſimos quosque multitudine & magnitudine
 beneficiorum possit obruere. Potentiſſimè liqui-
 dem ex nihilo omnia, sapientiſſimè pulchra, beni-
 gnissimè utilia sunt creata. Veruntamen & fuisse
 novimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in
 filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis
 Mundi hujas tota sensualitate depressi, totos se de-
 derunt his quæ facta sunt, quoniammodo, vel ad
 quid facta sint negligentes. Quia istos nisi carnales
 dicamus? Paucissimos esse jam arbitror: legimus ta-
 men nonnullos quandoque fuisse, quibus summum
 studium fuit, atque unica sollicitudo, modum &
 ordinem investigare factorum, adeo ut plerique non
 modò utilitatem rerum perquirere dismulaverint,
 sed & ipsas magnanimiter spreverint, cibo par-
 viſſimo vilissimoque contenti. Ipsi quidem sese
 Philophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectius
 appellantur. Vtrisque igitur (r) successerunt Viri
 prudentiores utrisque, qui nimirum & quæ facta
 sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intende-
 runt aciem mentis, ut ad quid facta sunt, viderent.
 Nec latuit eos quoniam omnia propter semetipsum
 fecit Deus, omnia propter suos: aliter tamen pro-
 pter se, aliter propter suos. In eo quippe quod dici-
 tur, *omnia propter se*, præveniens commendatur
 origo; in eo autem quod dicitur, *omnia propter suos*,
 magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit pro-
 pter

r Ibidem num. 4.

pter semetipsum, gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate, ut illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Hi sunt spirituales Viri, sic utentes hoc mundo tanquam non utentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, nè illud quidem magnopere vestigantes, quoniam modo mundialis hæc machina volveretur: primi voluptate, secundi vanitate, tertii veritate impleti. Sunt multa genera contemplationis (s) quæ tamen omnia, vel ad Dei potentiam, vel sapientiam, vel benignitatem pertinere noscuntur. Nam si cogitetur Deus res spectu omniũ ut causa, quorundam ut sint, quorundã autem ut rationales, ac per hoc sapientiæ capaces sint, multorumquè ut beati sint: primum illud *Potentia*, alterum *Sapientia*, ultimum adscribitur *Bonitati*. *Potentia* quippe est, quodd sine ipso nulla creatura subsistit: *Sapientia*, quodd sine ipso nulla doctrina instruit: *Bonitatis*, quodd sine ipso nullius rei usus, expedit. Apud ipsam secura sunt omnia, cum nihil sit, quo ejus turbari possit *Potentia*. In ipso certa sunt omnia, cujus non potest falli *Sapientia*. Ex ipso recta sunt omnia, cujus naturam nulla potest depravare malitia. Ergo in rerum creatione contemplemur Dei *Potentiam*, in forma *Sapientiam*, *Bonitatem* in usu. Quam verò congruè (t) suis quæque gradibus sibi què competentibus disposuit Deus. Summam rerum tenet ipse qui Summus est, ipse supra quem nihil est, ultra quem nihil. Porro Angelos Sanctos non in summo qui-

s tractat. de Jesu puer. duoden. no. 26 sum. 6. p. 644. Ser. 11 Sup. Psal. 90 num. 13.

quidem posuit, sed in tuto: quippe ei qui in summo stat viciniùs adhærentes, ac proinde confirmatos virtute ex alto. Nam homines quidem nec in summo, nec in tuto sunt, sed in cauto. Denique & in solido sunt, idest, in terra habentes locum inum, sed non infimum, unde & possibile & necesse sit, ut sibi caveant. Dæmones autem in pendulo hujus ævis vagi ventosiquè vagantur.

§ III.

Sublimior iste præsentium (x) ac dignior usus rerum est, cùm iuxta sapientiam Pauli, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sanè hac scala Ciues Cælestes non egent, sed exules homines. Quod vidit ipse hujus sententiæ auctor, qui cùm diceret invisibilia per visibilia conspici, signater posuit, à creatura mundi. Et verè quid opus scalis tenenti jam solium? Creatura cæli illa est, præstò habens per quod potiùs ista intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet, ex his quæ facta sunt, Factoris notitiam mendicare. Porro (y) jam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est, & aliqua dissimilitudine non confundi. Interim verò tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia verè sit à quo sunt, non tamen quid sit prorsùs diffinientes? Deus (z) qui ubique æqualiter totus est

per

x lib. 5. de considerat. cap. 1. num. 1. y serm. 31. in cant. num. 3. z serm. 3. super missus num. 4.

per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis quàm in cæteris; & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. Cùm autem (a) de eo quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verùm hoc genus videndi commune. In promptu enim est juxta Apostolum omni utenti ratione, Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciere. Ipsa siquidem (b) quæ facta sunt, idest corporalia & visibilia ista, non nisi per corporis instrumentum sensa in nostram notitiam veniunt. Habet enim necessarium corpus spiritualis Creatura quæ nos sumus, sine quo nimirum nequaquam illam scientiam assequitur, quam solam accipit gradum ad ea de quorum fit cognitione beata. Cognitio quidem (c) illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, ut non possimus ad eam. At verò quemadmodùm in creaturis videndus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirum cùm & modò videatur in ipsis: unde & Philosophi (Apostolo teste) per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspexêre. Verùm quâ tumcunque proficiat quis intelligendo conspiciere, quàm potentissimè, quàm prudentissimè, quàm benignissimè

Ma-

a Ser. 31. in cantic. num. 2. b Ser. 5. in cant. num. 1. c Ser. 4. de oron. sanct. num. 5.

Majestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creat omnia, nunc regat, ordinet universa : prorsus modicum ab eo quod est comprehendit. Nam (d) perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus, reliqua credimus, quæ minimè sufficimus comprehendere. Et de Patre quidem novi creationem, clamantibus creaturis: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciuntur. Est utique (e) velut cõmunis quidam liber & catenâ alligatus (ut assolet) sensibilis. Mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat quicumque voluerit. Erit tamen cùm cælum plicabitur sicut liber, in quo utique deinceps legere habeat necesse, quoniam erunt omnes docibiles Dei: & quemadmodum creatura Cæli, sic & creatura Mundi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videbit, & sapientiam ejus ad liquidum contemplabitur in seipsa. Interim verò opus habet humana Anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris assurgat: cùm è contra longè beatiùs perfectiùsqùè Angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ. Ad quam nimirum excellentiam licet ad modicum rapta fuisse videtur Anima illa beata (S. P. Benediçti) quæ collectum sub uno Solis radio mundum universum conspexit. De quo miraculo Beatus Papa Gregorius in libro secundo Dialogorum scribens: *Videnti, inquit, Creatorem, angusta est omnis Creatura. Felices proinde qui satiantur ex adipe frumenti, nec opus habent fugere mel*

d Ser. I. in die Pent. num. 1. c Ser. 9. diu num. 1. & 2.

mel de petra, oleum què de saxo durissimo, qui videlicet invisibilia Dei non in invisibilibus rimando perquirant, sed in ipsis ad liquidum intellecta conspiciunt. Verùm ut jam diximus, Angelicæ felicitatis illud est, non fragilitatis humanæ. Quæramus igitur per ea saltem quæ facta sunt, intellectum invisibilium Dei: quæ si in cæteris creaturis intellecta conspiciat Anima, necesse est ut longè ampliùs conspiciat, & intelligat multò subtiliùs in creatura quæ facta est ad imaginem Creatoris, hoc est in seipsa. Et quia nos (f) ex anima & corpore consistimus, juxta vocem Apostoli: ab animali parte, idest, à bonis corporis incipiamus, ut non sit prius quod spirituale est, sed quod animale. Sunt autem omnia bona corporis, & quæ ei solummodò debeamus, sanitas. Nihil autem ei ultrà dandum est vel quærendum, sed hoc termino ligandum & frænandum est, cùm fructus ejus nullus sit, & mors sit finis illius. Sed hîc fovea est, quæ nolo vos lateat. Insidiatur enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis vel possit cavere vel noverit. Quod si voluptati servitur non sanitati, hoc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manus dat, cùm magistram constituit voluptatem. Inde etiam est, quodd multi ad tam bestiales & rebelles impetus descenderunt, vel (ut dicam veriùs) ceciderunt, ut voluptatem præferant sanitati, & illis ipsis sæpissimè volentur, quæ sciunt difficiles & acutissimas subsequi passiones. Sicut autem corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus: & cor humanum ad hoc

factum est, ut suum videat Creatorem. Si verò sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tantò sollicitior est impendenda, quantò pars ista dignior illâ esse convincitur.

C A P U T. I I I.

De mirabili felicitate primi hominis, ac ejus infelicitate miserabili, quam promeruit pro transgressione præcepti Divini.

Plantaverat Dominus Deus paradysum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur & custodiret illum. Præcepitquè ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas *Gen. 2.*

1. Felicitas primi hominis Adam positi in Paradiso erat, ut haberet actionem sine passione, contemplationem sine labore. 2. Infelicitas tunc ipsi successit, dum gratiam contemplationis Divinæ peccando amisit. 3. Adam per inobedientiam transgressus est præceptum Dei, comedens fructum de ligno vetito.

§ I.

TEstantur sacræ literæ (a) in paradiso olim positum primum hominem, ut operaretur & custodiret illum. Operaretur delectabiliter (b) custodiret fideliter & sibi & posteris suis. Erat (c)quâdo in actione & meditatione positus erat homo, sine pas-

a *Serm. 6. in dedicat. eccles. num. 3.* b *Serm. in ser. 4. hebdom. sanctorum. 11.*

passione habens actionē, habens etiā sine labore meditationem. Dico autē quādo positus est in paradysum, ut operaretur & custodiret. Verūm hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus, ut sola jam frueretur Contemplatione: sicut & ex hoc inferiori gradu quem modò tenet, nisi resurgere satagat, in infimum est quandoque casurus, videlicet, ut in sola jam passione versetur, quòd nec opus nec ratio, sed tantum passio apud inferos sit. Felix quidem cujus animam corpus non aggravabat, quia nec corrumpebatur. Sed longè felicior, si ad hoc pervenisset, ut minoratus actū, plenius perfectiùsqùe perciperet Sapientiam, gratis diligens corpus, tanquam in nullo indigens corpore. Nunc verò (d) in regione corporum habitantes, corporibus sumus obnoxii, & ex quo dissipaverunt legem Domini parentes nostri, non modò faciendi tempus est sed etiam patien- di, & omnium nostrūm ampliùs labor & dolor. Durus equidem cibus est hordeaceus panis, sed offenso rege, pulsus palatio miles quamlibet delicatus, ad unum fortè quem solum habet servulam divertere opus habebit: ibi fovere latebras, & insolita capere prandia, apud eum regales delicias pultibus rusticanis, ac nobiles stratus sterquilinio mutare servuli, juxta illud propheticae lamentationis: Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Ibi què hoc maximè Propheta deplorat, oblitus propriae conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam: nec modò reputare quod tolerant, sed tanquam bona magna complecti quæ paulo minùs extrema sunt mala. Propterea siquidem & de seipso ait:

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Gemamus nos sub hoc onere, & præsentibus deploremus ærumnas: frequenter quisque nostrum in vocem piæ querimoniam erumpat & clamet: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Grave omninò (e) jugum super filios Adam: non autem in principio super Adam, sed nunc jam super filios ejus. Quid non grave miseris, quibus & vivere labor est? Quibus & (quod pauci videntur advertere, sentire penitens nemo) ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo ut nequeat sustineri nisi alterna requie foveamur? Quid non labor & dolor & afflictio spiritus ex omnibus quæ sub cælo sunt, quando & illud ei gravissimum est, quo potissimum delectatur, vegetatio scilicet & sensificatio carnis? Nimirum quàm sit ei dulce consortium, triste divortium manifestat: dum vix tandem avelli potest, dum corruptio ipsa corporis penitens intollerabilis est vegetanti. Sanè non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris extitisse, donec adhuc corpus degeret incorruptum. Nimirum (f) secundum animum non secundum terrenam & seculentam materiam Deus hominem rectum fecit. Ad imaginem quippe & similitudinem suam creavit illum. Ipse verò quemadmodum psallis, rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Rectus itaque Deus rectum fecit hominem similem sibi, idest, sine iniquitate, sicut non est iniquitas in eo. Porro iniquitas cordis est, non carnis vitium,

ut

e Ser. 2. in Septuag. n. 2. f Ser. 24. in Cant. n. 5. & 6.

ut per hoc noveris in spirituali portione tui, & non in crassa luteaque substantia Dei similitudinem conservandam fore, sive reparandam. Quanquam & corporis staturam dedit homini. Deus rectam, forsitan ut ista corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret. Propterea quoque (g) Deus rectum fecit hominem etiam corpore ipso, & os sublimè dedit, ut attollens ad sidera vultus, illic suspiraret, ubi tam beatam & perennem conspicit mansionem. Denique (h) ut semper respiciens sursum, Creatorem suum in mente habeat, & originem suam incessanter ad animum revocet.

§ III.

Sed mutavit (i) istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Turpis mutatio studiorum (k) ut cui antè studii fuerat peregrinantem animam suam sacris meditationibus tanquam cælestibus pascere bonis, Dei beneplacitum & mysteria voluntatis ejus inquirere, penetrare devotione cælos, & mente supernas circuire mansiones: nunc omnibus his omisis, turpi se mancipet corporis servituti ad obediendum carni, ad satisfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in vniversa terra, unde ex ea quæ præterit mundi hujus figura, suam semper famelicam curiositatem aliquatenus consoletur. Terribilis (l) & nimis formidolosa comminatio: Egredere, & pasce hædos tuos. Quod est: Indignum te noveris illa tua familiari & suavi rerum contem-

C 3 pla-

g Ser. de S. Mart. n. 4. h Tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 3. tom. 5. pag. 579. i Ser. 35. in Cant. n. 4. k ibidem n. 3. l ibidem n. 2.

platione cælestium, intelligibilium, divinarum. Egredere quoque, de Sanctuario meo corde tuo, ubi secretos sacrosquè Veritatis ac Sapientiæ sensus dulciter haurire solebas: & magis tanquam unus de sæcularibus, pascendis & oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. Hædos quippe (qui peccatum significant) dicit vagos & petulantes corporis sensus, per quos peccatum tanquam mors per fenestras intravit ad animam. Exitus aquarum (m) deducant oculi mei super hujusmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demùm amplexatur stercora. Pascit enim juxta beati Job sententiam, sterilem quæ non habebat filios, & viduæ non benefacit. Et vide quia non simpliciter egredere, sed egredere inquit, & abi potest greges sodalium tuorum, & pasce hædos tuos. In quo (ut mihi videtur) magnæ cujusdã rei nos admonet. Quid istud? Heu quod egregia creatura jam olim facta de grege, & nunc in pejus miserabiliter prorsus, & non saltem inter greges remanere permittitur, sed post abire jubetur. Quomodo, inquis? Quomodo legis: Homo cū in honore esset, nō intellexit, cōparatus est jumētis insipientibus, & similia factus est illis. Ecce quomodo de grege facta est egregia creatura. Puto dicerēt jumēta si loqui fas esse: Ecce Adã factus est quasi unus ex nobis. Cū in honore esset, inquit. In quo honore, quæris? Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentia sentiebat, & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, constitutus super opera manuum Plasmatoris. Magis autem ob insigne divinæ similitudinis præ-

præcallebat, & erat illi fors & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fenum. Proindè (n) cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis & lachrymosa mutatio, ut homo Paradisi accola, terræ dominus, Cæli civis, domesticus Dei Sabaoth, frater Beatorum Spiritum, & cælestium cohæres Virtutum, repentina se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem feno, & propter indomitâ feritatē alligatum in præsepio, sicut scriptum est: In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Sed (o) quænam causa, inquis, tantæ dejectionis? Profectò quòd homo cùm in honore esset, non intellexit. Quid non intellexit? Non dicit. Nos dicamus. Positus in honore non intellexit, quòd limus esset, honoris fastigio delectatus: & continuò in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens: Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Væ misero, quòd non fuit qui iam tunc diceret ei: Quid superbis terra & cinis? Hinc egregia creatura gregi admixta est: hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est: hinc societas cum jumentis pro consortio Angelorum inita est. Dignum certè (p) & justum est, ut qui socius noluit esse Angelorū, fiat similis iumentorum: & qui destruxit in se imaginem & similitudinem

C 4

dinem

dinem Dei, dignum est, ut imago & similitudo iumentorum adhæreat ei: *Revera ita fit: (q) homo factus in honore, cum honorē ipsū non intelligit, talis suæ ignorantiæ meritō cōparatur pecoribus, velut quibusdam præsentis suæ corruptionis & mortalitatis consortibus. Fit igitur, ut sese non agnoscendo egregia rationis munere creatura, irrationabilium gregibus aggregari incipiat, dum ignara propriæ gloriæ, quæ abintūs est, conformanda foris rebus sensibilibus sua ipsius curiositate abducitur: efficiturquē una de cæteris, quōd se præ cæteris nihil accepisse intelligat. Itaque valdè cavenda est hæc ignorantia, quā de nobis minus nobis fortè sentimus; sed non minus, imō & plus illa, quā plus nobis tribuimus: quod fit, si bonum quodcunque in nobis esse, & à nobis, decepti putemus. At verò super utramque ignorantiam declinanda & execranda illa præsumptio est, quā sciens & prudens fortè audeas de bonis non tuis tuam quærere gloriam: & quod certus es à te tibi non esse, inde tamen alterius rapere non verearis honorem. Prior equidem ignorantia gloriam non habet: posterior verò habet quidem, sed non apud Deum. Cæterum hoc tertium malum quod jam scienter committitur, usurpat & contra Deum. Intantum denique ignorantia illa posteriori hæc arrogantia gravior atque periculosior apparet, quò per illam quidem Deus nescitur, per istam & contemnitur. Intantum & priori deterior ac detestabilior apparet, ut cum per illam pecoribus, per istam & dæmonibus sociemur. Est quippe superbia, & delictum maximum, uti datis tanquam innatis:*

& in

& in acceptis beneficiis gloriam usurpate benefici. Vides (r) quàm sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum universo nostro generi provenerunt? Ait enim Psalmista propterea hominem jumentis insipientibus comparatum esse, quia non intellexit. Cavenda proinde omnimodis ignorantia, ne fortè si adhuc sine intellectu & post vexationem inventi fuerimus, multò plura & graviora prioribus inveniant nos, dicaturquè de nobis: Curavimus Babylonem, & non est sanata. Meritò quidem, quòd nec vexatio dederit intellectum auditui. Et vide (s) ne fortè hîc sponsus, cùm Sponsam ab ignorantia tanto increpationis tonitru deterreret, propterea minimè dixerit, egredere cum gregibus, aut egredere ad greges; sed, egredere, ait, post greges sodalium tuorum. Vt quid hoc? Sanè ut secundam proinde ignorantiam priore magis pavendam pudendamquè ostenderet, quòd illa hominem bestiis parem fecisset, ista & posteriorem. Nam homines quidem merito ignorantiae ignorati, idest reprobat, & ad tremendum illud iudicium stare, & igni perpetuo tradi. habent, non autem & pecudes. Nec dubium fore deterius his qui sic erunt, quàm his quæ omninò non erunt. Melius ei fuerat (inquit Dominus) si natus non fuisset homo ille. Non utique si natus non fuisset omninò, sed si natus non fuisset homo, sed v. g. aut pecus aut alia quæpiam creatura, quæ quoniã iudicium non haberet, ad iudiciũ nõ veniret, ac per hoc nec ad suppliciũ. Sciatergo Anima rationalis, quæ se ob priorẽ ignorantiaẽ erubescit pecudes habere sodales in perfruendis utique bonis terre-

terrenis , non etiam similiter socias habituram in perferēdis tormētis gehennæ; & tū demū etiā ab ipsis gregibus suorum sodalium jumentorum cum dedecore exturbandam : nec jam vel cum ipsis ituram , sed planè post , quando illis nihil mali sentientibus , ipsa malis omnibus exponetur . A quibus non liberabitur in æternum , siquidem secundò ignorare adjecerit . Egreditur itaque homo , & solitarius abit post greges sodalium suorum , cū solus in inferno inferiori retruditur . An non tibi posteriorem videtur tenere locum , qui ligatis manibus & pedibus proicitur in tenebras exteriores ? Et erunt profectò novissima hominis illius pejora prioribus , quando qui priùs bestiis æquabatur , nunc & postponitur .

§ I I I.

Ab initio (t) Deus modum acceptat , & nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati . Hinc fuit , quòd nonmodò in pondere & mensura & numero condidit vniversa , sed & protinùs ipsi homini modum præscripsit , mandatum contulit dicens : Ex omni ligno paradisi comedes , de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas . Levissimum planè mandatum , & larga omninò mensura . Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum , & constitutum sibi terminum prætergressus . Unde & avergens ab eo faciem suam Deus , vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens , rursùs modum instituit , promulgavit legem circumcisionis , sed non priori similem usquequaque . Ea siquidem ad cautelam fuerat , hæc ad medelam . Ibi prohibitio facta , ne superfluitas subintraret : hinc jam

indi-

t Ser. 2. in circumcis. Rom. 10. 1.

indicta abscissio est, ut Sacramenti remedio, quæ subintraverat, tolleretur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructus ejus vesceretur: hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Sciendum est (v) nunquam per obedientiam malum debere fieri: aliquando autem per obedientiam, quod agitur bonum, debet intermitteri. Neque enim mala arbor in paradiso extitit, quam Deus homini non tangere interdixit: sed ut melius per obedientiæ meritum homo benè conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc à bono prohiberet, quatenus tantò veriùs hoc quod ageret virtus esset, quantò & à bono cessans Auctori suo se subditum humiliùs exhiberet. Sola namque (x) obedientia virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasquè custodit. Unde primus homo præceptum quod observaret, accepit: cui si vellet se obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Nec aliquam (y) in servando mandato visus est pati difficultatem, sed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem. Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: Sic oportet fieri; quia timore urgetur. Dicit voluntas bona: Sic expedit, & sic agendum est; quia spei attrahitur ratione. Caritas verò quæ inflàmatur à spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo (inquit) sic cupio, sic desidero vehementer. Beatus vir (z) qui non abiit in consilio impiorum. Horum caput & princeps est

vtrâct. de ord. Vitæ cap. n. 18. tom. 5. pag. 461. x Ibidem n. 16. y Ser. 1. de S. Andr. n. 9. & 10. z Serm. 72. diver. n. 1.

est diabolus, qui primus à pietate recessit, & impius factus etiam homines in paradiso positos, ab eadem pietate fraude sua dejecit, volēs eos habere socios sui erroris, & participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, & illa virum sibi subdidit. Similiter adhuc dæmon suggerit carni, caro spiritui, & fit impiorum consilium. Dicunt enim sibi invicem: Omnium nostrum sit unum marsupium. Ponunt ergo in memoria quasi in marsupio quisque obulum suum: Dæmon scilicet suggestionem, caro delectationem, spiritus consensum. Ad hoc consilium impiorum (a) itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariae sunt quatuor virtutes cardinales, per quas armati resistāt, ne in cōsilio eant. Invitis necessaria est *fortitudo*, quā resistent usquē ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent *temperantiā*, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus *prudentiā*, quæ ab utilibus inutilia discernit, & docet quid tenendum, quidve reiiciendum sit. *Justitiā* indigent illi, qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia & fortitudo sedem habent voluntatem: quia voluntas justa debet esse & fortis. Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens. Hanc non videtur habuisse Adam, qui malo consentiens, quod utile erat deseruit. Prudentia & temperantia sedem habent in ratione: quia ratio prudens

a *Ibidem* n. 2.

dens debet esse & temperata. Est quippe prudentia, ratio docta, scilicet à gratia, vitare contagia injustitiæ propter justitiam. Vitat quidem non solùm injustitiam apertam, sed etiam illa quæ sunt aliquo modo contra justitiam, attendens non quod licet, sed magis quod expedit: vitans divitias & quædam alia, non quia illicita, sed quia justitiæ solent esse impedimenta. Ne autem (b) à memoria expellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium: ponatur ad *Memoriæ* portam janitor, cujus nomen est, *Recordatio propriæ professionis*, ut cùm turpibus sese cogitationibus senserit animus prægravari, increpet se & dicat sibi: Tunc hæc debes cogitare qui Sacerdos, qui Clericus es, qui Monachus es? Cultor Justitiæ debet ne in se hujusmodi quidquam admittere? Decetne servum Christi, amatorem Dei, tale aliquid vel ad modicum meditari? Hæc dicendo excludes fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ professionis. Similiter ad portam *Voluntatis*, in qua solent manere carnalia desideria tanquam in domo domestica familia, statuatur ostiarius qui vocatur, *Recordatio cælestis patriæ*. Hic enim potest pravum desiderium quasi cuneus cuneum expellere, & ipsum qui ait, Ecce sto ad ostium & pulso, sine cunctatione recipere. Jam verò ad thalamum *Rationis*, talis & tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat, sed quicumque hostis ve siclam sive palam ingredi præsumperit, procul eum arceat: & hic sit *Recordatio gehennæ*. In cæteris siquidem, idest, memoria & voluntate non ita est

b *Serm.* 68. *diver.* 2.

est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc verò gravissimum est & omninò damnosum, si unquam Ratio perdiderit intentionis rectitudinem. Porrò (c) si fortè aliquando cogitatio inutilis mentem subjerit, tota sollicitudine laboremus citiùs abluere & eradere sordem, quâ nos maculari conspiciamus, clamantes cum Propheta ac dicentes: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Jam verò si quando fortè per incuriam & negligentiam nostram transierit cogitatio inutilis etiam in affectum cordis, scientes quoniam non macula est jam sed plaga, tota festinatione ad auxilium Spiritûs qui adjuvat infirmitatem nostram, recurramus, clamantes illud de Psalmo & dicentes: Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Intentionem verò & propositum mentis ea sollicitudine custodiantus, Fratres, quâ vitam animarum nostrarum volumus custodire, quoniam istud omninò est peccatum ad mortem, cum ex consensu & deliberatione delinquimus, proprio iudicio condemnati.

C A P U T I V.

De admiranda Contemplatione Adæ, in qua cum obdormivisset, sublata est de latere ejus costa ad ædificandum mulierem Evam.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam: cumquè obdormivisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea: & ædificavit costam in mulierem. *Gen. 2.*

I. *Con-*

1. *Contemplatio extatica, in qua soporato Adæ sublata est costa, significat magnum illud Sacramentum quod subsecutum est in Christo & Ecclesia.* 2. *De prærogativa vitæ contemplativæ, quæ licet quibusdam in præsentî vita donatur, satietas tamen ejus præservatur futuræ vitæ.* 3. *Ostenditur Adam ideo peccavisse, quia à circumspèctione Dei sive contemplatione deflexit.*

§. I.

Immisit Dominus (a) soporem in Adam. Immisit & in seipsum factus nimirum secundus Adam: sed est distantia non parva. Ille enim soporatus videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit Veritas, in hunc Charitas, cum utraque sit Dominus. Ait enim Joannes Evangelista: Deus charitas est. Et ipse Dominus ait: Ego sum via, veritas, & vita. Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat vel nominetenus Christianus. Siquidem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor, potestate propria ponens animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Cæterum qualis & ille sopor dicendus sit fuisse vel credendus, quem Dominus immisit in Adam, in quo sine sensu omninò doloris in mulierem ædificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis Veritatis intuitu, & abyssò Divinæ Sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormivisse videtur, quod ex ejus verbis vel maximè conii-

a Serm. 2. in Septuag. n. 1. & 2.

coniici potest. Rediens nimirum indicat quòd abiisset, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum Sacramentum (quod tanto post in Christo & in Ecclesia Apostolus commendavit.) Hoc nunc, inquit, os ex ossibus meis. Et propter hoc (inquit Apostolus) relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. An non tibi penitus obdormivisse videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuisse: Ego dormio, & cor meum vigilat? Neque etiam communem arbitror fuisse soporem, aut nostris similem somnis, quos nec Contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmatis defectus immittit; quos nec veritas, nec charitas, sed necessitas parit. Erat (b) quando in actione & meditatione positus erat homo in paradisum, sine passione habens actionem, habens etiã sine labore meditationem. Nimirum (c) in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima versans, & in illa excederet sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet. Illa penetrans naturali vivacitate, & puritate mentis: hæc auctoritate dijudicantis præsentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea; non ipse aliqua curiositate ductus est ut videret ea. Non sic (d) in nobis libera Ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur: ut nec ab his sine dolore possit avelli; nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quæerunt animam meam, ut clamare necesse sit:

Infe-

b Ser. 2. divers. n. 6. c Ser. 2. in Septuag. n. 2. d Ibidem n. 3.

Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis hujus? Inde priusquam comedam suspiro , quia regnum cælorum vim patitur , & violenti rapiunt illud . Nihilominus tamen & illic unitas , & hîc tenenda divisio est: sicut & Adam soporatus est in Contemplatione , & animalia nominum impositione discrevit . Sic nimirum sic & Abraham in Sacrificio non quidem volatilia , sed animalia legitur divisisse . Et Martha erga multa turbatur , cum unum sit necessarium : planè unum , & maximè necessarium , quoniam hæc pars optima , quæ non auferetur , Cessabit divisio cum venerit plenitudo , & erit totius sanctæ Civitatis Hierusalem participatio in idipsum . Interim Spiritus sapientiæ non modo unicus , sed & multiplex est : interiora quidem in unitatem solidans , sed sub judicio exteriora distinguens . Utrumque tibi in primitiva Ecclesia commendatur , quando multitudinis credentium erat cor unum , & anima una , ne volatilia scinderentur : dividebatur autem singulis prout cuique opus erat , ut animalia secarentur . Quid autem (e) sibi vult, Fratres, quodd optimam partem Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit , quod adversus eam proferre solemus , si quando fortè administrantis Mart hæ turbationem , inæqualitatem dijudicare volverit: Melior est iniquitas viri , quàm beneficiens mulier? Ubi erit & illud : Si quis mihi ministraverit , honorificabit eum Pater meus? Et illud : Qui major est vestrum , erit minister vester? Postremò , quæ consolatio est laboranti , quasi in ejus suggillationem , partem sororis attollere? Unum ergo arbitror è duobus,

bus, ut aut de electione Maria laudetur, quòd pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda: aut certè, ut neutrum dicatur defuisse, nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam Præceptoris in utrumlibet sit parata. Quis enim sicut David fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperiũ Regis? Denique paratũ, inquit, cor meũ, paratũ cor meũ, nõ semel tantũ sed & secũdũ, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè pars optima, quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. Bonum (inquit Apostolus) acquirit gradum, qui benè ministraverit: fortè meliorem, qui benè vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque. Unum adhuc dico, si tamen id de Martha licet inspicari. Nonne enim quasi ociosam reputasse videtur, quam sibi dari petiit adjutricem? Sed carnalis est, & omninò non percipit quæ sunt spiritus Dei, si quis fortè vacantem Animam sua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam hanc esse partem, quæ maneat in æternum. Numquid non rudis quodammodò videtur anima, quæ divinæ contēplationis penitè expers illam intravit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita? Cui tam pio (f) tamquè utili ocio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?

§. I I.

De corporali cibo (g) ad Adam dictum est, & pervenit usque ad me: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Sed & cùm laboravero, panis datur mihi in.

f Lib. 3. de consid. cap. 8. n. 11. g Serm. 1. in Septuag. n. 3.

hi in pondere, potus in mensura, pulmenta in numero. Et de corporali quidem sic. Quid verò de spiritali? Utique antequam comedam, suspiro: atque utinam cum suspiravero & flevero, vel fragmentum exiguum merear de cælesti convivio, & tanquam catellus edam de micis, quæ cadunt de mensa dominorū meorum. Commovetur proinde intra me spiritus meus, spirans nimirum ad patriam, in qua nec numerus est, nec mensura, nec pondus. Quamdiu enim in pondere & mensura & numero universa corporis & animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereor? O Jerusalem civitas Regis magni, qui te ex adipe frumenti satiat, & quam fluminis impetus lætificat: in te nec pondus utique nec mensura, sed satietas est & affluentia summa. Sed nec habes numerum, quippe cujus participatio ejus in idipsum. Ego verò, qui totus sum in vicissitudine & numero, quando veniam ad unam illam quam requiro? Quando satiabor apparente gloria tua Domine? Quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ quando potabis me? Nunc enim tam exigua sunt stillicidia stillantia super terram, ut nec pluitre quidem possim salivam meam. Sic omninò (h) sic verum est Fratres, quoniam modò omnia dantur mihi in pondere & mensura & numero: sed veniet dies quando omnia sunt cessatura. Nam de *numero* quidem legimus in Psalmo: Quoniam sapientiæ illius non est numerus. Et in alio loco legimus apud eundem Prophetam: Delectationes in dextera ejus usque

D 2 in

in finem. Audi etiam apud Apostolum *pondus sine pondere*: *Supra modum*, inquit, in sublimitate æternum pondus gloriæ. Audi pondus æternum, sed attende quia præmiserit, *supra modum*. Sic & Christum audio mensuram sine mensura promittentem: *Mensuram*, inquit, confertam, & cogitatum, & superfluentem. Sed quando venient ista? Profectò in fine præsentis Septuagesimæ, quod est tempus captivitatis nostræ. Quis vestrum (i) habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: *Amice commoda mihi tres panes*. Quid est quod amicum unum perhibet advenisse, nec tamen contentus est quærere panem unum? Puta cum uxore & mancipio hominem advenisse aut suum cuique panem apponere velit amicus. Ego quidem amicum venientem ad me non aliū intelligo quàm me ipsum. Nemo quippè charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cum transitotia deferens, ad cor redeo, sicut scriptum est: *Redite prævaricatores ad cor*. Deinde tunc verè sibi quisquè amicus est, cum de via redit, quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. A die itaque conversionis meæ, de via ad me venit amicus meus. Venit fame laborans, confectus inediâ, attenuatus jejuniis. Venit necesse habens invenire amicum; sed heu me pauperem elegit hospitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico misero & miserabili? Omnino enim non habeo quod penam ante illum. Fateor, amicus est, sed ego mendicus. Quid venisti ad me amice in necessitate tanta? Ego sum mendicus, & non est in do-

domo mea panis. Festina, inquit, discurre, suscita amicum tuum illum magnum, quo majorem dilectionem nemo habet, neque substantiam amplio-rem. Quærere, pete, pulsa, quia omnis qui quærit invenit, & qui petit accipit, & pulsanti aperietur. Clama & dic: Amice cōmoda mihi tres panes. Qui sunt (k) isti panes, Fratres? Utinā mereamur accipere nos. Fortè enim & ipsos nemo scit, nisi qui accipit. Credo tamen petendos nobis esse tres panes, veritatis, charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, veniente autem (ut dixi) cum uxore & mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipse enim est vir) præ ignorantia veritatis, languet & voluntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minùs intelligit quæ agenda sunt, & voluntas minùs diligit intellectu, & ad hæc etiam corpus quod corrumpitur aggravat animam, ut non quæcunque volumus, illa faciamus. Arvit cor meum, etiam & corpus meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Neque enim pateretur hunc defectum, si jugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis, voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi amice tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. Sic enim vivitur, & in talibus vita spiritus mei, dicēte scriptura: Quoniā vita in voluntate ejus. Est enim (l) intellectus rerū spiritualiū & invisibiliū verus animæ panis, confirmans cor nostrū, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo, qui non

percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia ei videtur, gemat & lugeat dicens: *Arvit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Propter hoc namque (m) aliquando finis venit universæ carnis, quia spiritus recesserat vitæ. Item ait: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Carnis nomine hoc loco vitium designari intellige, non naturam. Nec enim spiritum natura expungit, sed vitium. Quomodo (n) ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales deliciae in eodem se non pariuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora supèr mel & fauam menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis suppellectilis discolor varietas oculos pariter pascit & ventrem; cælestis panis jejunam deserit mentem.

§. III.

Adam (o) in paradiso positus perdidit circumspersionem Dei. Quomodo inquis? (p) Quomodo legis: *Homo cum in honore esset, non intellexit. In quo honore quæris.* Habebat in paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus. Magis autem ob insigne Divinæ similitudinis præcellere: & erat illi fors & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fænum. Inde (q) facta est valida fames in terra, & omnes jam non egere cæpimus, sed ad extremam
jam

m. Ser. 35. in Cant. n. 4. n. epist. 2. n. 10. s. Ser. 102. div. n. 1.
p. Ser. 35. in Cant. n. 3. & 4. q. tract. de Convers. ad Cleric. Cap.
24. n. 25.

jam venimus ægestatem. Denique & comparati sumus jumentis insipientibus, & similes facti sumus illis: etiam porcorum siliquas insatiabiliter esurimus. Qui pecuniam diligit, non satiatur: qui luxuriam diligit, non satiatur: qui gloriam quærit, non satiatur: denique qui mundum amat, nunquam satiatur. Novi ego homines satiatis hoc mundo, & ad ejus omnem memoriam nauseantes. Novi satiatis pecuniâ, & satiatis honoribus, satiatis voluptatibus & curiositatibus hujus mundi, nec mediocriter, sed usque ad fastidium satiatis. Et facile est cuique nostrum hanc satietatem per Dei gratiam obtinere: neque enim parit hanc copia, sed contemptus. Sic fatui filii Adam porcorum vorando siliquas, non esurientes animas, sed esuriam ipsam pascitis animarum. Sola nimirum hoc edulio inedia vestra nutritur, sola fames alitur cibo innaturali. Et dico planius exempligratiâ, unum sumens è multis quæ humana vanitas concupiscit. Non prius satiabuntur corda hominum auro, quam auro corpora fatientur. Nec indignetur avarus, & de ambitiosis & luxuriosis, etiam & de facinorosis eadem sententia est. Si quis mihi fortè non credit, experientiæ credat, vel propriæ, vel multorum. Quis in vobis est, fratres (r) qui satiari cupiat, & desiderium suum optet impleri? Incipiat esurire justiciam, & non poterit non satiari. Panes illos desideret qui in domo Patris abundant, & inveniet sese continuè siliquas fastidire porcorum. Gustum justitiæ vel exiguum studeat experiri, ut eo ipso desideret amplius, & amplius mereatur sicut scriptum est, Qui edit me, ad-

huc esuriet : qui bibit me , adhuc sitiet . Utique (s) propter saporis dulcedinē hoc dicebat Dñs , qui semel gustatus magis excitat appetitum . Bonus fructus , qui animarum esurientium & sitientium justitiam , & esca & potus est . Hoc enim (t) cognatum magis spiritui & naturalius desiderium vehementiùs occupat cor humanum , cæteraquē viriliter desideria pellit . Sic nimirum fortem armatum fortior superat , sic clavus clavo solet extundi . Beati ergo qui esuriunt & sitiunt justitiam , quoniam ipsi saturabuntur . Numquid (v) non justitia panis cordis ? Et quidem optimè confirmans illud , utpote cibus solidus ad nutrimentum . Habuit quidem (x) Adam justitiam , à justo Deo creatus justus : sed quia non eam ex libero arbitrio direxit , facilè ab ea per idem liberum arbitrium deflexit . Hinc (y) cæcitas cordis , hinc cervicosus furor animositatis , hinc suspicionis , labor anxius , hinc livoris crudele tormentum , & cremantis invidiæ miserior quàm miserabilior cruciatus : hinc divitiarum amor insatiabilis longè ampliùs desiderio torquet animam , quàm refrigeret usu suo : utpote quarum acquisitio quidem laboris , possessio verò timoris , amissio plena doloris invenitur . Postremò ubi multæ opes , multi etiam qui comedunt eas : & usus quidem divitiarum apud alios , divitiibus solum nomen cedit & sollicitudo . Et in his omnibus pro tam exiguis , aut magis ne exiguis quidem , sed nullis eam parvipendere gloriam , quam nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor homi-

nis

s Ser. 3. super missus n. 6. t tract. de Convers. ad Cleric. cap. 14. n. 27. v Ser. 3. de annunt. B. M. V. Inum. 1. 2. x Ser. 66. dit. n. 2. y tract. de Convers. ad Cleric. cap. 8. n. 14.

nis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se : non tam insipientiæ quàm infidelitatis esse videtur . Nec immeritò sanè (z) mundus hic positus in maligno , vana promissione deludit animas propriæ conditionis & nobilitatis oblitus , quas non pudeat porcis in ministerio subiugari , in desiderio fociari , nec sic tamen infelici edulio satiari . Unde enim hæc tanta pusillanimitas & abjectio tam miserabilis , ut egregia creatura capax æternæ beatitudinis & gloriæ magni Dei , utpote cujus sit inspiratione condita , similitudine insignita , cruore redempta , fide dotata , spiritu adoptata , miseram non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem ? Meritò planè ne eos quidem apprehendere potest , quæ talem deserens Sponsam , tales sequitur amatores . Meritò siliquas esuriit , & non accepit , qui porcos pascere maluit , quàm paternis epulis satiari . Insanus siquidem labor pascere sterilem quæ non parit , & viduæ benefacere nolle : omittere curam cordis , & curam carnis agere in desiderio : impinguare & fovere cadaver putridum , quod paulò post vermium esca futurum nullatenùs dubitatur . Nam & servire mammonæ , & avaritiam colere (quod est servitus idolorum .) aut vanitatem sectari , prorsùs degeneris animæ indicium esse quis nesciat ?

CA-

C A P U T V.

*De calliditate Serpentis, quâ decepit Evam,
ut comederet de ligno vetito.*

Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederitis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: Ne fortè moriamur. Dixit autem Serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dii, scientes bonum & malum. *Gen. 3.*

1. *Per serpentem callidum intelligitur Angelus ille superbus, qui prætendebat sibi ponere Sedem in Cælo ad Aquilonem. 2. Per Aquilonem intelliguntur reprobi homines: per Sedem autem intelliguntur potestas Diaboli in illos. 3. Lucifer invidens homini æqualitatem gloriæ, molitus est habere eum sibi subiectum, socium dedignans: & suavit ei ut comederet de ligno vite.*

S. I.

AB initio (A) creaverat Angelos Deus, in quibus beati illius Templi plenitudo constaret, de quo Esajas inquit: Et ea quæ sub ipso erant, replebant Templum. Sed non in omnibus beneplacitum est Deo, quia & in ipsis (ut scriptum est) Angelis suis

a *Ser. 2. de Verb. Esa. n. 5.*

suis reperit pravitatem. Fuit quippè in eis qui diceret: Ponam sedem meam ad Aquilonem: & populum qui sibi crederet, habuit. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit quàm sub Deo: miseri & illi, qui videtes furè cū eo cucurerunt. Exierunt infelices, & vacuus relictus est locus, quem accipiet alter. Propter hoc enim (b) Deus creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusalem restaurarent. Sed tu signaculū similitudinis (c) non in paradiso, sed in deliciis paradisi Dei positus es. Quid amplius quærere debes? Plenus ergo sapientiâ, & perfectus decore, altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris? Sta in te, ne cadas à te, si ābulas in magnis & in mirabilibus super te. Sed quid interim ex obliquo intendis ad Aquilonem? Jam te video, iam te perspicio nescio quæ supra te curiosiùs alta rimantem. Ponam, inquis, sedem meam ad Aquilonem. Cæteris astantibus Cælicolis, dum tu solus sedere affectas; fratrum concordiam, totius cælestis patriæ pacem, ipsius quantum in te est, quietem Trinitatis infestas. Quid te tua, miser, curiositas ducit, ut præsumptione singulari non dubites Civibus scandalum, injuriam facere Regi? Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei: ubi nemo sedere perhibetur, nisi solus is qui sedet super Cherubin, cui à cæteris ministratur: & tu nescio quæ præ cæteris perspiciendo differentiùs, curiosiùs inquirendo, irreverentiùs peruvadendo. sedem tibi collocas in cælo, ut sis similis Altissimo? Quo fine? Quâ fiduciâ? Metiri insipiens vires, pensa finem, excogita modum. Sciente hoc Altissimo præsumis,

an

an nesciente? Volente, an non volente? Sed quomodo malum quodcunque machinaris, aut velle aut ignorare potest, cujus optima voluntas, cujus perfecta scientia est? Numquid autem & scire & nolle non dubitas, sed non posse resistere putas? At verò nisi te conditum esse dubitaveris, dubitare te non crediderim de omnipotentia, siue de omnimoda scientia ac bonitate Conditoris, qui te de nihilo potuit, talem scivit, tantum condere voluit. Quomodo ergo Deum consentire aestimas, quod fieri nolit ac refellere possit? An fortè in te video compleri, imò à te intiari, quod post te & per te à tui similibus in terris frequentatum solet vulgariter dici: Privatus dominus temerarios nutrit? An oculus tuus nequam est, quia ille bonus? De cujus bonitate dum fiduciam nefariam sumis, factus es & contra scientiam impudens, & contra potentiam audax. Hoc est enim ò impie (d) hoc est quod cogitas: hæc est iniquitas, quam meditaris in cubili tuo, & dicis: Putas Creator opus suum destruat? Scio quidem quia non latet Deum qualiscumque cogitatio mea, Deus enim est. Nec placet ei talis cogitatio mea, quia bonus est. Sed nec si velit effugiam manus ejus, quia potens est. Numquid tamen mihi timendum? Si enim cum bonus sit, non potest illi placere malum meum, quantominùs suum? Meum quippe dixerim contra ejus voluntatem aliquid velle: suum autem, si vindicet sese. Tam ergo quodcunque scelus non valet velle ulcisci, quàm nec vult, nec valet sua bonitate privari. Falliste miser, fallis te, non Deum. Te inquam fallis, & mentitur

tur

tur iniquitas sibi, non Deo. Dolosè quidem agis, sed in conspectu ejus. Te ergo fallis, non Deum. Et quia de magno ejus bono in te, tu magnum in eum excogitas malum, meritò iniquitas tua invenitur ad odium. Quæ major inquam iniquitas, quàm ut inde à te Creator contemnatur, unde plùs amari merebatur? Quæ major iniquitas, quàm cùm de potentia Dei non dubites quin te scilicet destruere possit, qui condere potuit: confusus tamen de multa ejus dulcedine, quâ speras eum nolle vindicare cùm possit, mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas? Hæc, inquam (e) iniquitas, non irâ momentaneâ, sed odio digna est sempiterno, quâ tuo Dulcissimo & Altissimo Domino, licet invito, desideras tamen ac speras æquari, quatenùs semper videat quod doleat: dum te socium habeat cùm nolit, nec deiiciat cùm possit, quin potiùs eligat ipse dolere, quàm te patiatur perire. Possit quidem deiicere si vellent, sed præ dulcedine (ut æstimas) velle non possit. Certè si talis est qualem putas, tantò nequiùs agis, si non amas, Et si ille patitur aliquid fieri contra se potiùs, quàm ipse aliquid faciat contra te, quanta malitia est ut vel tu non parcas illi, qui sibi non parcat parcendo tibi? Absit tamen ab ejus perfectione, ut quia dulcis est, justus non sit: quasi simul dulcis & justus esse non possit: cùm melior sit justa dulcedo quàm remissa, imò virtus non sit dulcedo sine justitia. Quia igitur gratuita Dei bonitati, quâ gratis factus es, ingratus existis, justitiam verò quam expertus non es, non metuis, ideoque audacter committis culpam, de qua falso tibi promittis

tis impunitatem: jam ecce justum senties, quem bonum nosti, cadens in foveam quam paras Auctori: ut dum scilicet talem in eum pœnam machinaris, quâ tamen valeat carere si velit, sed ut putas non valet velle, & ideò nec carere ea utique bonitate, quâ neminem expertus es illum punisse: talem justus Deus justissimè in te retorqueat pœnam, qui nec valet nec debet pati suam impunè bonitatem offendi: sic utique temperans in vindicta sententiam, ut si velis resipiscere, non neget veniam, secundùm tamen duritiam tuam & cor impœnitens, non possit velle, & ideo nec pœnâ carere.

§. II.

Sed (f) jam audi calumniam. Cælum (inquit Dominus) mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Non dixit: Oriens, aut Occidens, aut una aliqua Cæli plaga, sed totum Cælum mihi sedes est. Non potes ergo in parte sedere Cæli, cùm ille totum elegerit sibi. In terra non potes, quia scabellum pedum ejus est. Terra etenim locus solidus est, ubi sedet Ecclesiâ, fundata supra firmam petram. Quid facies? E cælo pulsus, in terra remanere non potes. Elige ergo tibi in aëre locum non ad sedendum sed ad volandum: ut qui tentasti concutere statum æternitatis, pœnam sentias propriæ fluctuationis. Te ergo fluctuante inter cælum & terram, sedet Dominus super solium excelsum & elevatum, & plena est omnis terra Majestatae ejus: ut nusquam nisi in aëre invenias locum. Seraphim namque aliis quidem alis suæ contemplationis de throno ad
sca-

scabellum, de scabello ad thronum volantia, aliis caput Domini pedesquè velantia, ad hoc ibi posita puto, ut sicut homini peccanti paradisi per Cherubim prohibetur ingressus, ita & per Seraphim tuæ curiositati modus imponatur; quatenus nec Cæli jam magis impudenter arcana rimeris, nec Ecclesiæ mysteria cognoscas in terris: sed solis contentus sis cordibus superborum, qui nec in terra dignantur esse sicuti cæteri hominum, nec sicut Angeli volant ad cælum. Licet verò & caput in cælo, & pedes in terra à te abscondantur, quiddam tamen tibi medium videndum ad invidendum duntaxat permittitur, dum suspensus in aëre descendentes quidem per te, & ascendentes Angelos intueris: sed quid vel audiant in cælis, vel nuncient terris, penitus nescis. O Lucifer (g) qui manè oriebaris, imò non jam lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer, rectus cursus tuus erat ab Oriente ad Meridiem, & tu præposito ordine tendis ad Aquilonem? Quantò magis ad alta festinas, tantò celerius ad occasum declinas. Velim tamen curiosius, ô curiose, intentionem tuæ curiositatis inquirere. Ponam, inquit, sedem meam ad Aquilonem. Nec Aquilonem hunc corporalem, nec sedem hanc (cùm sis spiritus) intelligo materialem. Puto autem per *Aquilonem*, reprobandos homines fuisse designatos: per *Sedem*, potestatem in illos. Quos utique in præscientia Dei, quantò ei vicinior, tantò cæteris perspicacior prævidens, nullo quidem sapientiæ radio coruscantes, nullo spiritûs amore ferventes, velut vacuum repereris locum, affectasti super illos dominium, quos quãdam

dam tuæ astutiæ claritate perfunderes, tuæ malitiæ æstibus inflammares: ut quomodo Altissimus suâ sapientiâ ac bonitate omnibus filiis obedientiæ prætera, ita & tu super omnes filios superbiæ rex constitutus, tuâ eos astutâ malitiâ ac maliciosâ astutiâ regeres, per quod Altissimo similis esses. Sed miror cùm in præsentia Dei tuum prævideris principatum, cur non in eadem prævidisti & præcipitium? Nam si prævidisti, quæ insania fuit ut cum tanta miseria cuperes principari, ut malles miserè præesse, quàm feliciter subesse? An non expediebat participem esse plagarum illarum luminosarum, quàm principem tenebrarum harum? Sed credibilius est, quòd non prævidisti, aut propter illam causam quam superiùs dixi, quia Dei bonitatem attendens dixisti in corde tuo: Non requiret: propter quod, ô impie Deum irritasti. Aut quia viso principatu, statim in oculo superbiæ trabes excrevit, quâ interpositâ casum videre non potuisti. Denique (h) sedebo, inquit, in monte testamerti, & similis ero Altissimo. Itane modò creatus Patri spirituum confedebis? Et certè necdum tibi dixit: Sede à dextris meis. Si nescis ô impudens, Unigenitus ille est, cui æterna generatione Patris æqualitas collata est & confessus. Tu rapinam cogitans esse æqualis Deo, Filio gloriam invides, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Proinde Lucifer ille (i) qui manè oriebatur, pro eo quòd Altissimi similitudinem usurpare tentavit, & rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est) præcipitatus illicò corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater, & opere dixisse videtur: Mihi

vin-

h Ser. 2. in oët. Pasch. n. 1. i Ser. 1. de Adv. D. n. 2.

vindiſtam, & ego retribuam. Continud videbis ſatanam tanquam fulgur cadentem de cælo. Quid tu igitur ſuperbis terra & cinis? Si ſuperbientibus Angelis Deus non pepercit, quantò magis tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus eſt, tantum cogitavit ſuperbiam, & in momento, in icſtu oculi, irreparabiliter præcipitatus eſt: quia juxta Evangeliftam, in veritate non ſtetit. Hoc autem eſt ſuperbia (k) hoc initium peccati, cum major es in tuis oculis quàm apud Deum, quàm in veritate. Et ideo qui primus peccavit hoc grande peccatum (diabolum loquor) de ipſo dictum eſt, quia in veritate non ſtetit, ſed mendax eſt ab initio: quoniam quòd in ſua fuit cogitatione, non fuit in veritate. Quid ſi in eo diſcordaret à veritate, ut minorem ſe inferioremqùe putaret quàm veritas haberet? Excufaret eum ſua proculdubio ignorantia, & minimè reputaretur ſuperbus: nec tam inveniretur iniquitas ejus ad odium, quàm humilitas fortaffis ad gratiam. Porrò (l) ſuperbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantum innixus alæ, caſum facere potuit, non volatum. Exultavit enim lucidus eſſe, non fervidus, non incenſus, quod Seraphim ſonat. Non ergo ſtetit, quia contempſit: ſed nec volare potuit, quia præſumpſit. Suſtulit eum naturæ vivacitas, ſed in ſuam planè perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox deſecit.

Fugite superbiam, fratres mei (m) quæso multum fugite. Initium omnis peccati est superbia, quæ tam velociter ipsum quoque syderibus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferam: quæ non modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit. Unde & protinùs invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem, suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum & malum. Putasne Lucifer ille(n) qui manè oriebatur, sed præproperè elevabatur, antequam verteret in tenebras, generi nostro inviderit & ipse olei effusionem, ut per seipsum jam tunc indignabundus mussitaret dicens intra se quodammodò: Ut quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere spiritum, sed nec contradicere dico. Nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiâ & perfectum decore, homines præscire potuisse futuros, etiam & profecturos in parem gloriam. Sed si præscivit, in Dei Verbo absque dubio vidit, & in livore suo invidit: & molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infermiores sunt, inquit, inferioresquè naturâ, non decet esse concives, nec æquales in gloria. An fortè prodit impiam hanc ejus machinationem illa præsumpta ascensio sessioquè significans magisterium? Ascendam, inquit, super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis: quo Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem

An-

Angelicam creaturam, ita & ipse altus sederet, regeretquè genus humanum Absit. Iniquitatem meditus est in cubili suo, mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus iudicem quàm Auctorem. Non diabolus, sed Dominus iudicabit orbem terræ: ipse Deus noster in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula. Ergo (o) in Cælo concepit dolorem, & in Parapiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis & ærumnarum omniumquè prima parens superbia. Nam etsi invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati superbia. Verùm quid illi profuit? Nihilominus tu in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum est super nos, Et dicit populus acquisitionis, dicit Ecclesia redemptorum: Oleum effusum nomen tuum. Non est sanè quod vobis (p) vel pro vobis timeam à viribus satanæ & ministrorum ejus, cum noverim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera tractam & deductam ad nihilum. A versutiis tamen & astutiis illius formido mihi est pro vobis, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experienciâ temporum sub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ quaquaversum se verterit non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non urfos, non leones, non fortia terræ animalia delegavit, sed turtuosum & callidum serpentem, qui per sinuosa volumina nunc caput caudâ, nunc caudam capite tegere consuevit. Missus est (q) coluber turtuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius po-

E 2 . . . steri-

steritatis originem. Deniquè (r) & serpens non fortior erat, sed callidior cunctis animantibus terræ, ait scriptura. Unde & ab interrogatione incepit, mentem mulieris explorans, sciens ingenio non viribus laborandum: Cur præcepit vobis Dominus Deus (inquiens) ne comedereris de ligno scientiæ boni & mali? Quæ respondit: Ne fortè moriamur. Quod Deus pro certo posuerat, dicens: Quacunque die comederitis, morte moriemini: Ista sub dubio supponit, ne fortè (inquiens) si comederimus moriamur. Et audi ingenium malitiamquè serpentis: Nequaquam (inquit) moriemini. Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat. Suadet denique (s) ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum & malum. Quid enim polliceris, quid promittis miser: cum Filius Altissimi scientiæ clavem habeat, imo & ipse sit clavis David, qui claudit & nemo aperit? In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: tune eos ut homini præstes, inique furaberis? Videtis quia verè juxta Domini sententiam mendax iste est, & pater ejus. Nam & mendax fuit, dicens: Similis ero Altissimo: & mendacii pater, cum in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens: Eritis sicut dii. Licet quidem (t) divino fuerit munita sigillum, conjunctio corporis scilicet & animæ [ad imaginē quippe & similitudinē suam creavit Deus hominem] heu diruptum est sigillum, & unitas dissipata! Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit: & sic mutata similitudine divina, comparatus

tus

r Ser. 22. diver. n. 3. s Ser. 1. de Adu. Dom. n. 3. t Ser. 2. in Nat. Dom. n. 3.

tus est miser homo jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Rectum quippe fecit Deus hominem, atque hæc similitudo ejus, de quo scriptum est: Quia rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Veracem quoque & justum fecit eum, sicut & ipse veritas & justitia est: nec unitas ipsa posset disjungi, dum sigilli hujus integritas permaneret. Verùm supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius (Væ væ) fregit quod erat manu Divinitatis impressum. Eritis, inquit, sicut dii, scientes bonum & malum. O malevole, ô maligne, ad quid eis hujus similitudo scientiæ? Sint certè sicut Dii, recti, justi, veraces: Sint sicut Deus, in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante stabit unitas illa. Jam experimur miseri quid nobis persuaserit versutia diabolicæ fraudis. Fracto namque sigillo sequitur amarum dissidium, triste divortium. Ubi est quod dixisti nequam: Nequaquam moriemini? Ecce enim morimur omnes, & non est homo qui vivat, & non videat mortem. Deprehensa est (v) maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras Creatori, mendacii & invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convinctus es esse mentitus. Siquidem & ab initio moritur cui dixeras: Nequaquam moriemini: & veritas Domini manet in æternum. Diabolus (x) primus à pietate recessit, & impius factus etiam homines in paradiso positos ab eadem pietate fraude dejecit, volens eos habere socios sui erroris, & participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit,

E 3 &

& illa virum sibi subdidit. Cantavit (y) Angelus periturus in Cælo canticum superbiæ, dicens: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero Altissimo. Cantavit postea detractionis canticum in Paradiso, cum accedens ad mulierem ait: Quare prohibuit vobis Deus ne comederetis de ligno scientiæ boni & mali; tanquam diceret, mala intentione prohibuit. Canticum dubitationis cantavit mulier, dicens: Ne comedamus & fortè moriamur. *O fortè*, quantum infirmitatis nobis induxisti! Videns autem diabolus mulierem dubitantem prorupit ad canticum mendacii, dicens: Nequaquam moriemini. *O nequam, ô nequam!* Ubi est modò tuum, *nequaquam?* Ecce mortui sunt duplici morte, quos dixisti nequaquam morituros. Nequaquam, inquit, moriemini. Malum & vetus canticum hoc verbum veritati contrarium. Dixerat enim Deus: Quacunque die comederitis, morte moriemini; idest mortales efficiemini, scilicet, ut necessitatem tunc habeatis moriendi, qui modò non potestis mori. Si enim in obedientia permansissent, mortui non fuissent.

C A P U T V I.

De modo & ordine prævaricationis Adæ & Eux, qui comederunt fructum de ligno vetito.

Vidit mulier quoddam bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque

y Tract. de vite nryfl. Cap. 25. v. 95.

què virò suo , qui comedit . Et aperti sunt oculi
amborum . Gen. 3.

1. *Eva curiositas perstringitur propterea, quòd curiosè intuebatur lignum scientiæ boni & mali.* 2. *Exponuntur tres dies parentum nostrorum, scilicet inspirans, conspirans, expirans.* 3. *Adam in Paradiso positus peccando perdidit circumspeditionem Dei, ob elationem quæ præcessit in ejus anima: Justitiam, obediendo uxoris voci potius quàm Divina: Judicium, cùm per mulierem retorsit propriam culpam in Deum.*

§. I.

A Dam (a) audierat in paradiso quem acceperat, ut operaretur & custodiret illum. Operaretur delectabiliter, custodiret fideliter & sibi & posteris suis. Et tu quoque ô Eva (b) in paradiso posita es, ut cum viro tuo opereris & custodias illum: si injunctum perfeceris, quandoque transitura ad melius, ubi nec opus sit te in aliquo opere occupari, nec de custodia sollicitari. Omne lignum Paradisi tibi conceditur ad vescendum, præter illud, quod dicitur *scientia boni & mali*. Si enim cætera bona sunt, & sapiunt bonum, quid est opus edere de ligno, quod sapit etiam malum? Non plus sapere quàm oportet sapere. Sapere enim malum, sapere non est, sed desipere. Serva ergo commissum, expecta promissum: cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illò tam crebrò vagantia lumina jadis? Ut quid

(c) cùm immortalis sis, mortalia non contemnis & transitoria: contenta tibi similibus immortalibus & æternis? Vidit (inquit scriptura) mulier lignum quòd esset pulchrum oculis, & aspectu delectabile, & suave ad vescendum. Non est tua, ô mulier, ista suavitas, ista delectatio, istaque pulchritudo. Et si tua pro parte luti, non tua solius, sed communis cunctis animantibus terræ. Tua, quæ verè tua est, aliunde & alia: nam æterna est de æternitate. Quid tu animæ tuæ aliam formam, imo deformitatem imprimis alienam? Quid spectare libet (d) quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum: non est interdictum ne videam, sed ne comedam. An non licet oculos quòd volo levare, quos Deus in mea potestate posuit? Ad quod Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Et si culpa non est, culpæ tamen iudicium est. Nisi enim mens minus se curiosè servaret, sua curiositas tempus vacuum non haberet. Et si culpa non est, culpæ tamen occasio est, & iudicium commissæ, & causa est committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabatur, blandè alloquitur. Blanditiis rationem, mendaciis timorem compefcit: Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & furripit Paradisum. Hauris virus peritura, & perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur: ideoque nascimur morituri, quia priùs morimur nascituri. Propterea grave jugum super

om-

c. Ser. 22. in cant. n. 3. & 4. d. Tratt. de grad. humil. cap. 10. n. 32.

omnes filios tuos usque in hodiernum diem. In quibus periit dies (e) in qua nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Hieremias quoque maledicebat dicens : Maledicta dies, in qua natus sum. Omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus qui dixit: Aperientur oculi vestri. Adde (f) quoddam appetentia terrenorum (quæ quidem omnia ad interitum sunt) densat tenebras, ita ut in Anima sic vivente nil à parte aliqua nisi pallida facies, & imago quædam mortalitatis apparere cernatur. Cur non enim quæ immortalis est, similia sibi immortalia appetit & æterna: ut quod est appareat, & quod facta est, vivat? Cæterùm contraria sapit & quærit, & mortalibus sese degneri conversatione conformans, immortalitatis candorẽ quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortalis dissimilem faciat? Qui tangit picem (ait Sapiens) inquinabitur ab ea. Fruendo mortalibus mortalitatem se induit, & vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exuit. Evam attende quomodo ejus anima immortalis, immortalitatis suæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Prima siquidem (g) post prævaricationis Angelicæ ruinam Eva peccavit, inquietudine spiritûs agitata, & interdicti Dominici jugum suave & leve onus abiiciens: quoniam expectare noluit, ut de manu Dei,

unde

e Ser. 2. in Vig. Nat. Domini n. 3. f Ser. 82. in Cons. num. 3.
g Ser. 1. in Fest. SS. Omnium n. 9.

unde jam cætera acceperat , perfectionem quoque beatitudinis mereretur , sed preripere illam serpentis consilio attentavit . Propter hoc Paradisum perdidit, terram deliciarum : propter hoc in ipso corpore contrariam legem invenit . Testis est ipse Apostolus (h) qui ait : Invenio aliam legem in membris meis , repugnantem legi mentis meæ . Numquid suum quod carnis suæ est , & non suum quod mentis suæ est ? Ego dico & plus . Quidni dicam , quod idem ipse Magister dicit ? Nam mente quidem serviens legi Dei , carne autem legi peccati , quid magis suum fateatur evidenter ostendit , cum malum quod in carne est , ita à se alienum censet , ut dicat : Itaque jam non ego operor illud , sed quod habitat in me peccatum . Et ideò fortassis signanter aliam dixerit legem inventam in membris suis, quòd alienam hanc & quasi adventitiam reputaret . Constat sanè (i) ab initio non fuisse sic , sed in parentibus primis ante primam illam mandati prævaricationem non modò regnasse peccatum , sed nec fuisse quidem . Attamen quodammodò jam tunc propè illis fuisse videtur , quod tam facilè persuasum est , quod tam festinanter intravit . Quid verò aliud admonebat , quàm & ipsam quoque peccati pœnam etsi necdum inesse corporibus jam tamen velut præ foribus esse , qui dixit : In quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali , morte moriemini . Crudelis nimirum Eva (k) per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit . Virus hoc (l) mortiferum de pomi sui reliquiis Eva etiam nobis propinavit, quando

h Ser. 81. in Cant. num. 10. i Ser. 10. super Psal. 90. n. 5. k Ser. 1. de Virg. Deip. n. 2. l Ser. 3. de Vig. Dei p. n. 7.

do succi noxialis gustu inebriata, & reliquias dimisit paruulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, non item in nos diffudisset, Nec duxerim reprehendendum, (m) si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Nam ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus Serpentis antiqui, cepit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique prohi sunt sensus hominis, & cogitationes in malum ab adolescentia: hoc est, ab insipientia primæ mulieris. Ita insipientia mulieris saporem boni exclusit, quia Serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit.

§. II.

Plasmato homine de limo terræ [n] Plasmator, sicut vera narrat historia, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, factus proinde illi dies *inspirans*. Et ecce invida nox callidè impexit in diem hæc, luce utique simulata. Nam dum quasi splendidius lumen scientiæ pollicetur, inopinatas novæ luci offudit pravi tenebras consilii, & primordiis originis nostræ tetram damnosæ prævaricationis invexit caliginem. Væ væ, nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant nescientes, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Denique comedit de ligno mulier quod sibi dederat serpens, quod vetuerat Deus: deditquè viro suo, & cepit illis quasi de novo diæscere. Nam illic aperti sunt oculi amborum, & factus est dies *conspirans*, inspirantem extundens, & substituens *expirantem*. Conspiraverunt liqui-

dem.

dem, & convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus, serpentis astutia, mulieris blanditiæ, viri mollities. Unde & loquebantur mutuo, Dominus scilicet & Christus ejus: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*, quod ad utriusque injuriam lactantibus se peccatoribus acquievisset. Revera enim [o] principes nostri Adam & Eva principia nostræ propaginites, inobedientes & socii furum, dicente Domino: *Principes tui infideles; vel ut alia translatio habet, inobedientes socii furum*: qui quod Filii Dei est, serpentis imò diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat injuriam Filii Pater, Pater enim diligit Filium: sed continuo in ipsum hominem vindictam retribuit, & aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Adam [p] in paradiso positus, primò perdidit *circumspectionem Dei*. Testatur enim B. Augustinus, quod nequaquam tentator hominem de paradiso ejecisset, nisi aliqua elatio in anima hominis præcessisset, cum verissimè scriptum sit: *Ante ruinam exaltatur cor*. Et ideo [q] elatam animam Deus Pater non sustinet. Pater enim diligit Filium, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Verbi, semper in promptu habet deiicere atque destruere, sive immittendo zelum, sive intendendo: quorum alterum misericordiæ, alterum iudicij est. Utinam in me omnem extollentiam comprimatur, imò deiiciatur, & ad nihilum redigatur non accensus furor, sed infusus amor.

Uti-

o Ser. 1. de Adv. Domini n. 4. p Serm. 102. diu. n. 1. q Serm. 69. in Cant. n. 3. & 4.

Utinam discam non superbire, sed vnctione potiùs, quàm ultion e magistra. Domine, ne in furore tuo arguas me, sicut Angelum extollentem se in Cælo: neque in ira tua corripas me, sicut hominem in paradiso. Ambo iniquitatem meditati sunt, altitudinem affectantes, ille potentiæ, iste scientiæ. Denique credidit insipiens mulier pollicenti, sed seducenti: *Eritis sicut dii, scientes bonum & malum*. Jam sese ante seduxerat, cui persuaserat similem fore Altissimo. Nam qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Verùm utraque altitudo dejecta est, sed in homine mitiùs, judicante ita illo qui omnia facit in pondere, & mensura. Nam Angelo in furore punito, imò damnato, homo iram tantùm sensit, & non furorem. Nempe cùm iratus fuit, misericordiæ recordatus est. Propter hoc semen ejus filii iræ & non furoris usque in hodiernum diem. Verùm [r] novit in affectum malitiæ & nequitiae transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse, ideoquè perire necesse est pænitere nolentes. Patris enim amor, & honor Regis judicium diligit. Novit inquam superbiam Moab, quòd superbus est valdè: & superbia ejus pænitentiae remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem: quippe quem supplantavit aliena malitia; ideoquè prodesse ei potest charitas aliena. *Secundo* [s] Adam perdidit *justitiam*, quando uxoris voci plùs quam Divinæ obedivit. *Justitia* enim est virtus, quæ suum cuique reddit.

Adam

Adam [t] portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quodd mulieri quidem compassus est: sed si esuriisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modò uxori, sed multò magis Creatori. Debebat enim vxori compassionem utique & disciplinam tanquam inferiori. Caput enim mulieris vir. Debebat autem Deo obedientiam atque subjectionem. Tertio Adam [u] amisit *judicium*, cum post peccatum correptus, obliquè per mulierem retorfit propriam culpam in Auctorem, dicens: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Verba malignitiæ [x] sunt hæc, ô Adam, quibus magis augeas quàm deleas culpam: cum occasionem veniæ quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit. Et ideo [y] portamus omnes impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ. Eva utique vivente in carne nostra, cujus per hæreditariam concupiscentiam serpens nostrum suæ factioni sedula fatagit sollicitudine vindicare consensum. Propterea (ut dixi) huic diei maledixere Sancti, brevem optantes & citò verti in tenebras, quodd sit contentionis & contradictionis dies, dum non cesset in ea caro concupiscere adversùs spiritum, legiq; mentis membrorum contrariâ lex rebellionè infatigabili assiduè contradicat. Itaque dies *expirans* factus est. Extunc enim & deinceps quis est homo qui viveret, & non videbit mortem? Dicat pro ira quis, ego non minùs pro misericordia putem, ne electos scilicet, propter quos omnia fiunt, diu defatiget molesta contradictio, quâ

t Ser. 1. de nu. Sanct. n. 11. u Ser. 102. diu. n. 1. x Ser. 1. supermissus n. 3. y Ser. 72. in Cant. n. 9.

quâ captivi ducuntur & ipsi in lege peccati, quæ est in membris ipsorum. Horrent nimirum ægerrimequè ferunt turpem captivitatem, & tristem contentionem.

§. III.

In primo denique mandato [z] quod parentibus nostris datum est, si diligenter consideres, & Eva patiens, & Adam benevolus fuisse videntur. Quia tamen uterque cecidit, liquet quòd stabili non erat ille vel illa gradu. *Vidit mulier lignum* (ait Scriptura) *quòd esset pulchrum visu, & ad vescendum suave*. Nonne tibi videtur vix continere manum? Sic & ubi à serpente interrogata est, vide si non manifestè sonant verba ejus molestum ei fuisse mandatum. Ex omni, inquit, ligno Paradisi comedimus, de ligno autem scientiæ boni & mali, dixit nobis, ne comedamus. Non dicit, sic est voluntas Creatoris: quare sic, ipse novit: nobis sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate ejus. Itaque facilè seducta est mulier & promissioni credere, & acquiescere persuasioni. Vir autem non seductus est, sed subversus mulieris amore. Optaret enim semper servare mandatum quod sibi utile noverat, si non mulier ei aliud suaderet. Nec aliquam in servendo mandato visus est pati difficultatem, sed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem. Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: Sic oportet fieri; quia timore urgetur. Dicit voluntas bona:

Sic

Sic expedit, & sic agendum est; quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur a spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo inquit, sic cupio, sic desiderio vehementer. videtis quanta sublimitas, quanta securitas, quantaquæ suavitas charitatis? Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenit statum. Beati [a] qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hoc verbum adversus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quoddam mulieri quidem compassus est: sed si esurisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modò uxori, sed multò magis Creatori. Sed quid putamus, Fratres, quàm plurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, & tamen insipienter imitantur? Indignantur adversus Adam, quòd obedierit voci uxori suæ plùs quàm Dei, & ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicèt audiunt plùs quàm Deum. Fratres, si modò presentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor ejus, crearctari inter precem uxoris & præceptum Creatoris, non ne clamaremus adversus illum dicentes: Cave tibi miser, vide ne feceris? Seducta est mulier, non acquiescas ei? Ut quid ergo quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis? Duo loca [b] sunt animæ rationalis: inferior quem regit, & superior in quo requiescit. Inferior quem regit, est corpus. Superior in quo quiescit, est Deus. De utroque potest rectè intelligi quod scriptum est: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris,*

^a Ser. 1. de omni. Sanct. n. 11. ^b Ser. 84. dicitur. 1.

ris: vel inferiorem scilicet regendo, vel Superiorem quiescendo. Sed hoc quod prius dixi, convenit rudibus adhuc & imperfectis, quibus loquitur Apostolus: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae & iniquitati ab iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* Habet quippè anima tria facere in corpore, vivificare, sensificare, & regere. Sed sive auferatur vita, sive sensus perturbetur, de neutro condemnatur. Sin verò tentatori victa succubuit, hoc illi ad peccatum reputatur. Dicitur ei ergo, ne ascendente super eam spiritu, locum suum deserat, hoc est, ne ingruente tentatione membra sua arma iniquitatis peccato exhibeat. Notandum autem [c] quod dicitur: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis.* Nihil quippè adversus nos malignus spiritus potest nisi missus aut permissus. Unde cum ejus sit voluntas semper mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex seipso sibi inest, potestatem verò non aliunde quàm à Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quàm eorum exigunt merita qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco dicta sunt. Cæterùm de superiori hoc intelligitur, ne quietem mentis quam in Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecunque ille tentaverit, ipsa mens in Deo fixa constanter in tranquillitate permaneat. Hæc posterior sententia convenit perfectis, qui cum Elia dicere possunt: *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu stō.* Et illud de Joan-

ne Apostolo: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Hæc inquam sententia convenit perfectis, qui jam in sua conversatione quodammodò imitantur statum æternitatis.

CAPUT VII.

De malii successis Adæ & Evæ ex manducatione pomi de ligno Vetito.

Cumquè cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata. *Gen. 3.*

1. *Adam & Eva parentes nostri erant quidem induti quatuor Virtutibus, sed eisdem postquam peccarunt despoliati sunt.* 2. *Agitur de triplici lapsu primorum parentum nostrorum, secundum triplicem potentiam Animæ.* 3: *Ostenditur Animam nostram triplici vanitati subjectam, debere sperare se liberandam ab hac vanitate post hanc vitam miseram.*

§. I.

AD imaginem (a) & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Videre mihi videor (b) quatuor virtutibus amictum esse primum hominem ab ipso suæ Creationis exordio, scilicet Misericordiâ & Veritate, Justitiâ & Pace: & ut Propheeta Esajas meminit, vestimento salutis indutum. Est enim in his quatuor illa salutis integritas: nec
fine

^a Ser. 1. in Annunt. B. M. V. num. 7. ^b ibidem num. 6. & 7.

sine his omnibus potest constare salus, præsertim cum nec possint esse virtutes, si ab invicem separentur. Acceperat ergo homo *Misericordiam*, custodem scilicet atque pedisequam, ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum, ipsaque protegeret & conservaret ubiq; Vides qualem nutritium contulit parvulo suo Deus, qualem dedit pedisequam homini recens orto, Sed erat illi necessarius etiam Eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam paruulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat aptior inveniri, quàm *Veritas* ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando *Veritatis*. Interim verò ne sapiens inveniretur ut malum faceret, essetquè peccatum ei tanquam scienti bonum & minimè facienti, *Justitiam* quoque quâ regeretur accepit. Adhuc autem & *Pacem* quâ fove retur & delectaretur, addit manus benignissima Creatoris. Pacem utique duplicem, ut nec intus pugnæ, nec foris timores: id est, nec caro concupisceret adversus spiritum, nec esset ei creatura ulla formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina, & serpens ipse, qui violentiâ non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat? Sed heu, homo iste ad multam perniciem & insipientiam sibi, descendit de Hierusalem in Hierico. Si quidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur despoliatus. An non despoliatus, qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Sed quia (c) spoliatum

F 2

virtu-

virtutibus quatuor hominem diximus, quonam modo singulis sit spoliatus, congruum est ut dicamus. Perdidit homo *Justitiam*, cum Eva serpentis, Adam mulieris voci-obedivit potius quam Divinæ. Erat tamen residuum, aliquid quod apprehendere possent, idquæ Dominus suo illo scrutinio innuebat, sed abjecerunt etiam illud, conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Prior enim justitiæ portio est non peccare, secunda per pœnitentiam damnare peccatum. Perdidit & *Misericordiam*, cum sic exarsit Eva in concupiscentia sua, ut nec sibi, nec viro, nec filiis parceret nascituris, simul omnes terribili maledicto & necessitati mortis addicens. Adam quoque indignationi Divinæ mulierem pro qua peccaverat, objecit: quasi post tergum ejus volens declinare sagittam. Vidit enim mulier lignum quoddam esset pulchrum visu, & ad vescendum suave, & à serpente audierat tanquam deos se futuros. Funiculus triplex difficilè rumpitur, curiositatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc sola mundus habet, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. His abstracta & illecta misericordiam omnem crudelis mater abjecit. Sic & Adam, qui mulieri malè misertus est ut cum ea peccaret, benè noluit miseri ut pœnam sustineret pro ea. Privata est etiam mulier *Veritate*, primò quidem malè detorquens quod audierat, *Morte morieris*, & dicens, *Nefortè moriamur*: demùm serpenti credens penitus abneganti & dicenti: *Nequaquam moriemini*. Privatus est & Adam *Veritate*, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc est excusationum operimenta prætendens. Siquidem ipsa

Véri-

Veritas dicit: *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo.* Pacem quoque protinùs amiserunt; quia non est pax impiis, dicit Dominus. Nonne enim contrariam legem invenerant iu membris suis, quos de nouo pudere cæperat nuditatis? Timui ego (inquit Adam) eò quòd nudus essem. Non sic miser, non sic paulò antè timebas, non quærebas folia, licet corpore nudus sicut & modò.

§ I I.

Beata illa (d) & sempiterna Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unus Deus, scilicet summa Potentia, summa Sapientia, summa Benignitas creavit quandam trinitatem ad imaginem & similitudinem suam, Animam videlicet Rationalem: quæ in eo præfert vestigium quoddam illius summæ Trinitatis, quòd ex *memoria*, *Ratione*, & *voluntate* consistit. Creavit autem eam hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus effet beata: averfa ab illo, quocunque se conferret, remaneret misera. Sed hæc trinitas creata elegit potiùs per motum propriæ voluntatis cadere, quàm ex gratia Conditoris per arbitrium proprium stare. Cecidit ergo per suggestionem, delectationem, consensum, ab illa summa & pulchra Trinitate, scilicet Potentia, Sapientia, Puritate, in quandam contrariam & fædam trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. *Memoria* enim facta est impotens & infirma, *Ratio* imprudens & tenebrosa, *Voluntas* impura. Porrò *Memoria*, quæ simplicis Divinitatis

potentiam stans cogitabat, ab illa cadens & velut supra saxa corruens, in tres partes contracta diffiliit, scilicet in cogitationes affectuosas, onerosas, ociosas. *Affectuosas* voco illas, in quibus ipsa memoria afficitur, ut in curis rerum necessariarum, edendi, bibendi, cæterorumquæ similium. *Onerosas*, in exterioribus administrationibus & occupationibus duris. *Ociosas*, quibus nec afficitur, nec oneratur: & tamen ab æternorum contemplatione per illa distenditur, ut si cogitet, verbi gratiâ, equum currentem, aut avem volantem. *Rati:nis* quoque (e) triplex casus est. Siquidem ejus erat discernere inter bonum & malum, verum & falsum, commodum & incommodum. In quibus discernendis tanta modò caligine cæcatur, ut sæpè in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro comodo, & è converso. Nunquam verò in his falleretur, si nunquam lumine à quo creata est, privaretur. Sed quia & ipsa inde cecidit, proculdubio nihil aliud quàm tenebras suæ cæcitatatis invenit. Vnde factum est ut instrumentum perderet, scilicèt illud trivium sapientiæ, Ethicam, Logicam, Physicam: quas nos possumus aliis vocare nominibus, moralem, inspectivam, & naturalem scientiam. Siquidem per Ethicam eligitur bonum, reprobatur malum: per Logicam cognoscitur verum & falsum: per Physicam cognoscitur commodum & incommodum, idest, quid in usum assumendum sit, quid uè respuendum. Denique *Voluntatis* ruina (f) similiter tripartita est. Quæ enim summæ benignitati & puritati inhærere, & eadem diligere debuit, per propriam iniquitatem

à su-

e *Ibid.* num. 2. f *Ibid.* num. 3.

à supernis in hæc infima lapsa, per concupiscentiam carnis & concupiscentiam oculorum & ambitionem sæculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, ubi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota Animæ substantia perimitur? Verumtamen (g) quæ utilitas in omni labore isto? Nempè hæc. Docuimus omnes Animam licet oneratam vitiis, peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, dissentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, solitudinibus anxiam, suspitionibus inquietam, & postremò advenam in terra inimicorum juxtà Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt: licet, inquam, sic damnatam, & sic desperatam, docuimus tamen hanc in sese posse advertere non-modò unde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat: sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire sædus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege ducere Angelorum non vereatur. Quid enim non tutè audeat apud eum, cujus se insignem cernit imagine, illustrem similitudine novit? Quid, inquam, vereatur de Majestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est ut curet naturæ ingenuitatem vitæ honestate servare, imò cœlestè decus quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumquè venustare & decorare coloribus. Ut quid enim (h) dormitet industria? Grande profectò in nobis donum naturæ ipsa est: quæ si minùs suas exequatur partes:

nonne quod reliquum habet natura in nobis, totum quasi quadam vetustatis operietur rubigine? Id quidem injuria Auctori. Et utique ad hoc Auctore ipse Deus divinæ insigne generositatis perpetuè voluit in Anima conservari, ut semper hæc in sese ex Verbo habeat, quo admoneatur semper aut stare cum Verbo, aut redire si mota fuerit. Nonmodò quasi locis migrans, aut pedibus gradiens, sed mota (sicut substantiæ utique spiritali moveri est) cum suis affectibus, imò defectibus à se quodammodò in pejus vadit, cum se sibi vitæ & morum pravitate dissimilem facit, reddit degenerem: quæ tamen dissimilitudo non naturæ abolitio, sed vitium est, bonum ipsum naturæ quantum sui comparatione attollens, tantum sædans conjunctione. Jam verò Animæ reditus, conversio ejus ad Verbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In charitate. Ait enim Apostolus: Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in delectatione sicut & Christus dilexit vos.

§. III.

Respiremus itaque, Fratres (i) etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. Triplici quidem vanitati (k) nobilis creatura subjecta est non volens, nimirum quod & ratio sepius in judiciis fallitur, & voluntas quadruplici perturbatione jactatur, & memoria multiplici oblivione confunditur: in spe tamen est. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse Rationi futurus est plenitudo lucis, ipse Voluntati multitudo pacis, ipse Memoriæ continuatio æternitatis. O veritas,

i. *Ser. 5. in dedicat. Eccl. 2. 4.* k. *Ser. 11. in Cant. 2. 5. & 6.*

ritas, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat. Discendens à te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus. Heu me qualem pro te commutavimus trinitatem? *Cor meum conturbatum*, & inde dolor: *Dereliquit me virtus mea*, & inde pavor: *Et lumen oculorum meorum non est mecum*, & inde error. En quàm dissimilem Trinitatem ô animæ meæ trinitas exulans offendisti. Verumtamen quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cum error videlicet à Ratione, à voluntate dolor, atque à Memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira serenatas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in nobis: *Ratione* recipiente lucem inextinguibilem, *Voluntate* pacem imperturbabilem consequente, *Memoria* fonti indeficienti æternaliter inhærente. O Anima mea (1) si vis amari à Deo, reforma in te imaginem suam, & amabit te. Consilio namque Sanctæ Trinitatis, ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus; quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tantò eum ardentius diligeres, quantò mirabilis ab eo te conditam intelligeres. Considera ergo nobilitatem tuam, quoniam sicut Deus ubique est totus, omnia vivificans; omnia movens & gubernans: ita tu in corpore tuo ubique tota es, illud vivificans, movens & gubernans. Et sicut Deus est, vivit, & sapit: sic & tu secundum

1 *Tractatu de interiori domo cap. 38. tom. 5. pag. 444.*

dum modum tuum es, vivis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt personæ, Pater & Filius & Spiritus sanctus: sic & tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus: non tamen tres dii, sed unus Deus, & tres personæ. Ita Anima est intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres Animæ, sed una Anima, & tres vires. Ex quibus Animæ viribus quasi excellentioribus jubemus Deum diligere, ut diligamus eum toto corde, tota anima, tota mente: id est, toto intellectu, tota voluntate, & tota memoria: hoc est, toto affectu, sine defectu, cum discretionis intuitu. Nec solus sufficit de Deo intellectus ad beatitudinem, nisi sit in amore ejus voluntas. Imò hæc duo non sufficiunt, nisi memoria addatur, quâ semper in mente intelligentis & volentis maneat Deus: ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate vel misericordia; ita nullum sit momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Porro (m) intellige dignitatem tuam nobilis Creatura, quoniam non solum insignita es Dei imagine, verumetiam decorata similitudine. Sicut enim Creator tuus, qui te ad similitudinem suam creavit, est charitas, bonus & justus, suavis & mitis, patiens & misericors: ita tu creata es, ut charitatē haberes, & esses munda & sancta, pulchra & decora, mitis & humilis. **Quas virtutes**

tutes quantò plùs in te habebis , tantò propinquior Deo eris , & majorem tui Creatoris geres similitudinem . Quid majus his tibi facere potuit , quàm ut ad similitudinem suam te conderet Factor tuus , & eisdem virtutum vestimentis te ornaret , quibus ipse ornatus est ? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam , & venerandam Sanctæ Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce : honoremquè similitudinis Divinæ ad quam creata es , habere stude nobilitate morum , exercitio virtutum , dignitate præmiorum : ut quando apparebit qualis sit , tunc similis ei apparere possis . Similis enim similem quærit : et qualem te paraveris Deo , talis necesse est appareat tibi Deus . Si ergo naturalem pulchritudinem tuam in te reparaveris , concupiscet Rex decorem tuum , quoniam ipse est Deus tuus .

C A P U T V I I I .

De Scrutinio Dei factò in paradiso cum Adam & Eva , statim ac comederunt fructum de ligno vetito .

Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem , abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi . Vocavitquè Dominus Deus Adam , & dixit ei : Ubi es ? Quiait : Vocem tuam audivi in paradiso , & timui ed quòd nudus essem , & abscondi me . Cui dixit : Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses , nisi quòd ex ligno , de quo præceperam tibi ne comederes , comedisti ? Dixitquè Adam : Mulier , quam dedisti mihi sociam , dedit

dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi. Gen. 3.

1. Adam excusando se in peccato, & retorquendo illud in mulierem, magis auxit quam delevit culpam.
2. ostenditur quanta in uno Adæ & Evæ peccato commissa sunt peccata.
3. Tres sunt inimici nostri, diabolus, mundus, & corpus: qui continuò impellunt nos in ruinam, sed non evertunt nisi consentientes.

§. I.

ADam(a) dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter Evam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Multis itaq. modis (b) fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit qui se excusat, non feci: aut feci quidem, sed benè feci: aut si malè, non multum malè: aut si multum malè, non mala intentione. Si autem & de illa sicut Adam vel Eva convincitur, aliena suasionem excusare se nititur. Nolo autem [c] ignorare vos, Fratres, quonammodo descendatur imò cadatur in illas. *Primus* enim gradus descensionis hujus, dissimulatio est propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis: dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi persuadens homo aliquid se esse cum nihil sit, jam ipse se seducit. *Secundus* gradus est ignorantia sui. Ubi enim in primo gradu inutilia sibi consuerit perizomata foliorum, quid superest

in Ser. 2. sup. xvij. vs. 3. b. tract. de grad. humil. cap. 17. c. Ser. 11. sup. Psal. 60. vs. 6.

perest nisi vulnera tecta non videat, præsertim cum ad hoc solùm texerit ne videret? Ex hoc tandem fit ut etiã alio revelãte, vulnera non esse cõtendat cõversus in verba malitiæ ad excusãdas excusationes in peccatis. Atq; is quidẽ gradus *tertius est* admodũ vicinus, imò contiguus præsup̃tioni. Quid enim mali jam ac̃itare vereatur, qui præsumit & defensare? Frustra quoque comparant quidam [d] quaslibet inobedientias antiquæ illi quæ facta est in paradiso, quæ nimirum valvit non solùm obligare personam, sed & vitiare naturam. Arbitror tamen & ipsam primam gravissimamquè prævaricationem, aut non aliunde, aut inde maxime judicatam gravissimam, hoc est, ex rebellione defensionis quæ secuta est, quando Deo causam requirente peccati, ut peccatores ad pænitentiam provocaret, nolebat quippe mortem eorum, sed magis ut converterentur & viverent, ipsi malverunt declinare cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et quidem gemina malitia peccatoris. Primùm, quòd nec sui miseratus est ut culpam propriam fateretur, & sanaretur. Deinde quòd & uxorem [e] ut se fallaciter excusaret, crudeliter accusavit. Quid dicebas ô Adam? Mulier, quam didisti mihi dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Sanè occasionem veniæ a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit. Cantavit Adam [f] canticum excusationis in peccato, cum dixit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Ac si dice-

ret: . . .

d tract. de præcep. & dispensati cap. 11. n. 27. e Sæp. 2. super miss. n. 3. f tract. de vitemist. cap. 25. n. 95.

ret: Tu potiùs accusandus esses, qui talem mihi junxisti mulierem, quæ me ad peccandum induceret. Hinc homines [g] se de infirmitate vel ignorantia tegunt, ad excusandas excusationes in peccatis. Sed frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licet ipse non libenter peccavit, quòd se per uxorem tanquam per carnis infirmitatem defendit? Aut primi Martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erunt? Qui igitur studio, amore peccandi à veritate se sentiunt alienatos, infirmitate & ignorantia pressos: studium in gemitum, amorem in mærorem & infirmitatem convertant, infirmitatem carnis fervore justitiæ vincant, ignorantiam liberalitate repellant: ne si nunc egentem, nudam & infirmam veritatem ignorant, cum potestate magna & virtute venientem, terrentem, arguentem, serò cum rubore cognoscant. Nec etiam [h] intentionem [fortè quia latet homines] excusare delectet, si sit rea: nec levigare culpam, quæ gravis est: nec alieno obumbrare suasu, cum invitum nemo coëgerit. Primum illud non confessio est sed defensio, non placat sed provocat. Sequens monstrat ingratitudinem: & quòd minor reputatur culpa, eò minuitur & gloria indultoris. Sed enim minùs libenter beneficium datur, quod minùs gratè minusuè necessariè provenire sentitur. Veniam proinde sibi adiudicat, qui munus largitoris attenuat: quod quidem omnis, qui reatum suum verbis alleviare conatur, facit. Jam à postremo primi hominis dehorte-

tur

tur exemplum, nec culpam siquidem diffitentis, nec tamen consequentis veniam, non dubium quin ob reatus mulieris admixtionem. Genus excusationis est, eum argueris tu, alium inculcare. Porro excusare te velle quando corripieris, quam sit non modò minimè fructuosum sed & perniciosum, Sanctum David interroga. Verba nempe malitiæ excusationes in peccatis appellat, ne in ea declinet cor suum rogans & supplicans. Meritò quidem. In animam etenim suam peccat qui se excusat, repellens proinde à se indulgentiæ medicinam, & sic vitæ sibi proprio ore intercludit. Et quænam major malitia, quam propriam armari in salutem, & linguæ tuæ temetipsum mucrone confodere? Denique qui sibi nequam, cui est bonus? Antiqua illa tam nota (i) & tam noxia prævaricatio, facilè, ut creditur, indulgentiam consequeretur, dummodò confessio & non defensio sequeretur. Neque enim tantum, ut dictum est, nocuit simplicis actionis (quamvis ex deliberatione) transgressio: quantum adjunctæ excusationis cum præmeditatione obstinatio. Proinde cavete [k] canticum excusationis in peccatis. Nemo æstimet se sine peccatis esse: nec cum cognoverit illa, excuset se, sicut stulti solent adhuc hodie loquentes excusationem Adæ, & dicentes: Mulier, quam dedit mihi Deus, seduxit me. Quare talem mulierem dedit mihi Deus, quæ me seducat? Mulier ista seducens virum, est caro spiritum nostrum seducens ad consentiendum peccatis, pro qua stulti Deum quotidie accusant, seipsos in peccatis volventes, & dicentes se carnis

nis

i *Tract. de præcep. & dispens. cap. 11. n. 27.* k *Tract. de vit. m. g. s. cap. 26. n. 99.*

nis illecebris non posse resistere, quam acceperunt à Deo. Grande valdè est peccatum illud, accusare Deum optimum, qui fecit omnia bona valdè propter te: & præcipuè ipsum hominem præ cæteris creaturis exornavit. Bonum sine dubio fecit te Deus bonus, qui fecit omnia bona valdè propter te. Neque enim bonus esset, si te malè fecisset, propter quem omnia fecit, quæ propter te bona facta valdè fecit omnia. Bonum ergo & valdè bonum fecit te Deus. Bonus tu ipse, te verè malum facis. Si deleveris in te quod tu ipse facis: invenies valdè bonum te esse inter creaturas quas ipse fecit.

§ II.

Denique (l) primos parentes non vrsus aut leo, sed potius serpens, callidior utique non fortior cæteris animantibus supplantavit. Nec mulierem vir, sed mulier virum supplantavit. *Primum* itaque (m) peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus ejus non fuit subiectus Creatori, nec caro sit subiecta spiritui. Noluit (n) Anima regi à Deo, non queat regere corpus. Si non paret Superiori, inferiori cur imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam: inveniat Anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventris est homo Divinæ legis: inveniat ipse aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in legem peccati. *Secundum* peccatum fuit, (o) quòd ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa
pecca-

l Ser. 11. int. diver. n. 2. m Ser. 66. dit. n. 1. n Tract. de exhor. ad milit. empl. cap. 11. n. 19 o Ser. 66. inter. dit. n. 1.

to: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodò enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus associare sibi consortem. Non mediocris (p) titulus profectò virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentia retinere candorem, & morum lenitatem. *Tertium* peccatum (q) commisit Adam, qui consensit. Adam enim, sicut ait Apostolus, non est seductus, mulier autem seducta in pravaricatione fuit. Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit Divinæ. Unde & à Domino ei dictum est: Pro eo quòd obedisti voci uxoris tuæ plus quàm meæ, maledicta terra in opere tuo. Justum quippe erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis verò ambigat plus eum debere Conditori, quàm uxori? Siquidem uxori erat strictus tantùm per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum, quàm unum tantùm erga conjugis affectum. *Quartum* æquè peccatum commisit Adam, quòd propriam culpam retorfit in uxorem, cum ait: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Primò quidem crudelis in se, qui peccatum suum excusavit: secundò in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cujus amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum

G est:

p Ser. 48. in can. n. 2. q Ser. 66. in. diver. n. 66. 1. & n. 2. r Ser. n. 1. de omn. sanctis. 12.

est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Adæ utique (r) crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur uxoris amore peccasse. Ecce enim scimus, ô Adam, quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua est, & ejus amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricationis, oppone te discrimini propter illam, & dic: Domine, mulier infirmior est, mulier saducta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: Mulier (inquit) quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. O perversitas! Pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Quomodo, proh dolor, omnia confudisti, perniciosè misericors, ubi severus esse debueras: & perniciosius crudelis, ubi misericordiam impendere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere verò pro ea libenti animo debuisti. Sic enim oportet fieri, Fratres, ut nunquam propter alium homo peccet, quod est *justitiæ*: & libenter aliena peccata portet, quod est *misericiendi*. Quintum peccatum (s) fecit Eva, quæ cum increparetur à Domino cur hoc fecisset? respondit ei: Serpens decepit me, & comedi. Sic declinavit & ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, refundens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cum nil obfuisse suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & fortè præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Serpens, ô Eva (t) decepit te, decepit profectò,

non

non impulit aut coëgit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit, sed offerendo utique, non violentiam inferendo. Neque enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut ejus voci plùs obedieris quàm Divinæ. Cæterùm si ille sibi non præcavit ignarus, nos saltem tot exemplis præmoniti caveamus. imò verò quoniam periclitati sumus & nos miserabiliter in hac parte, de cætero jam remedium aliquod tantis providere malis sollicitè studeamus.

§. III.

Magnum quidem (v) discrimen est, adversùs diabolicæ fraudis astutias tam crebros imò continuos habere conflictus, quem nec videre quidem possumus, & quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamen in nobis est, si vinci nolumus, & nemo nostrùm in hoc certamine deijcitur invitus. Sub te est ô homo apertitus tuus, & tu dominaberis illi. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est, si volyeris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodò ne consenseris: & quoties resisteris, toties coronaberis: Verumtamen (x) negare non possumus, Fratres, molesta sunt hæc & periculosa, sed & in ipso certamine si viriliter resistimus, quædam pia tranquillitas de conscientia bona nascitur. Credo etiam, si cogitationes istas quàm citò in nobis

G 2 bis

bis advertimus, non patimur remorari, sed in spiritu vehementi animus adversus illas excitatur: quoniam inimicus confusus abscedet à nobis, & non tam libenter illicò revertetur. Sed qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certè quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere satagebat: ut videntes defectum nostrum, & quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Nonne Dominus (y) cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Impulsus everfus sum ut caderem (ait Propheta) sed nihil profecit qui impulit me, quoniam Dominus suscepit me. Quæris [z] quis ille impulsor? Non est unus. Impulsor *diabolus* est, impulsor *mundus*, impulsor *homo*. Quis iste homo sit, quæris? Quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. Quis enim [inquit Petrus Apostolus] vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? Manus tua est consensus tuus: si diabolo suggerente, vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omninò nil nocuit, vide ne magis profuerit. Scriptum est enim: Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Confusi sunt qui quærebant animam tuam, tu verò cantabis: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Boni planè æmulatoris insigne dedisti, si consilio Sapientis mi-

Y Ser. 2. sup. Psal. 90. n. 2. z Ser. 85. in eam. n. 3.

misereris animæ tuæ, si omni custodia servas cor tuum, si juxta Apostolum teipsum castum custodis. Cùm igitur (a) tres sint stanti imminentes fratores, horum *diabolus* livore malitiæ, *mundus* vento vanitatis, *homo* semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit *diabolus*, sed non evertit, siquidem tuum illi negaveris assensum. Denique habes: Resistit diabolo, & fugiet à vobis. Iste est, qui stantes in paradiso impulit invidus & evertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est, qui seipsum de cælo superbus nullo impellente præcipitavit: vt scias multò magis *hominem* suo ipsius casui imminere, quem propriæ substantiæ pondus gravat. Est & *mundus* impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos evertit amicos suos, idest, consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus. Ex quibus satis claret, quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cui nam horum præcipuè resistendum? Nempe huic, qui eò molestior quò interior solus deiicere sufficit, cùm sine ipso alii possint facere nihil. Ipsi itaque, (b) ut manifestum est, gestamus laqueum nostrum, ubique proprium circumferimus inimicum, carnem hanc loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine, sed multò ampliùs prava cõsuetudine vitiatã. Hinc est, quòd tam acriter caro adversus spiritum concupiscit, quòd assiduè murmurat, & impatiens est disciplinæ, quòd

illicita suggerit, quod nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore. Grande quidem periculum est, & gravis lucta adversus domesticum hostem, maximè cum nos advenæ simus, & ille civis: ille suam inhabitet regionem nos exules simus & peregrini. Minimè tamen [c] in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundant tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsum. Denique audi consolationem. Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est, nisi spontè cesseris, nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cohibe ne prævaleant hæc, & immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini tui. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum planè delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat universum.

C A P V T I X.

De sententia pænæ corporalis, quam Deus pronuntiavit contra Adam & Evam prævaricatores.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen

men illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios: & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane. Gen. 3.

1. *Sententia pronunciata à Deo contra prævaricatores sui præcepti, continet varias penas maledictionum; quarum triplici maledictioni subjacet serpens, Eva duplici, Adam uni.* 2. *De labore & dolore, aliisque miseriis primorum parentum, ac totius generis humani.* 3. *De multiplici calamitate, quam incurrit & patitur genus humanum, propter peccatum originale primorum parentum Eva & Adams.*

§. I.

ADAM (a) licet quondam uxorem, uxor serpentem ad excusandas excusationes in peccatis prætendebant: uterque tamen suæ culpæ dignam excepit sententiam. Et nota (b) quod in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterunt, sed manifestè defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum, & Adam. Non habuit

a Epist. 2. ad Rom. 2. b Serm. 2. in Annunciat. B. M. n. 3.

Eva scientiam, quæ (ut ait Apostolus) seducta est in prævaricationem . Verùm hæc quidem scientia serpenti non defuit , qui callidior describitur cæteris animantibus , sed *pietatem* malignus non habuit , qui ab initio factus est homicida . Adam verò pius fortè videtur mulierem non contristando , sed *timorem* Domini derelinquit , voci illius magis obediens quàm Divinæ . Et quia (c) conspiraverunt & convennerunt in unum adversùs Dominum , & adversùs Christum ejus , serpentis astutia , mulieris blanditia , viri mollities . Proinde (d) *serpens* tribus maledictionibus subjacuit , *Eva* duabus , *Adam* uni . *Serpenti* enim dictum est à Domino : Supra pectus tuum gradieris , terram comedes , & mulier conculcabit caput tuum . *Eva* autem dixit Deus : In dolore paries , & sub potestate viri eris . *Adæ* verò ait : In sudore vultus tui comedes panem tuum . Maledictiones *Eva* , & per ipsam omnium mulierum nuptarū duæ sunt in præfenti expressæ , scilicet quòd in dolore pariunt filios , & sub potestate virorum sunt . Quis & quantus sit dolor parientium mulierum , nullus hominum novit , nisi quæ expertæ sunt . Terra quoque maledicitur (e) cùm damnatur hominum successio : & omnis Creatura , juxta Apostolum , parturit & ingemiscit . Inde (h) Anima dissimilis Deo , inde dissimilis est & sibi : inde comparata jumentis insipientibus , & similis facta est illis : inde quòd legitur commutasse gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum : inde juxta Salamonem unus exitus homini & jumento . Quidni similiter exeat , qui similiter vixit ?

ffiali

c *Serm.* 72. in *Cant.* n. 8. d *Tract.* de *vite myst.* cap. 37. n. 177. & 118.
e *Serm.* 2. in *Nat.* Tom. 2. tom. 6. pag. 614. h *Ser.* 82. in *Cant.* n. 5.

stiali incubuit terrenis, morte bestiali excedet terris.
 Audi aliud. Quid mirum si similem sortimur exitum, qui & similem habemus introitum? Unde enim hominibus, nisi de similitudine bestiali ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conceptu & ortu, in vita & morte comperatus est jumētis insipientibus, & similis factus est illis. Quid quodd libera Creatura sibi subditum appetitum non regit ut domina, sed sequitur & obsequitur ut ancilla? Nonne & in hoc se assimilat & annumerat cæteris animantibus quæ natura non in libertatem vocavit, sed condidit in servitutem servire suo ventri, appetitui obedire? Nonne tali meritò confunditur perhiberi vel existimari similis Deus? Ideoque ait: Existimasti inique quodd ero tui similis? Et infert: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Originale peccatum [i]. maximum delictum vocatur, quod sic totum nonmodò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine usque ad novissimum protenditur: & in singulis quoque à planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die quâ sua quemque concipit, usque ad eam, quâ communis eum recipit mater. Alioquin vnde grave jugum super omnes & totos filios Adam, idquè à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium? Infordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseram oneramus matres, in exitu more viperio

rio

rio laceramus: mirum quòd non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud Sancti Job ex omni parte possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Quàm verum verbum hoc sit, non vos verba docuère, sed verbera. *Homo* (inquit) *natus de muliere*, nihil abjectius. Et ne fortè ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur; in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cùm dicitur: *Brevi vivens tempore*. Ac ne spatiolum illud, quod inter ingressum & egressum relinquitur, sibi liberum putet, *Repletur*, ait, *multis miseriis*. Multis & multiplicibus, inquam, miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cùm dormit, miseriis cùm vigilat, miseriis quaquaversùm se vertat. Heu mater mea [k] cur me genuisti filium doloris & amaritudinis, indignationis & plorationis? Maledictio, Fratres [l] gravis est macula, & scimus quoniam non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod de ore egreditur. Vbi ergo [m] macula propria, propria quoque purgatio jure requiritur: etsi contaminatio multiplex, opus est etiam tribulatione multiplici. Unde enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur. Quid verò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inveniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat universum, mentem deffideriis afficit, membra illecebris inficit.

Inde

k *Serm. 3. super Sal. Reg. nu. 26.* l *Serm. 28. inter divers. n. 2.* m *ibid. n. 4. & 5.*

Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in universo corpore mollitiei sensus, & libido pernicioſa tangendi: inde intus in Anima ebritas illa deſideriorum, & fornax quædam ambitionis, avaritiæ, invidiæ, contumaciæ, nequitæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accenſa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur: tot patitur tribulationes, tot ſuſtinet tentationes vir juſtus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, ſenſuum voluptate delectatur, & delicias computat eſſe ſub ſentibus: ſic & omnis qui in ſpiritu ſeminare deſiderat, ſpinas & tribulos, quos propria terra ex maledicto utique germinat, potiùs eradicare quàm propagare contendit: quippè qui convertitur in ærumna ſua, quoties conſigitur ſpinâ. Huic ergo tam multifariæ peſti per ſingula quæque reſiſtere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis uſq; ad verticem non eſt ſanitas in me, totum infecit concupiſcentia, lex peccati in membris omnibus invenitur: undique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitæ periculoſiùs ſævitur, crudeliùs malignatur. Omnis ætas [n] ab adoleſcentia ſua prona eſt ad malum, & unus quiſque voluntatem pravi cordis ſui ſectatur. Ab illa enim primæ prævaricationis anguſtia innatus eſt homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem ſui Creatoris relinquens, ibi ſubdita eſt ſervienti, ubi voluit dominari. Corrupti ſunt [o] & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Habet Anima corruptionem ſuam, habet & corpus ſuam. Corruptione Animæ

tri-

tripartita est, quadripartita corporis. Corpus liquidè constat ex quatuor elementis: Anima verò in triplici vi subsistit. . . Est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. *Rationale*, cujus sanitas est cognitio veritatis, corrumpit superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis, in cognitione sui, & cognitione Dei. *Concupiscentiam* corrumpit vanagloria, *iram* invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio, & fit quatuor modis secundùm quatuor elementa, ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt, curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus singulis maximè vigent singula elementa. Nam in oculis est *Ignis*: in lingua quæ vocem format, *Aër*: in manibus quarum propriè tactus est, *Terra*: in membris genitalibus *Aquâ*. Has quatuor partes corrumpit illa quadripartita pestis, oculos scilicet curiositas, linguam loquacitas, manus crudelitas, genitalia voluptas: Sic fiunt homines corrupti & abominabiles: corrupti in Anima, abominabiles in corpore: corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus.

§. I I.

Porò [p] cadente homine, quem constituerat Dominus dominum domus suæ, & principem possessionis suæ, tota simul hæreditas corrupta est. Inde distemperatus aër, terra in operibus Adæ maledicta, & omnia subdita vanitati. Inde obscurantur [q] stellarii ignes (Solem loquor & Lunam & Stellas) multâ sui luminis claritate mulctantur. Terra male-

dicitur, cùm damnatur hominum successio: & omnis creatura, juxta Apostolum, parturit & ingemiscit. Duo enim nobis (r) in hæditatem reliquerat ille vetustus Adam, qui fugit à facie Dei, laborem videlicet & dolorem: laborem in actione, dolorem in passione. Non hoc ipse audierat in paradiso, quem acceperat ut operaretur, & custodiret illum: operaretur delectabiliter, custodiret fideliter & sibi & posteris suis. Sed (s) circumscriptus astutiâ serpentis, & deceptus fuco vanitatis, specie videlicet creaturæ visibilis, fontem Veritatis deservit, affectum pulchritudini rerum inclinavit. Adam quippe (t) in paradiso positus, perdidit circumspeditionem Dei. Mirum (u) quod nobilis creatura in regione similitudinis creata, quia ad imaginem & similitudinem Dei facta, cùm in honore esset non intellexit, & de similitudine ad dissimilitudinem descendit. Magna profus dissimilitudo, de paradiso ad infernum, de Angelo ad jumentum, de Deo ad diabolum. Execranda conversio, gloriam in miseriam, vitam in pugnam perpetua captivitate convertere. Maledicta descensio, de divitiis ad paupertatem, de libertate ad servitutem, de requie ad laborem descendere. Miseri nos, & miserabiliter nati: quibus datum est nasci in mærore, vivere in labore, & in dolore mori: de peccatore peccatores, de debitore debitores, de corrupto corrupti, de subacto subacti, geniti & generantes: sumus gens peccatrix, populus gravis iniquitate, semen pessimum, filii scelerati, addentes prævaricationem. Ecce quasi non simus sic sumus coram Deo, quasi nihilum

r *Ser. in Jer. 4. heb. Sanct. n. 11. s Ser. 1. super Sal. Reg. 4. 9. t Ser. 102. inter diver. n. 1. u Ser. m. 42. inter diver. n. 2.*

hilum & inane reputati, putantes nos aliquid esse cùm nihil sumus. Vulnerati sumus ingredienti mundum, conversando in mundo, exeundo de mundo: à planta pedis usq; ad verticem non est sanitas in nobis. Noverat hæc ille sublimis Propheta, qui statū humanæ miseriæ deplorans, in hæc verba prorupit: Grave jugū super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum usq; in diem sepulturæ, in matrem omnium. Grave, inquam, jugum (x) super filios Adam: non autem à principio super Adam, sed nunc jam super filios ejus. Quid non grave miseris, quibus & vivere labor est? Quibus & ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo ut nequeat sustineri, nisi alterna requie foveamur? Cæterùm (y) quomodo natus sibi videtur homo, si labores fugitat & dolores? Aut quomodò scit se esse hominem, qui ad id paratus non est ad quod natus? Homo (inquit Job) natus ad laborem. Nam ad laborem natum se dubitet, qui non natus est in dolore. Sed dolorem parturientis clamor: laborem, prolis fletus indicat & vagitus. Quoniam tu laborem & dolorem consideras, ait Propheta David. Labor in actionibus, dolor in passionibus est. Proinde qui se noverat hominem, ad utrumque paratus supplici confessione dicebat: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Et geminam hanc præparationem evidentius exprimens, *de actione* quidem: Paratus sum (ait) & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. *De passione* verò: Ego, inquit, in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Nemo sanè [z] in hac misera vita geminam hanc vexationē se evadere

x. *Serm. 2. in Septuag. n. 2.* y. *Serm. 2. diuini n. 1.* z. *Ibidem n. 2.*

dere gloriatur. Nemo quippè ex omnibus filijs Adæ sine labore hîc vivit, nemo sine dolore. Est qui declinat aliquos, sed incidit proculdubio in graviores. In labore (inquit David) hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Non tamen continuò sine labore sunt, aut minimè flagellantur. Denique propterea (inquit) tenuit eos superbia. Gravis equidem labor. Operti sunt iniquitate & impietate sua: gravibus planè flagellis. Siquidem non est gaudere impiis, dicit Dominus. Quòd enim nec laboris anxietatem, nec flagelli sentiunt læsionem, ipsa jam insensibilitas vehementiam indicat passionis. Sudat pauper in opere foris, sed numquid minùs anxie dives intùs in ipsa sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione, aperit ille in eructatione: & interdum ille graviùs fastidio, quàm iste inediã cruciatur. Postremò velint nolint, non modò homines, sed etiam dæmones & faciunt & patiuntur quod providentia summa disposuit. Misera tamen [a] & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum. Animadvertite siquidem & videte, non hominibus, sed diabolo & Angelis ejus ignem illum esse paratum. Ille enim hostis & lupus, nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. Illi securis & malleus, nobis flagellum & virga debetur. Illius iniquitas inventa ad odium, suum habeat carcerem, ubi nulla redemptio, unde nemini liceat respirare. Mihi sanè & labore tolerabilior carcer, & tempore brevior assignatur: ubicùm iratus fuerit Dominus misericordiæ recordetur

2 Tract. de vit., & mor. cleric. cap. 9. num. 27. & 28.

detur, redemptionem suo mittens populo copiosam. Minimè igitur expedit ut in sapientia hujus seculi, Auctoris sæculi non uereamur frustrari iudicium, & deludere uelle sententiam, declinando uidelicet laborem hominum & sudorem, ac si nullo modo nos contingere uideatur quod Adæ dictum est: aut non in eo sententiam laboris exceperimus, in quo sine exceptione paccauimus omnes: aut non communis culpæ nihilominus esse debeat pæna communis: Neque (b) etiam ad hoc nos de paradiso voluptatis animaduersio diuina eiecisse uidetur, ut alterum sibi hinc paradisum adinuentio humana pareret. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundum. Labor iste, Fratres (c) exilij & paupertatis nostræ nos admonet, profectò & iniquitatis. Ut quid enim morte afficimur tota die, in ieiunjs multis, in vigilijs abundantius, in laboribus & ærumnis? Numquid ad hæc creati sumus? Absit, nam licet homo natus sit ad laborem, sed minimè ad laborem creatus est, nativitas est in culpa, ideo & pæna, Omnes enim oportet nos gemere cum Propheta: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Aliena ab utrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quod de ea quæ major est omnium morte uidelicet apertè Scriptura testatur: Inuidiâ diaboli mors introiit in orbem terrarum. Et in alio loco: Deus mortem non fecit. Itaque sicut laborantibus nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu: sic imò & multò melius laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut

vacet

b *Ibidem* cap. 10. num. 29. c *Ser.* 39. diuer. n. 1.

vacet. Causam laboris cogitet in labore, ut non ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur repræsentet. Et dum videt vulnere ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur. Hujusmodi siquidem cogitatione humiliamur sub potenti manu Dei, & dulci quadampietate mens plena, miserabilem se exhibet in oculis ejus. Hinc quippe Scriptura nos admonet: Misere, inquit, animæ tuæ placens Deo. Nec dubium quin ea quæ Deo placet miseria, facile possit ejus misericordiam obtinere. Et ne dixerimus, unde miserandum sit animabus nostris? Nisi enim insipienter dissimulaverimus, multa in ejus miseratione digna poterunt inveniri. Si ipsam animam (d) prout in se est, & ex se, juxta veritatem intueor, nihil de ea verius sentire possum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò necesse est singulas ejus miseras numerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominie impleta?

§. III.

Spinæ & tribulos geminabit tibi, ait Scriptura. Revera (e) Eva spina fuit, quæ & virum suum ad mortem pupugit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit. De manu quippe ipsius (f) duplicis mali semen terra nostra suscepit & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos, iniquitatis in anima, calami-

H tatis

d Ser. 5. in dedicat. Eccl. n. 3. e Ser. de B. M. Deip. num. 10. 2017. 6. pag. 765. f Ser. 3. de Virg. Deip. n. 6.

ratis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superstivit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione sua. O infelix hæreditas! ô dira humanæ carnis infirmitas! Usquequò patiemur te? Multùm dorfa nostra incurvasti: quia gravis es valdè, & diu te sustinuimus. Multùm minuisti nos ab Angelis, equo & jumentis insipientibus cœquasti. Homo enim (g) cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Non est indignum, imò festivum recolere quanta sublimitate homo conditus fuerit. Sed operæ pretium est consequenter attendere quàm graviter corrui, minùs pensando quòd ex se, vel quòd esset ex Deo. Primus namque parens noster Paradisi accola constitutus est, dominus terræ stabilitus est, civis supernæ Jerusalem designatus est, domesticus Dei factus est: cujus amore & agnitione ditatus est, consors Angelorum, frater & cohæres cœlestium virtutum, nihil prorsùs indigentiae, nihil sentiens molestiae: cui erant in promptu quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cùm nihil esset in anima quod offenderet, nihil in carne quod puderet. Hic honor & hæc erat dignitas hominis, prosperari & florere in præmissis. Et hæc ex Deo. Sed positus in honore (h) quid ex se foret non intellexit, limus videlicet, pulvis, folium aridum, stipula sicca, lutea & fragilis testa, pellis morticina: intumuit, & pla-

g *Ser. de excell. Sanct. Sacram. num. I. tom. 6. pag. 732.* h *Ibidem num. 2.*

planè desipuit, honoris fastigio delectatus. Et continuè in se expertus est illud, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens: Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Væ misero, quodd non fuit, qui jam tunc diceret ei; Quid superbis terra & cinis? Repertina igitur conversione seipsum invenit homo, & propter infirmitatem jacentem in stabulo: stabulum utique mundus est. Et propter pecorinam similitudinem indigens erat feno. Porro (i) attende pessimum germen ejus, cui maledictum est terræ nostræ: Cùm (inquit Dominus) colueris eam, spinas & tribulos germinabit tibi, Donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumquè aculeos. Conversus sum (ait David) in ærumna mea, dum configitur spina. Benè confixus, qui conversus exinde est. Benè pungeris si compungeris; multi enim cùm sentiunt penam, corrigunt culpam, Et talis dicere potest: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Spina culpa est, spina pœna est. Spina (k) peccatorum recordatio est. Siquidem [1] ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius seu accomodatius potest, quàm si se in veritate invenerit, tantùm non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuat se ante faciem suam, nec se à se avertere abducatur. Nonne se ita intuen's clara luce veritatis inveniet se in regione dissimilitudinis? Et suspirans misera quam jam latere non poterit, quodd verè misera sit,

H 2

non-

i Ser. 48. in Cant. num. 1. k Ser. 5. in Assumpt. B. M. n. 8. i Ser. 26. in Cant. n. 5.

nonne cum Propheta clamabit ad Dominum: In veritate tua humiliasti me? Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desiderariorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicatam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumna sua, dum configitur spina? Convertetur inquam ad lachrymas, convertetur ad planctus & gemitus, convertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Porro conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis. Fratres mei [m] si non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ego enim dico quoniam omnia. Sed adhuc multa, inquires, [n] graviter inquietant, multa evidentiùs adversantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus ferè nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro, nec nisi priùs servierimus eis. Jumenta ipsa nisi fuerint à nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adjuvant. Terra ipsa quæ debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat, imò & cùm coluerimus

mus

mus eam, spinas & tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique si diligenter consideremus, seruitium à nobis magis exigunt, quàm exhibent nobis: ut ea interim sileam quæ sunt parata nocere, ut est ignis ad exurendum, aqua ad submergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent, sed tamen non mentitur Apostolus, manifestiùs asseverans scire se, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Verumtamen solerter attende, quòd non ad libitum famulari, sed cooperari dicit ab bonum. Neque enim ad voluntatem seruiunt, sed ad utilitatem: non ad voluptatem, sed ad salutem: non ad votum, sed ad commodum nostrum. Usque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut in ter hæc omnia etiam ea quæ nihil sunt, numerentur, molestia scilicet carnis, morbus, & ipsa mors, etiam & peccatum: quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. Anima siquidem (o) corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Peccatum denique est morbus enimæ, & corruptio mentis.

C A P V T X.

De sententia mortis, quâ Dominus Deus declarat morituros esse primos parentes nostros, quos & de paradiso expulit.

Et dixit Dominus Deus Adæ: In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua

H 3

sum-

sumptus es : quia pulvis es , & in pulverem revertaris . Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis , ut operaretur terram de qua sumptus est . Ejecitquè Adam : & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim , & flammeum gladium atque versatilem , ad custodiendam viam ligni vitæ , *Gen. 3.*

1. *Ostenditur primum hominem Adam per inobedientiam causavisse & sibi & toti generi humano mortem . 2. Queritur utrum Adam antequam peccasset habuerit tres libertates , à necessitate , à peccato , à miseria . 3. Ostenditur qualiter in his tribus libertatibus contineatur imago & similitudo Dei , ad quam creatus fuit Adam . 4. Agitur de expulsione Adæ ex paradiso , pariter & de miseria ejus , quæ consistit in amissione contemplationis Divinæ , & in appetentia rerum terrenarum .*

§. I.

Inobedientia [a] est causa mortis , omnes experimur , omnes morimur propter eam . Originale peccatum [b] maximum illud delictum vocatur , quod à primo Adam contrahimus , in quo peccavimus omnes , pro quo morimur universi . Omnes , inquam , in Adam peccavimus , & in eo sententiam damnationis accepimus universi . Peccatum siquidem præcessit [c] ut sequeretur mors : quod sanè si cavisset homo ,
mor-

a *Ser. 2. int. diu. n. 5.* b *Ser. in ser. 4. behd. san. n. 6.* c *Ser. 1. de Aevus. Dom. n. 4.* c *Tract. de exhort. ad milit. templ. cap. 11. n. 18*

mortem non gustasset in æternum. Sed unde [d] loquemur? Qui de terra est, de terra loquitur, ait vox illa clamantis. De terra ergo loquamur, qui de terræ subsistimus, & in terra. Audite quique terrigenæ & filii hominum, vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra morimur, revertentes in tes in eam, unde sumus assumpti. Hæc nobis angustus introitus, mora brevis, sola mors certa. Cogitur totus Adam iudicium portare quod meruit. Dilatatus est vehementer, multiplicatus est, & replevit terram. Nimis invalvit [e] humanæ carnis infirmitas, quæ non nisi morte Filij Dei sanari potuit. Nimis super nos se extulit, quando & usque ad eum qui supra omnia est, incautè ascendit, Attamen [f] velit nolit, quantumcunque recalcitret, univèrsus adhuc Adam fert sententiam quam excepit. Terra (inquit Dominus Deus) es, & in terram ibis. Gravis equidem sententia, sed non sine grandis misericordiæ temperamento. Dura admodùm, sed si mèrita penses, indulgentiæ plena. Siquidem non minùs justè peccanti diceretur terra es, sed ex hoc sub terram ibis. Justus foret etiam tunc justus Dominus, & laudabilis nimis. Dignus planè qui laudaretur, sed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilominùs verè dicerem, si tamen dicere possèm: Justus es Domine, & rectum iudicium tuum. At non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te, sed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo Creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ Nominis tui, ut descendentem de Jerusalem,

minimè tamen usque in Jerico patereris abduci. Semivivus adhuc relictus in via semilaudare possum: ubi totus vixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia ossa mea: Domine, quis similis tibi? Propter hoc nempe cùm iratus fuisses, misericordiæ meministi, non damnans hominem in loco perditionis, sed in loco afflictionis humilians. Utinam & in me [g] omnem extollentiam comprimat imò deiciat, & ad nihilum redigat non accensus furor, sed infusus amor. Utinam discam non superbire, sed unctiōe potiùs quàm ultione magistra. Domine, ne in furore tuo arguas me, sicut Angelum extollentem se in Cælo: neque in ira corripias me, sicut hominem in Paradiso. Ambo iniquitatem mediati sunt, altitudinem affectantes, ille potentiæ, istæ scientiæ. Denique credidit insipiens mulier pollicenti; sed seducenti: Eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Jam sese ante seduxerat, cui persuaserat similem fore Altissimo. Nam qui se putat aliquid esse, ipse se seducit. Verùm [h] vtraque altitudo dejecta est, sed in homine mitiùs, judicante illo qui omnia facit in pondere & mensura. Nam Angelo in furore punito imò damnato, homo iram tantùm sensit, & non furorem. Nempè cùm iratus fuit, misericordiæ recordatus est. Propter hoc semen ejus filii iræ, & non furoris usque in hodiernum diem. Si non nascerer filius iræ, non opus esset renasci. Propter hoc enim [i] Deus creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Jerusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis de-

P. Ser. 69. in Cant. nu. 3. h. Ibidem num. 4. i. Serm. 1. de Adversariis Domini num. 5.

desertoribus patere redeundi viam. Nempe novit superbiam Moab, quod superbus est valde: & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. Denique [k] tempus mihi constituit. Mihi dicit, *donec*: illi parat æternum. In sudore, inquit, vultus tui comedes panem tuum, donec in terram de qua sumptus es, revertaris. Pessimus ille Angelus de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus. Propterea non habet, *donec*, sed ignis ei paratur æternus. Peccando itaque [l] homo vitam amisit, & mortem invenit: quoniam quidem Deus ita prædixerat, & justum profectò erat ut si peccaret homo, moreretur. Quid namque justius poterat esse, quàm recipere talionem? Vita siquidem Deus animæ est, ipsa corporis. Peccando voluntariè volens perdidit vivere, volens perdat & vivificare. Spontè repulit vitam cum vivere noluit, non valeat eam dare cui vel quatenus voluerit. Porrò peccatum (ut scriptum est) sepatet inter nos & Deum: sepatet proinde etiam mors inter corpus nostrum & nos. Non potuit dividi à Deo anima nisi peccando, nec corpus ab ipsa nisi moriendo. Quid itaque austerius pertulit in ultione, id solum passa est à subdito, quod præsumperat in Auctorem? Nil profectò congruentius, quàm ut mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam.

§ I I.

Nunc locus est quærendi [m] utrum totas tres libertates, scilicet Arbitrii, Consilii, Complaciti: vel aliis

k *Tract. de vit. Cler. cap. 9. n. 28.* l *Tract. de exhort. ad milit. templ. cap. 11. n. 19* m *Tract. de grat. c. lib. arb. cap. 7. n. 12.*

aliis nominibus, à necessitate, à peccato, à miseria primi homines Adam & Eva habuerint in paradiso, aut tantùm duas, aut unam solummodò? Et de prima quidem quæstio nulla est. De duabus reliquis quæritur non immeritò, an unquam eas Adam habuerit, aut ambas, vel unam? Nam si nullam habuit, quid amisit? Arbitrii utique libertatem tam post peccatum, quàm ante peccatum semper tenuit inconcussam. Si ergo nil amisit, quid ei obfuit ejectum fuisse de paradiso? Quod si unam quamlibet illarum habuit, quomodo amisit? Nam certum est, quia ex quo peccavit, nec à peccato prorsùs, nec à miseria manens in corpore liber fuit? Cæterùm nullatenùs quamcunque illarum semel acceperit amittere potuit. Alioquin perfectum nec sapere, nec posse, juxta quod quidem duo hæc superiùs definita sunt, habuisse convincitur. Qui nimirùm & velle potuit quod non debuit, & recipere quod noluit: an dicendus est aliquo quidem modo illas habuisse, sed quia non plenariè potuisse amittere? Habet siquidem unaquæque illarum duos gradus, superiorem & inferiorem. *Superior* libertas *Consilii* est, non posse peccare: *inferior*, posse non peccare. Item superior libertas *Complaciti* est, non posse turbari: inferior, posse non turbari. Itaque inferiorem utriusque libertatis gradum simul cum plena libertate Arbitrii homo in sui conditione accepit, & de utroque corruiet cùm peccavit. Corruit autem de posse non peccare, in non posse non peccare: amisit ex toto *Consilii* libertate. Itemquè de posse non turbari, in non posse non turbari: amisit ex toto *Complaciti* libertate. Sola remansit ad pœnam libertas

Ar-

Arbitrii, per quam utique cæteras amisit: ipsam tamen amittere non potuit. Per propriam quippè voluntatem servus peccati factus, meritò perdidit libertatem Consilii. Porro per peccatum factus debitor mortis, quomodo jam libertatem valebat retinere Complaciti? De tribus ergò libertatibus quas acceperat [n] abutendo illa libertate quæ dicitur Arbitrii, reliquis se se privavit. In eo autem abusus est, quòd illam cum accepisset ad gloriam, convertit sibi in contumeliam, juxta testimonium Scripturæ dicentis: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi Arbitrii. Datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret cum peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quàm si de ipso diceretur illud quòd Scriptura perhibet dicens: Quis est hic, & laudabimus eum? Unde ita laudandus? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quæ? Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Hunc ergò honorem, quamdiu absque peccato fuit, servavit: amisit, cum peccavit. Peccavit autem quia liberum ei fuit. Nec aliunde profectò liberum, nisi ex libertate Arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccavit ex posse quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia voluit. Nec enim prævaricante

dia-

▪ *ibidem* n. 12. & 23.

diabolo & angelis ejus, etiam alii prævaricati sint, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt. Peccantis igitur lapsus, non dono adscribendus est potestatis, sed vicio voluntatis. Lapsus tamen ex voluntate, non æquè ex voluntate resurgere jam liberum habet: quia etsi datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facilè quis valet exire de fovea, quàm facilè in eam labi. Cecidit sola voluntate homo in foveam peccati, sed non ex voluntate sufficit & posse resurgere: cùm jam et si velit, non possit non peccare. Quid ergo? [o] Periiit liberum Arbitrium quoniam non potest non peccare? Nequaquam: sed liberum perdidit *Consilium*, per quod priùs habebat posse non peccare: quomodo & quod jam non valet utique non turbari, inde misero accidit, quòd *Complaciti* quoque libertatem amiserit, per quam & ante habuit posse non turbari. Manet ergo etiam post peccatum liberum Arbitrium, etsi miserum, tamen integrum. Et quòd se per se homo non sufficit excutere à peccato sive miseria, non liberi Arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum Arbitrium [quantum in se est] pertinet aut aliquando pertinuit posse, vel sapere, sed tantùm velle: nec potentem facit creaturam, nec sapientem, sed tantùm volentem. Non ergo si potens aut sapiens, sed tantùm si volens esse desierit, liberum Arbitrium amisisse putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec libertas. Nec dico si velle bonum, sed si velle omninò creatura desierit, fatendum sine contradi-

o *ibidem* cap. 8. num. 24.

Etione, ubi non jam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas periit, etiam liberum deperire Arbitrium. Quod si velle bonum tantum perit, signum est quod ei desit liberum non Arbitrium, sed Consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id quod iam vult bonum ei posse defuerit, noverit sibi deesse liberum Complacitum, non liberum periisse Arbitrium. Si ergo liberum Arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitus esse desinat, isto non careat: voluntas verò sicut in bono, ita etiam in malo æquè perdurat, æquè profectò & liberum Arbitrium tam in malo quàm in bono integrum perseverat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseria non desinit esse voluntas, sed dicitur & est misera voluntas, sicut & bona voluntas: ita nec liberum Arbitrium destruere, sive, quantum in se est, aliquatenus imminuere poterit quæcunque adversitas vel necessitas. Sed licet ubique (p) pariter sine sui diminutione perduret, non tamen pariter sicut de bono potuit per se in malum corruere, ita quoque per se de malo in bonum poterit respirare. Et quid mirum si jacens non valet per se resurgere, quòd stans in aliquod melius nullo suo conatu valebat proficere? Denique dum adhuc duas alias libertates ex aliqua parte secum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad superiora ascendere, hoc est de posse non peccare, & de posse non turbari, ad non posse peccare; & non posse turbari. Quod si libertatibus illis etiam utcunque adjutum, non prævalvit tamen de bono in melius se extendere: quantominus eisdem prorsus destitutum, de ma-

lo

Io jam in id quod fuit bonum, poterit per seipsum
 emergere? Habet igitur homo necessarium (q) Dei
 virtutem & Dei sapientiam Christum, qui ex eo
 quod Sapientia est, verum ei sapere reinfundat, in
 restaurationem liberi *Consilii*: & ex eo quoddam Virtus est,
 plenum posse restituat, in reparationem liberi *Com-
 placiti*; quatenus ex altero perfectè bonus, pecca-
 tum jam nesciat: ex altero plenè beatus, nil adver-
 sum sentiat. Sed sanè ista perfectio in futura vita ex-
 pectetur quando utraque nunc amissa libertas libe-
 ro arbitrio plenè restaurabitur. Interim verò suffi-
 ciat in hoc corpore mortis, atque in hoc sæculo ne-
 quam, ex libertate quidem *Consilii* peccato non obe-
 dire in concupiscentia: ex libertate autem *Complaci-
 ti* adversa non formidare pro justitia. Est autem in
 hac carne peccati, & in hac diei malitia non medio-
 cre *sapere*, peccato etsi nondum ex toto carere, cer-
 tè non consentire; & est *posse* non paruum, adver-
 sa etsi necdum sæliciter omninò sentire, virili-
 ter tamen pro veritate contemnere. Discendum
 sanè hïc interim nobis est (r) ex libertate *Consilii* jam
 libertate *Arbitrii* non abuti, ut plenè quandoque
 frui possimus libertate *Complaciti*. Sic profectò
 Dei in nobis reparamus imaginem, sic antiquo ho-
 nori illi capeffendo, quem per peccatum amisimus,
 per gratiam præparamur. Et beatus qui de se au-
 dire merebitur; Quis est hic, & laudabimus eum?
 Mirabilia enim fecit in vita sua: qui potuit trans-
 gredi, & non est transgressus, facere malum &
 non fecit.

§. III.

q *ibidem* n. 26. r *ibidem* n. 27.

Puto autem in his tribus libertatibus (s) ipsam ad quam conditi sumus Conditoris imaginem atque similitudinem contineri: & imaginem quidem in libertate arbitrij, in reliquis autem duabus bipartitam quandam consignari similitudinem. Hinc est fortassis, quod solum liberum Arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ & incommutabilis Divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato sive miseria detrimentum. Quid æternitati similis, quod non sit æternitas? Porro in aliis duabus libertatibus, quoniam non solum ex parte minui, sed & ex toto amitti possunt, accidētalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentiæ Divinæ imagini superducta cognoscitur. Denique & amissimus illas per culpam, & per gratiam recuperamus, & quotidie quidem alij plus, alij minus, aut in ipsis proficimus, aut ab ipsis deficimus. Possunt etiam sic amitti, ut jam non valeant recuperari: possunt & ita possideri, ut nec amitti queant aliquando, nec minui. Hujus bipartitæ similitudinis (t) sapientiæ & potentiæ Dei, non quidem in gradu summo, sed qui ipsi tamen esset proximior, homo conditus est in paradiso. Quid enim vicinius ad non posse peccare, vel turbari (in quo utique jam Sanctos & Angelos stare, & Deum semper esse dubium non est) quam posse & non peccare, & non turbari: in quo homo perfectò creatus est? A quo illo per peccatum, imò nobis
in

s *ibidem* cap. 9. num. 28. t *Ibidem* n. 29.

in illo & cum illo corruentibus, rursus per gratiam, non quidem ipsum, sed pro ipso quendam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hîc possumus esse sine peccato & miseria, possumus tamen gratia juvante nec peccato superari, nec miseria. Quanquam tamen Scriptura loquatur: Omne quod natum est ex Deo, non peccat. Sed hoc dictum est de prædestinatis ad vitam: non quod omninò non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condignâ pœnitentiâ, vel in charitate absconditur. Charitas quidem cooperit multitudinem peccatorum, & beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata: & beatus vir cui non imputavit Deus peccatum. Divinæ ergo similitudinis summum gradum summi Angeli tenent, non infimum. Adam tenuit medium, porro dæmonens nullum. Superioribus nempe Spiritibus datum est sine peccato & miseria perdurare: Adæ autem absque his quidem esse, sed non etiam permanere: nobis verò non esse quidem absque his, sed ipsis tamen non cedere. Cæterùm diabolus & membra ejus sicut nunquam volunt reluctari peccato, sic nunquam possunt pœnam declinare peccati, Nemo autem putet (u) idèd dictum liberum Arbitrium, quod æquâ inter bonum & malum potestate aut facultate versetur: cùm cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli Sancti, cùm ita sint boni, ut non possint esse mali: nec prævaricatores item Angeli, cùm ita sint mali, ut jam non valeant esse boni: liberi arbitrij esse dicuntur. Sed

& nos

u *Ibidem* cap. 10. n. 35.

& nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alij bonis, alij malis admixti fuerimus. Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quodd Deus esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodd què diabolus non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. Quam nequissimus iste sibi (x) qui nunquam super propria iniquitate dolet, nunquam super propria damnatione compungitur? Nimirum falsa præsumptio à via veritatis extrusit, crudelis obstinatio viam misericordiæ interclusit. Inde enim nec in se unquam assequi, nec à Domino misericordiam consequi potest. Cum ergo (y) istæ duæ libertates Consilij scilicet & Complaciti, per quas rationali creaturæ vera sapientia & potentia ministratur, ita Deo prout vult dispensante, quibuscumque pro causis, locis, temporibus, varientur: quatenus in terris modicæ, in cælestibus plenariæ, mediociter in paradiso, apud inferos nullatenus habeantur; libertas verò Arbitrij de ipso quo condita est statu aliquatenus non mutetur, sed æqualiter semper, quantum in se est, à cælis, terris, & inferis possideatur: meritò illæ similitudini, hæc imagini deputantur. Et quidem apud inferos, quodd utraque libertas perierit, illæ scilicet quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, Scripturarum testatur auctoritas. Nam verum illic sapere (quod utique de Consilij libertate concipitur) omninò non esse,

I locus

x *Serm. 11. super Psalm. 90. n. 9.* y *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 9. n. 30.*

locus ille manifestat, ubi legitur: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. Porrò de potentia, quæ per libertatem Complaciti datur, Evangelium sic loquitur: Ligatis manibus ac pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. Quid enim ipsa est manuum pedumquè ligatio, nisi omnimoda potestatis ablatio? Sed dicit aliquis: (z) Quomodo non est ibi aliquid sapere, ubi mala quæ tolerant, cogunt pænitere malorum quæ facta sunt? Nunquid aut in tormentis quispiam non pænitere, aut prænitere mali, non esse sapere potest? Hoc autem rectè opponeretur, si opus tantum peccati, & non etiam voluntas mala puniretur. Nulli quisppè dubium est, quòd nemo in tormentis positus actum iterare peccati delectetur. Verumtamen si voluntas etiam in tormentis mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio, ut ideo sapere quis putetur, quòd jam in mediis flammis luxuriari non libeat? Denique in malevolam animam non intrabit Sapientia. Unde autem probabimus quòd mala & in pænis voluntas perseveret? Certè ut cætera omittam, nollent omninò puniri. Justum est autem puniri, qui punienda gesserunt. Nollunt igitur quod justum est. Sed qui non vult quod justum est, iusta ejus voluntas non est. Eò ergo injusta, ac per hoc & mala est voluntas, quòd justitiæ non concordat. Duo sunt quæ injustam comprobant voluntatem, vel cùm peccare, vel cùm impunè peccasse libet. Quibus ergo peccare libuit quamdiu licuit, & cùm jam non possunt, inultum manere volunt quod peccaverunt

z *ibidem* n. 31.

runt, quid in hoc sapientiæ veræ, quid bonæ voluntatis apparet? Sed esto, pœnitent eos peccasse, numquid non tamen, si optio detur, malint adhuc peccare, quàm pœnam sustinere peccati? Et tamen illud iniquum est, hoc justum. Quando verò voluntas bona magis quod iniquum, quàm quod justum est eligeret? Cæterum non verè pœnitēt, qui non tam dolent se sibi vixisse, quàm hoc ipsum jam non posse. Denique foris ostenditur quid intus agatur. Nam quamdiu corpus vivit in flamma, tamdiu constat in malitia persistere voluntatem. Itaque de similitudine, quæ in Consilij & item Complaciti libertate continetur, apud inferos penitens nihil est nec esse potest: imagine tamen etiam illic per liberum Arbitrium immobili permanente. Ad imaginem nempe (a) & similitudinem Dei factus est homo: in imagine Arbitrij libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem perit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uti poterit non exuri, ardere, sed non deleri. Denique (b) ex eo potiùs liberum Arbitrium dicitur, quodd sive in bono, sive in malo æquè liberam facit voluntatem: cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali jam ratione non incongruè dicitur ad bonum se, & ad malum habere æqualiter, quodd utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas. Hac sanè (ut dictum est) dignitatis prærogativâ rationalem singulariter creaturam Conditor insignivit, quodd quemadmodum ipse sui juris erat, suæque ipsius vo-

a Ser. i. in Annunt. B. M. n. 7. b Tract. de Grat. & lib. arb. cap. 11. n. 36.

Iustitiam non necessitatis erat quod bonus erat: ita & illa quoque sui quodammodò juris in hac parte existeret: quatenus nonnisi sua voluntate, aut mala fieret, & iustè damnaretur: aut bona maneret, & meritò salvaretur. Non quòd ei propria esset sufficere ad salutem voluntas, sed quòd eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur: nemo quippè salvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Item in alio loco: Compelle intrare; nihil impedit: quia profectò quoscunque compellere, vel trahere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri, nullum tamen iudicat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium.

§. I V.

Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram. Erat Adam [c] quando in actione & meditatione positus erat, sine passione habens actionem, habens etiam sine labore meditationem. Dico autem quando positus est in paradysum, ut operaretur & custodiret. Verùm hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus, ut sola frueretur Contemplatione. Sed (d) mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Adam (e) gustavit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait: Quare præcepit vobis Deus ut deligno non comederitis? Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addit: Sciebat

c *Serm. 2. diver. n. 6.* d *Ser. 35. in Cant. n. 4.* e *Tract. de vit. soliz. cap. 5. n. 15. tom. 5. pag. 241.*

bat enim quia qua die comederitis, aperirentur oculi vestri, & eritis sicut dii. Ecce ut quid præceptum sit, scilicèt quod deos fieri non sinat. Discrevit, comedit, & inobediens factus est, & de paradiso ejectus est. Hominem peccantem (f) non distulit Deus, sed protinùs expulit de paradiso. Unde (g) & loquebantur mutud, Dominus scilicèt & Christus ejus: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis: quodd ad utriusque injuriam lactantibus se peccatoribus acquievisset. Angelis verò paventibus (h) atq; quærentibus: Non ergo discet facere justitiam? Non, inquit Deus: subdensquè causam, *In terra, ait, Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei*. Hinc (i) ut viderunt miseriam hominum, & crudelem plagam (ut Propheta loquitur) Angeli pacis amarè flebant. Ab illa enim (k) lucidissima die, in qua conditus fuerat Adam ejectus est, & in has rerum contrusus angustias, diem tenebrosum invenit, & penè à lumine Veritatis extinctus. In hac die nascimur universi, si tamen dies debet & non potiùs nox vocari: nisi quodd lumen rationis quasi quandam scintillulam nobis insuperabilis illa misericordia dereliquit. Denique ejecto homine (l) teste Scriptura, Cherubim ad custodiam posuit Deus. Nec incongruè forsitan Cherubin flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ incisio pariter & incensio (quibus nihil carni terribilius) manum prohibeant corporalem. Primus homo (m) ad hoc conditus fuerat, ut si non peccasset, per contemplationis præ-

I 3

sen-

f Ser. 12. int. div. n. 1. g Ser. 72. in Cant. n. 8. h Serm. 23. in Cant. n. 14. i Ser. 1. in Annunt. B. M. n. 10. k Ser. 3. in Vig. nat. Domini n. 2. l Ser. 5. de Verb. Esa. n. 7. m. Ser. 2. super Salve Reg. n. 9.

sentiam vultui Creatoris semper afflueret, & solidum veritatis agnosceret, agnita amaret, amatum teneret, tenendo fruere: semperquè ei adhærendo qui immortalis est, etiam vitam ipse sine termino possideret. Verum enim & summum bonum hominis, plena videlicet & perfecta agnitio Creatoris. Sed circumscriptus astutiâ serpentis, & deceptus fucis vanitatis, specie videlicet creaturæ visibilis, à Hierusalem in Hierico descendit, fontem Veritatis deseruit, affectum pulchritudini rerum inclinavit: & statim ignorantie cæcitate percussus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus est vagus, & profugus super terram. Vagus scilicet per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam: quia mentem, quam Divinum auxilium deserit, quæcunque tentatio impetierit, subvertit. Cor ergo hominis, quod prius Divino amori affixum stabile persistit, & unum amando, unum permanens, postquam per desideria terrena defluere cæperit, quasi tot sibi in exilio mansiones statuit, quot sibi in eo delectationes invenit. Sicquè fit, ut mens, quæ pulchritudinem, dulcedinem, pacem, securitatem, ac perpetuitatem primæ lucis amare nescit, nunquam valeat esse stabilis: quia gaudium permanens in his quæ in fucis vanitatis amplectitur, non inveniens, dum se semper desiderio extendit, sequens quod assequi non valet, fluctuans in exilio nunquam requiescit. Modò valvis oculorum elapsa, curiosos intuitus pascit. & rerum immensitatem in massa & mole considerat: modò rerum pulchritudinem in situ & motu, specie & qualitate investigat: modò rerum utilitatem per necessaria, commoda,

apta

apta & grata, pertentat. Nunc quoque naribus, erumpit, & per olfactum odoris varii suavia oblectamenta requirit. His pasta, aurium per organa procedit, & dulce melos, harmonicæ, organicæ, arithmeticæ disciplinæ capta per auditum introrsus trahit. Tactu quoque subtilia, levia, & lenia palpando discutit, & in aula memoriæ palpando desiderata reponit. Nec minùs gustu faucium prælibat varietatem saporum. Hos hædos suos mens, quæ se ignorat & Deum, pascit juxta tabernaculum pastorum per res temporum, & temporalium vanitatem, mendicans ex ea quæ præterit figura hujus mundi, unde suam famelicam curiositatem aliquatenùs consoletur. Comparata est enim jumentis insipientibus, & similis facta est illis: quia cum in honore esset, non intellexit quidd limus esset, honoris fastigio delectata. Hinc justum (n) Divinæ ultionis judicium est, ut fugitivum Patris filium alter sibi usurpet in servum. Videns enim (o) antiquus prædo lascivum puerum sine custode, sine rectore, procul à domo Patris vagantem, accessit, & pomula illa inobedienciæ manu malæ persuasionei ei porrigens; postquam consensum ab eo elicit, aggressus est miserum, & in terram, idest, in terrena eum desideria præcipitans: pedesquè, idest, mentis affectiones, ne resurgat, fortissimis eum sæcularis concupiscentiæ vinculis alligans, manusquè operationis, & oculos mentis; misit eum in navim malæ securitatis, & flante vehementer vento adulationis, transvexit eum in longinquam regionem dissimilitudinis. Veniens

I 2 ille

In Ser. S. int. div. m. 3. o Parabola 1. de pugna spiritali nu. 2. tom. 2. pag. 525.

ille in regionem non suam, venalis factus est omnibus, qui prætergrediuntur viam. Discit porcos pascere, filiquas porcorum manducare, dediscit omnia quæ didicerat, & discit quæ nesciebat, servilia scilicet opera. Vinciturquè in desperationis carcere, ubi in circuitu impij ambulant, in mola impiæ circuitiōnis cogitur molere emolumenta malæ conscientiæ. Proh dolor! Sed inquis: (p) Quis iste unus tam potens dominus, qui non uni præfuit regioni, sed omnibus? Non alius (ut arbitror) quàm ille qui à Propheta dicitur absorbere fluvium, id est, genus humanum, & non mirari: habere autem fiduciam quòd & Jordanis, hoc est, electio ipsa influat in os ejus. Superest enim (q) ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplicitate sua. Siquidem absorbit fluvios sapientium, & torrentes potentium, & habet fiduciam ut Jordanis influat in os ejus, id est simplices & humiles qui sunt in Ecclesia. Ipse enim est Antichristus, qui se non solum diem, sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id, quod dicitur aut quod colitur Deus: quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies. Jam quidem (r) diabolo ignis paratus est, etsi nondum ille præcipitatus in ignem: modico tamen tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cælestis opificis factus est, malleus universæ terræ. Ferit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Cæterùm (s) etsi

p *Tract. de error. Abailar. cap. 5. n. 13. q. Ser. 33. in Cant. n. 16.*
 r *Ser. de S. Malach. Episc. n. 4.*

(s) et si justam dicimus diaboli potestatem, non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invasit, non homo qui meruit, sed justus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate, sed à voluntate justus injustusve quis dicitur. Primus utique homo, quia suam voluntatem facere voluit, à paradisi gaudiis exivit. Quando enim [t] fortis ille armatus, quem fortior superveniens alligavit, atrium illud olim suum valuit violentiâ aliquâ obtinere? Sed vacuum sibi què insipienter expositum, domicilium reperit, & cum aliis septem nequioribus, non fortioribus ingrediens, non irruens, liberè habitavit. Quis verò illum admisit, nisi propria voluntas? Hoc autem diaboli [u] quoddam in hominem jus, et si non jure acquisitum sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum. Sic itaque homo justè captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo. Originale [x] maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum planè delictum, quod sic totum non modò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. Graue denique illud delictum originale, quod non solum personam infecit, sed & naturam. Si Christianæ fidei [y] & non hæresi Pelagianæ acquiescimus, generatione, non institutione traductum in nos confitemur Adæ peccatum, & per peccatum mortem. Licet autem [z]

nos

s Tract. de error. Abailar. cap. 5. tit. 14. & Tract. de ord. vit. num. 17.
t Ser. 11. diver. n. 2. u Tract. de error. Abailar. cap. 5. tit. 14. x Serm.
hebd. sanct. n. 6. & 7. y Tract. de error. Abailar. cap. 9. tit. 23. z Ser. 1.
in Dom. 1. post Epiph. n. 3. & Ser. 2. in Cant. n. 7.

nos culpa inquinaverat aliena, nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram, alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non sit quod causeris, o homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.



PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Secunda .

*De exordio Crucis, quam Christus jugiter
portavit in suo corpore pro reparatione
ruinæ generis humani .*

C A P U T I.

*De concilio Dei coaëto cum Angelis suis, in quo
agebatur de modo redimendi genus
humanum.*

Consilium autem Domini manet in æternum .
Psal. 32.

1. Ostenditur qualiter editâ in lucem Mariâ, coaëtum fuit Concilium Divinum de modo redimendi hominem: in quo comparentes quatuor Virtutes, Veritas, Justitia, Pax, & Misericordia, magnam excitaverant controversiam. 2. Afferuntur rationes pro & contra, allegatæ à Virtutibus Misericordia & Justitia. 3. Deciditur eadem controversia ad favorem Misericordiæ, quod non ab alio, quàm ab ipso Filio Dei redimendus sit homo prævaricator.

§. I.



Vando [a] disponente Deo, peccabant rationales creaturæ, & multis annorum millibus tam cælestia, quàm terrestria incassum stare videbantur, semirutis illis, istis dirutis: tacebat Deus Omnipotens, & ordinans ejus Omnipotentia tantam dissimulabat confusione-
 nem. Tandem nascitur MARIA, à sæculo electa (b) ab Altissimo præcognita & sibi præparata, ab Angelis servata, à Patribus præfigurata, à Prophetis promissa. Ex Regibus orta (c) ex femine Abrahamæ, generosa ex stirpe David, longe ante eisdem Patribus cælitus repromissa. Quæ ad nubiles annos egrediens (d) speciem induit speciosam, quâ ipsum alliceret Deum, & Divinitatis oculos in se converteret. Hinc (e) cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini. Videt (f) & ardet ille vehemens Amator, & totum Epithalamium in ejus laudibus decantat, ubi manifestè Sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum: nec ultrà valens dissimulare quod patitur, evocatur statim Cælestis ille Conventus; & juxta Isaiam Prophetam, init
 Deus

S. Bernard. Abbas juxta ejus libros. edit. auctore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis an. 1667. A Ser. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 614. b Ser. 2. super missus n. 4. c Ser. 1. de Virg. Deip. n. 8. d Serm. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 614. e Serm. 3. super missus n. 2. f Ser. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 614.

Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restitutione eorum, & de redemptione hominum. Dum autem (g) iniit consilium tota Trinitas, cōsilium illud de quo alius Propheta David dicit: *Consilium tuum antiquum verum fiat*. Tunc (h) ex hoc sanè gravis quædam inter Virtutes quatuor videtur orta controversia. Siquidem Veritas & Justitia miserum affligebant hominem, Pax & Misericordia zeli hujus expertes judicabant magis esse parcendum. Sunt enim collectaneæ hæ duæ sibi, quemadmodum & priores. Unde & factum est, ut perseverantibus Veritate & Justitia in ultione, & prævaricatorem hinc inde cædentibus, & præsentis molestias futuri cumulantibus comminatione supplicij: Pax & Misericordia secederēt in cor Patris, redeuntes ad Dominum qui illas dedit. Solus quippe ipse cogitabat cogitationes pacis, cùm afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat Pax, nec ei Misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurro paterna pulsantes viscera loquebantur: Numquid in æternum proiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Et quamvis diu multumquè visus sit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo Justitiæ & Veritatis: non tamen infructuosa fuit supplicantium Pacis & Misericordiæ importunitas, sed exaudita est in tempore opportuno. Fortè enim (i) interpellantibus istis tale dicatur dedisse responsum: Usquequò preces vestræ? Debitor sum & sororibus

ve-

g *Lib. 2. de Amore Dei cap. 11. n. 33.* h *Ser. 1. in Annunt. S. M. n. 9.*
i *Ibid. n. 10.*

vestris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in Nationibus, Justitiæ & Veritati. Vocentur & veniant, & super hoc verbo pariter conferamus. Sane ex deliberatione communi ascendit Veritas ad constitutam diem, sed ascendit usque ad nubes: necdum planè lucida, sed subobscura & obnubilata adhuc zelo indignationis. Factumquè est ut legimus in Propheta: *Domine in Cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes*. Medius autem Pater luminum residebat, & utraque pro parte sua utilius quod habebat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, & indicabit nobis? Quis audivit enarrabit? Fortè inenarrabilia sunt, & non licet homini loqui. Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis (ait Misericordia) quoniam misera facta est, & miserabilis valde: venit tempus miserendi ejus, quia jam preterijt tempus. E contra Veritas: Oportet, inquit, impleri sermonem quem locutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo (ait Misericordia) ut quid me genuisti Pater citius perituram? Scit enim Veritas ipsa, quoniam misericordia tua perijt, & nulla est, si non aliquando miseriaris. Similiter autem è contrario & Veritas loquebatur: Quis enim nesciat, quòd si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, perijt, nec permanebit jam in æternum veritas tua Domine?

S. II.

Ecce verò unus de Cherubim (k), idest magni consilii Angelus ad Regem Salamonem suggeritur esse mittendus: quoniam Filio (inquit Joannes) datum est omne iudicium. Et in ejus ergo conspectu Misericordia & Veritas obviaverunt sibi, eadem quæ supra meminimus verba querimonix repetentes. Fateor (ait Veritas) zelum bonum Misericordia habet, sed utinam secundùm scientiam: nunc autem quid prævaricatori potius quàm sorori iudicat esse parcendum? At tu (inquit Misericordia) neutri parcis, sed tanta indignatione sævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & sororem. Quid mali merui? si quid habes adversùm me, dicito mihi: sin autem, quid me persequeris? Grandis controversia, Fratres, & intricata nimiùm disceptatio. Quis non illic diceret: Bonum nobis erat, si natus non fuisset homo iste? Sic erat, dilectissimi, omninò sic erat, non videbatur quomodo simul possent erga hominem Misericordia & Veritas conservari. Cùmquè adiceret Veritas in ipsum quoque Judicem partis suæ injuriam retorqueri, dicens cavendum omninò, ne fieret irritum verbum Patris, ne sermo vivus & efficax qualibet occasione evacuaretur. Parcite quæso (ait) Pax, parcite verbis hujusmodi: non nos talis altercatio decet, virtutum est inhonesta contentio. Porro (l) Judex inclinans se digito scribebat in terra. Erant autem verba Scripturæ. quæ Pax ipsa legit in auribus omnium. Ea siquidem propius affidebat. Veritas dicit: *Perii, si Adam non*

moriatur. Et Misericordia dicit: *Perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet utraq; quæ petit*. Obstupuere omnes in verbo sapientiæ & forma compositionis pariter atque iudicii. Siquidem manifestum fuit nullam eis querimoniæ occasionem relinqui: siquidem fieri posset quod utraq; petebat, ut & moreretur, & misericordiam consequeretur. Sed id quomodo fiet, inquiunt? Mors crudelissima est, mors terribilis, & ipso horrenda auditu. Bona fieri quam ratione poterit? At Judex inquit: Mors peccatorum pessima, sed preciosa fieri potest mors Sanctorum. An non preciosa erit, si fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Preciosa, inquiunt. Sed quomodo fiet istud? Fieri (ait Judex) potest, si ex charitate moriatur quis, utique qui nihil debeat morti. Neque enim detinere poterit mors innoxium, sed forabitur (ut scriptum est) maxilla Leviathan, & destruetur paries medius, solveturquè chaos magnum, quod inter mortem vitamquè firmatum est. Nimirum charitas fortis ut mors, imò & fortior morte: si fortis illius intraverit atrium alligabit eum, & diripiet utique vasa ejus: sed & ipso transitu suo ponet profundum maris viam, ut transeant libertati. Bonus visus est sermo (m) utpote fidelis, & omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito, sed ex voluntate: non ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit Veritas Orbem terræ, & nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Sed & Misericordia cælum omne perlustrat, & in Angelis quoq; ne dixerim pravitatem,

mi-

minorem tamen invenit charitatem. Nimirum hæc victoria illi debebatur, quo majorem charitatem nemo haberet, ut animam suam poneret quis pro servis inutilibus, & indignis. Nam etsi ipse jam non dicit nos servos, hoc ipsum immensæ dilectionis est, & eximiæ dignationis. Nos autem etsi omnia quæ præcepta sunt nobis faceremus, quid aliud dicere deberemus, nisi quoddam servi inutiles sumus? Sed quis eum super hoc convenire præsumeret? Redeunt ad constitutam diem Veritas & Misericordia, anxie plurimum, non invento quod desiderabant. Tunc verò seorsum Pax consolans eas, Vos (inquit) nescitis quidquam nec cogitatis: non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium.

§. III.

Intellexit Rex [n] quid loqueretur Pax, & ait: *Pœnitent me fecisse hominem*. Pœna (inquit) me tenet: mihi incubit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Scio enim [o] quid faciam. Moriar innocens pro nocente, & plus poterit incomparabiliter bonitas mea, quàm hostilis malitia: pœna innocentiae meæ, quàm pœna inobedientiae humanæ. Videbat quippe Dominus [p] quantum ad hominem omnia confusa, omnia turbata: nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo. Videbat hominem abiisse in regionem dissimilitudinis tam longè, ut per se nesciret nec posset redire. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei, dicens:

K

Po-

n *Ibidem* n. 14. o *Lib. 2. de Amore Dei cap. 12. n. 36.* p *Ibidem* cap. 11. n. 34.

Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat esse sicut dii. Ergone (inquit Deus Pater) Filius meus, splendor gloriæ meæ, & figura substantiæ meæ, in ipsa mei similitudine tot æmulos habebit, & pares, & socios? Præcipitatus est uterque. Potestatis ambitio [q] Angelum felicitate privavit Angelica: scientiæ verò appetitus hominem immortalitatis gloriâ spoliavit. Quid agat Filius [r] videns pro se zelare Patrem, & nulli parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui sibi crederet habuit: sed continuò Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo: & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus ejus. Numquid de bobus cura est Deo? Duas tantùm fecerat nobiles creaturas, rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniuersos. Ergo ut sciant quia & ego diligo Patrem, per me recipiat quos quodammodò propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas hæc orta est [ait] tollite me, mittite in mare. Omnes invident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum, ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Porro [s] videns imago Dei Deus Filium Angelum & hominem (qui facti

q Ser. 4. de Ascens. Dom. m. 5. r Ser. 1. de Adv. Dom. m. 4. f Lib. 2. de Amore B. M. n. 14.

facti erant ad imaginem Dei) per inordinatum imaginis & similitudinis ejus appetitum periisse : Heu , inquit, sola miseria caret invidiâ : sed subveniendum est homini , cui subvenire non prohibet justitia . Ex-beo me igitur bonum hominem, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, ut zelet & imitetur in me humilitatem, per quam perveniat ad gloriam, ad quam præproperè festinavit. Accinxit ergo se [t] quoadammodò Dei Filius, & aggressus est per humilitatem recuperare hominem qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Tunc etiam [u] dixit : *Ecce venio* . Non enim potest hic calix transire , nisi bibam illum : ut [x] quem supplantavit aliena malitia , prodesse ei possit charitas aliena . Angelis stupentibus [y] & mirantibus præ gaudio, quæritur modus redemptionis : & statim de thesauro Divinitatis evoluitur Nomen **MARIÆ** . Et per ipsam , & in ipsa , & de ipsa , & in ipsa totum hoc faciendum decernitur : ut sicut sine Deo nihil est factum , ita sine illa nihil reffectum sit . Traditur Epistola Gabrieli , in qua salutatio Virginis , incarnatio Redemptoris , plenitudo gratiæ , gloriæ magnitudo , multitudo lætitiæ continetur . Et accersito Gabriele [z] Vade , inquit, dic filiæ Sion : *Ecce Rex tuus venit* . Festinavit ille & ait : *Adorna thalamum tuum Sion , & suscipe Regem* . Porro venturum Regem Misericordia & Veritas præven-erunt , sicut scriptum est : *Misericordia & Veritas præcedent faciem tuam* . Justitia thronum præparat,

Dei cap. 11. n. 35. t. Ibidem cap. 12. n. 35. u Ser. 1. in Annunt. B. M. n. 14. x Ser. 1. de Advent. Dom. nu. 5. y Ser. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom 6. pag. 614. z Serm. 1. in Annunt.

secundùm illud: *Justitia & iudicium preparatio sedis tuae*. Pax cum Rege venit, ut Propheta fidelis inveniretur qui dixerat: *Pax erit in terra nostra cum venerit*. Sed & tunc *Justitia & Pax* osculatæ sunt, quæ non modicè videbantur hætenùs diffidere. Prior enim si qua erat ex lege *justitia*, non osculum sed aculeum habebat, magis urgens timore, quàm provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, sicut habet nunc quæ ex fide nascitur *justitia*. Alioquin quid erat quòd nec Abraham, nec Moyses, nec cæteri *Iusti* temporis illius, in obitu suo pacem illam beatitudinis æternæ apprehendere, aut regnum pacis poterant introire, nisi quod adhuc *Justitia & Pax* sese fuerant osculatæ? Missus est (a) coluber tortuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic transfunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret, ut eadem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intraverat. Scitis Fratres (b) quia in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus omnes. Cecidimus sanè in carcerem luto pariter & lapidibus plenum. Cecidimus inquam (c) super acervum lapidum, & in luto: unde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Exinde (d) jacebamus captivi, inquinati, quassati, donec veniret desideratus qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Ego autem audiens (e) quòd transit ante car-

a Ser. 2. in die Pent. n. 3. b Ser. 2. in oct. Pasch. n. 4. c Ser. 1. in Cena Dom. n. 3. d Ser. 2. in oct. Pasch. n. 4. e Ser. 3. in Circumcis. Domini in 4.

carcerem Filius magni Regis, cæpi altiùs gemere, & mirabiliùs exclamare dicens: *Fili Dei, miserere mei.* At ille sicut benignissimus: Quisnam est (inquit) ille fletus & ululatus quem audio? Et dicunt ei: Ipse est Adam proditor ille, quem Pater vester tradi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum suppliciis faciat interire. Quid ageret cujus natura bonitas, cui proprium est misereri semper & parcere? Porrò [f] ludebam ego foris in platea, & in secreto Regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Descendit [g] in carcerem, venit ut educeret vincitum de domo carceris. Deinde [h] ut inde nos educeret, infixus est ipse quoque in limo profundi. Ita Domine, obsecro [i] complacere tibi ut ervas me, quoniam ego infirmus sum, quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hîc innocens in lacum missus sum. Non penitùs quidem innocens, sed quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenùs. Mendacium mihi persuasum est Domine: veniat Veritas, ut possit falsitas deprehendi, & cognoscam Veritatem, & Veritas liberabit me: si tamen deprehensæ falsitati penitùs renunciavero, & cognitæ adhæsero Veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, sed obstinatio diabolica. Nam perseverare in malo, diabolicum est: & digni sunt perire cum illo, quicumque in similitudinem ejus permanent in peccato.

CAPUT II.

De exordio Crucis, quam Christus in Nativitate sua ob infantiles neccessitates pertulit.

Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerū ejus. *Esa. 9.*

1. Ostenditur Christum incarnatum statim pertulisse Crucem in utero Virginis, ibi sustinendo. tadia novem mensium, & operando salutem nostram.
2. Ex circumstantiis Nativitatis ejus desumuntur varia documenta Crucis, quam infans Jesus natus hyeme, nocte, in stabulo, in præsepio jacens sustinuit.
3. Proponitur nobis consideratio lachrymarum ejusdem infantis Jesu vagientis in præsepio: nec non pannorū, quibus ligatus erat pro salute nostra.

§. I.

Avdiant [a] & intelligant omnes Christiani, & frequenter eorum mentibus inculcetur martyrium innocentis Jesu. Unde & Esaias de nativitate ejusdem Jesu Christi loquens: *Puer, inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus.* Crucem, quam imperii nomine significavit, nativitati statim adjungendo: quia profectò à nativitatis exordio passio crucis simul exorta est. Non modicum enim pertinet ad commendationem rubicundæ passionis, quod Salva-
tor

a *Tract. de vite Myst. cap. 26.*

tor noster in alieno loco, in medio noctis, in stabulo
 diverforij, ex Matre paupercula natus est, licet ibi
 Sanguis ejus effusus non fuerit, quod tamen parvo
 temporis intervallo, idest, septem dierum spatio se-
 cutum est. Passionem denique [b] non illum diem
 unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam
 vitam ejus. Tota enim vita Christi crux fuit,
 & martyrium. Intantum enim [c] dilexit nos dile-
 ctor noster, ut charitatis ardore cogente ruborem
 passionis incideret, traderetque in mortem animam
 suam, mortem autem crucis non breviter transeun-
 tis, sed à principio ortus sui usque in finem mortis
 durissimæ perdurantis. Crux enim optimi Jesu
 Christi non tantum fuit unius diei, sed tota vita ejus
 crux fuit & martyrium. Omnia ergo quæcunque
 passus est Dominus in die Carnis suæ, ad ruborem
 utique passionis pertinent, quamvis effusionibus
 crebris sacratissimi Sanguinis ipsius specialiter non
 fuerit rubricata. O quanta [d] charitas! O quanta
 commendatio charitatis! Vix natus est Cæli gloria,
 Cæli divitiæ, Cæli deliciæ dulcis Jesus: & ecce re-
 centi ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis
 paupertas copulatur. Profectò [e] verè martyrii ge-
 nus paupertas voluntaria est. Ille [f] in quo omnes
 thesauri sapiëntiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, Rex
 regum, dives in omnes, solus nullius egens, sic pau-
 per, ut, ipso teste, & vulpibus terræ, & volucri-
 bus cæli pauperior inveniatur, cum dicit: *Vulpes
 foveas habent, & volucres Cæli nidos, filius autem
 hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Pauper

K 4 in

b *Ibidem* cap. 5. n. 22. c *Ibidem* cap. 35. d *Ibidem* cap. 36. e *Ser.*
 1. de omni. Sanct. n. 15. f *Tract. vite Myst. cap. 2. n. 2.*

in nativitate: natus enim partum habet lac virginæ, tegmen pannos viles. Pauperior in vita: nam si tegumentum habuit, sapius tamen in victualibus defecit. Intuere, ô homo (g) tempus tuæ redemptionis, recordare & respice quomodo redemptus sis. Ille per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, Summi Patris Unigenitus, eidem Patri consubstantialis & coæternus, par Majestate, æqualis gloriâ, idem in essentia, ipsius Virtus & Sapiencia; hic talis & tantus cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, de sinu Patris in vallem nostræ plorationis descendit, in utero puellæ se contraxit: & qui erat in principio apud Deum, factum est Verbum abbreviatum. Et vide quàm abbreviatum, quàm immensum, quàm breve factum. Intra puellæ viscera se clausit, ibi sanguineis circumdatus involumentis, tædia novem mensium sustinuit. Ibi (h) exinanivit se formam servi accipiens, qui informa Dei Patris æqualiserat: sed exinanivit majestate & potentia, non bonitate & misericordia. *Ecce, ait, nova facio omnia.* (i) Quis hoc ait? Agnus utique qui sedebat in throno. Agnus planè totus suavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod est Christus. Verè vidimus gloriam ejus (k) gloriam quasi unigeniti à Patre: quia totum paternum est, quoddam de corde Patris Christus attulit nobis. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas: erravimus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato

E. Tract. de 2. præcip. Myst. cap. 6. n. 10. h Ser. 1. in nat. Dom. n. 2. i Ser. 4. in vig. nat. Dom. n. 4. k Ser. 2. in die Pent n. 3. & 4.

cato & in peccato concepti. Christus ergo ibi primum medicinam apposuit, ubi primus vulnere patebat locus: & substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu Sancto conceptus est, ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus etsi non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius ociosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans (ut dicitur) usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ. Quis enim (l) potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus sine omni illicita & immunda conceptus est voluptate? In ipsa radice & origine mea infectus & inquinatus sum, immunda est conceptio mea: sed est à quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit. Et jam quidem (m) peccatum in propria persona vicit, quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, & revera expugnatum esse cognoscitur, quando naturam, quam se totam infecisse & occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena in Christo inventa est. Mater est (n) sine corruptione Virginitatis, Filius sine omni labe peccati. Non cadit in Matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per Prophetam: *Nemo mundus à sorde, nec infans cuius est unius diei vita super terram.* Ecce Infans sine sorde, solus inter homines verax, imò & veritas ipsa. Ecce Agnus sine macula, Agnus Dei

l Ser. 4. vig. nat. Dom. n. 2. m Ser. 1. in nat. Dom. n. 4. n Ser. 4. in vig. nat. Dom. n. 5.

Dei, qui tollit peccata Mundi. Quis enim peccata meliùs tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse.

§. II.

Deinde (o) in lucem editus infantiliter vagit, pannis sordentibus more miseræ nostræ implicitus est, & fasciâ constrictus, in præsepio ad afflatus brutorum animalium reclinatus, & in sætenti stabulo juxta Matris pauperiem deponitur. Quæ docet litera, quæ loquitur lingua, quæ monstrant exempla, quempiam nascentium in humano genere tali inopiæ præsurâ laborasse? Omnium nutritor humano lacte nutritur: sordet in pannis, ne tu ô homo sorderes in peccatis. In nostra vita (p) multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate: sed Christus Dei Virtus, & Dei Sapiencia neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei Virtutem necessitas cogeret, aut quid ageret Dei Sapiencia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites esse voluntaria, plena Sacramentorum, plena Salutis. Unde (q) diligenter considera (ait Sapiens) quæ tibi opponuntur. Et ego quidem agnosco mea esse nativitatibus hujus tempus, locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus & lachrymas. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. *Hyeme* natus est, nocte natus est Christus. Numquid credimus casu factum esse, ut

o Tract. de 3. præcip. myst. cap. 5. n. 10. p. Ser. 4. in Ascen. Dom. n. 2. q. Ser. 3. in Nativit. Dom. n. 1.

ut in tanta aëris inclementia, & in tenebris nasceretur, cujus est hyems & æstas, dies & nox? Non eligunt pa. vuli cæteri quando nascantur, quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat ejusdem cujus nunc est sapientiæ & potentiæ, ut pote Dei Virtus, & Dei Sapiencia. Nasciturus itaque Dei Filius, in cujus arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis Matris filio, quæ vix pannos habebat ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Jam verb (r) etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobatur ille. Quis prudentior è duobus? cujus judicium justius? cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum, amanesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in *stabulo* nascitur Christus, & in *præsepio* reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit: *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius?* Quid ergo *stabulum* elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Invenimus enim (s) quoniam ille cum esset dives, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus Cæli divitiis, & veniens in mundum nec istas qualescunque divitias habere

VO-

x *ibidem* n. 2. s. Ser. 3. de Resurrect. Dom. n. 1.

volvit: sed in tanta paupertate venit, ut natus continuè poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diverforio. Qui benè considerat hæc, quando quæret divitias mundi? Est verè magna abusio, & magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis, & Dominus Sabaoth volvit pauper fieri. *Cælum (t) & terram ego impleo*, inquit Deus Verbum. Nunc caro factum est; in angusto locatum præsepio est. Ibi (v) agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, panis esuriens. Videas & attendas Potentiam regi, Sapientiam instrui, Virtutem sustentari. Incomprehensibilis erat (x) & inaccessibleis, invisibilis & inexcogitabilis omninò: nunc verò comprehendit volvit, videri volvit, cogitari volvit. Quomammodo, inquis? Nimirum jacens in præsepio. Nèdum loquitur lingua (y) & quæcunque de eo sunt clamant, prædicant, eungelizant. Clamat stabulum (z) curando sese homini, qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe, eidem homini qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Panis utique Angelorum (a) factus est fænum positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis. *Verbum quippe caro factum est: & juxta Prophetam, Omnis caro fænum. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ait Verbum hoc. Et quem panem dicat, aperit cùm subjungit, & *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Pro-

pte-

t Ser. 1. in natiuit. Domini n. 1. u Ser. 2. sup. missus n. 9. x Ser. 2. de Virg. Deipar. n. 11. y Ser. 3. in Natiuit. Domini n. 2. z Ser. 5. in Natiuit. Domini n. 1. a Ser. 35. in Cant. n. 4.

pterea (b) ut inveniaini non spiritum habere hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, & sciatis quæ à Deo data sunt vobis: nolite, obsecro, fieri sicut equus & malus, sed sicut pium jumentum quod ait: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Talia enim jumenta cognoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui, in quo positum est eis piissimū fænum, ipse qui panis est Angelorum. Ipse enim est panis vivus, de quo vivere debuit homo: sed quia homo jumentum factus est, & panis factus est fænum, ut vel sic vivat de eo. Habet utique homo (c) in refectione animarum sanctarum Bethleem domum panis, in qua primū is qui de cælo descenderat, pariente Virgine panis vivus apparuit. Monstratur ibidem piis jumentis præsepium, & in præsepio fænum de prato Virginali, quo vel sic cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Porro homo quia suum in quo factus est honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fænum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitūs dissuevit, quousque per Hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursus conversus in hominem, cum Paulo dicere possit: *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*. Agnosce, ô bos (d) possessorem tuum, & ô tu asine præsepe Domini, ut Prophetæ Dei fideles iuventantur. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem

fugie-

b Ser. 3. in circumcis. ma. c tract. de esboro, ad milis. templi c. 6.
d Ser. 25. in cant. 5.

fugiebas in paradiso . Honora præsepium , cuius contempstisti imperium . Comede sænum , quem panem , & panem Angelicum fastidisti . Porro (e) ipsa quoque *infantilia membra* non silent . In omnibus mundi iudicium arguitur , subvertitur , confutatur . Quis enim hominũ , si daretur optio , non magis eligeret robustum corpus , & ætatem intelligibilem , quàm infantilem ? O Sapiencia quæ de occultis traheris ! O verè incarnata & velata Sapiencia ! Et tamen , Fratres , ipse est promissus olim per Esaiam parvulus , sciens reprobare malum , & eligere bonum . Malum ergo voluptas corporis , bonum verò afflictio est . Siquidem & hanc eligit , & illam reprobabat puer sapiens , Verbum infans , Verbum enim **C**aro factum est , caro infirma , caro infantilis , caro tenera , caro impotens omnis operis , omnis laboris impatiens . Et cum esset tanta necessitas (f) nullam audio pellium fieri mentionem . Primus Adam pelliceis vestitur tunicis , pannis secundus obvolvitur . Non est tale iudicium mundi . Aut iste fallitur , aut mundus erat . Sed Divinam falli impossibile est Sapienciam . Meritò proinde & carnalis prudentia (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo , & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur . Quid enim ? Christus utique qui non fallitur , elegit quod carni molestius est . Id ergo melius , id utilius , id potius eligendum : & quisquis aliud docet vel suadet , ab eo tanquam à seductore cavendum . Imitator Christi (g) tria debet agere : 1. simplicis innocentiaẽ sensum tenere , ut cum Christo puer efficiatur . 2. abje-

e Ser. 3. in nativitat. Dom. m. 2. sibi idem n. 1. g. Lib. sent. m. 29. tom. 6. pag. 1000.

abjectum & humilem habitum amare, ut infantia Christi pannis vilibus involvatur 3. in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo in praesepio positus inveniatur. Cur autem ipse Salvator (h) cujus est aurum & argentum, sacram in corpore suo dedicavit paupertatem? Aut certè cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab Angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator obvolvitur & ponitur in praesepio, quando id manifestè in signum nobis commendatur ab Angelo. *Hoc, inquit, Vobis signum: invenietis infantem pannis involutum.* In signum positi sunt panni tui Domine Jesu, sed in signum cui à multis usque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, & ideo nec signati. Agnosco certè, agnosco Jesum magnum Sacerdotem sordidis opertum vestibibus, dum altercetur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, & quibus non ignota est prophetica visio Zachariae. Absconde Maria (i) novi Solis fulgorem, pone in praesepio, involve pannis Infantem. Nam & ipsi panni divitiarum nostrarum sunt. Preciosiores siquidem panni Salvatoris omni purpura, & gloriosius hoc praesepae auratis Regum foliis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris saeculi, O homo (k) in Carne tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta: ecce jam trahitur de oculis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuae. Carnaliter (ut jam dixerim) praedicatur tibi: Fuge voluptatem, quia posita est mors secus introitum delectationis. Age penitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei.

h Ser. 4. in natiuit. Domini. 1. i Ser. 4. in vigil. Nat. Domini. 6. k Ser. 3. in natiuit. Domini. 3.

Dei . Hoc tibi prædicat stabulum istud , hoc præsepe clamat, hoc membra infantilia manifestè loquuntur , hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. O quanta (1) commendatio charitatis ! Vix natus est cæli deliciæ dulcis Jesus , & ecce recenti ortui crucis ignominia , crucis dolor copulatur . Vinculum quippè [m] in præsepio fuit juxta illud : *Vagit infans inter arcta conditus præsepia : membra pannis involuta Virgo Mater alligat : & manus pedesquè & crura , strictâ cingit fasciâ* . O Rex regum & Domine dominantium , quid tibi & vinculis ? Quantum derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ , qui solus ligandi & solvendi potestatem habes ? Sed propter misericordiam tuam ligatus es , ut nos à miseriis nostris faceres absolutos .

§. III.

Plorat denique Christus [n] sed non sicut cæteri , aut certè non quare cæteri solent . In aliis sensus , in Christo prævalebat affectus . Patiuntur illi , non agunt , utpote nec ipse adhuc usum voluntatis habentes . Illi ex passione lugent , Christus ex compassione . Illi jugum grave lugent , quod est super omnes filios Adæ . Imò [o] vociferant ad Deum , suisquè vagitibus clamitant : Domine vim patior . Clamat innocentia miseri , clamat ignorantia parvuli , clamat addicti infirmitas . Christus autem [p] filiorum Adæ peccata deplorat : & certè pro quibus nunc lachrymas fundit , postea fundet & Sanguinem . Clamant ejus lachymæ [q] clamant panni , hominis
cruen-

1 tract. de vit. myst. cap. 36. n. 142. in ibidem cap. 4. num. 12. n. Ser. 3. in Nat. Dom. num. 30 Ser. 66. in cant. n. 9. p. Ser. 3. in Nat. Dom. n. 3. q. Ser. 5. in Nat. Dom. n. 1.

cruenta jam vulnera abluī, & detergi. Siquidem
 nullo horum Christus eguit, nihil horum illi propter
 se, magis autem omnia propter electos. Noli ergo
 homo (r) vilipendere animæ tuæ passionem, cui à
 tanta Majestate tantam vides exhiberi compassio-
 nem. Fudit ipse lachrymas pro te, lava & tu per
 singulas noctes lectum tuum cordis compunctione,
 & lachrymarum assiduitate. Alioquin [s] quam
 commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihi-
 lo das illam? Nonne Dei Filius cùm esset in sinu Pa-
 tris, à regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam li-
 beraret à potestate diaboli? Quam cùm vidisset pec-
 catorum funibus irretitam, jam jamquè dæmonibus
 tradendam ut morte perpetua damnaretur, flevit su-
 per illam, quæ flere nesciebat. Nec solùm flevit,
 sed etiam occidi se permisit, ut precioso Sanguinis
 sui precio eam redimeret. Fratres, [t] Lachrymæ
 Christi mihi & pudorem pariunt, & dolorem. Lu-
 debam ego foris in platea, & in Secreto Regalis cu-
 biculi super me ferebatur judicium mortis. Audi-
 vit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate,
 sacco uestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes,
 flens & ejulans, quoddam morte damnatus esset servulus
 ejus. Intueor illum subitò procedentem, stupeo
 novitatem, causam percunctor, & adeo dicere:
 Quid facturus sum? Adhucne ludam, & deludam
 lachrymas ejus? Planè si insanus sum & mentis in-
 ops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo.
 Ecce unde pudor. Dolor & timor unde? Utique
 quia ex consideratione remedii, periculi mei æsti-

L

mo

r tract. de cognis. human. condit. cap. 3. n. 9. s. ibidem. cap. 3. n. 8.
 t Ser. 3. in nat. Dom. n. 4.

mo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis precioso Sanguinis balsamo medeatur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem, cui tanta à Majestate tanta exhiberi video compassionem. Compatitur Filius Dei & plorat, homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est. Verùm (v) si diligenter observē præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina, sic & ex hoc ipso non incurabilem esse conjecto. Neque enim preciosissimas species frustra infumeret medicus sapiens, imò Sapiencia ipsa. Porro frustra infumi constat, non solum si absque eis facilis esset curatio, sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad pænitentiam, & accendit vehementiùs desiderium spes concepta. Infans quidem est (x) sed Verbum infans, cujus ne ipsa quidem infantia tacet. Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester. Dicit hoc Emmanuel, nobiscum Deus. Non autem consolatur [y] Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lachymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe & stabulum amantes primas cathedras in Synagogis: sed æquanimiter fortè universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus & pannosis pauperibus cedere videbuntur. Exigit utique (z) planctum à nobis pænitent-

v *ibidem* n. 5. x *Ser. 5. in nat. Dom. n. 1.* y *ibidem* n. 5. z *Ser. in Quadrages. 4.*

nitentia præteritæ conversationis, exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* [ait Propheta] *dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Parùm ei placet hujus vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit, necdum plangit admiffa peccata, necdum plangit tempus amiffum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera, conscientiæ læfionem. Sed nec futura satis gaudia concupifcis, fi non quotidie fatis postulas ea cum lachrymis. Minùs tibi nota sunt, fi non renuit consolari anima tua donec veniant. Felix anima (a) quæ meretur illud accipere testimoniũ, de quo Joannes ait: *Tres funt, qui testimoniũ dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis*. In aqua quidem Baptifmum intellige, in Sanguine Martyrium, in Spiritu charitatem. Spiritus enim est, qui vivificat, & fidei vita dilectio. Jam verò (b) quia Baptifmum aquâ, Martyrium diximus sanguine designari; memento & unicum & quotidianum esse Baptifmum, fimiliter & Martyrium. Est enim & martyrii genus, quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est Baptifmus aliquis in compunctiõne cordis, & lachrymarum affiduitate. Sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic & Baptifmi Sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde & Propheta: *Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum*

L

2

riga-

a Ser. I. in oct. Pasch. n. 6. b ibidem n. 7.

rigabo. Lavabo & ego (c) per singulas noctes lectum meum, ut conscientiæ maculas diluam: lachrymis meis stratum meum rigabo, ne in me quoque fiat quod scriptum est de semine quod cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Sicut autem in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta steriliaquæ & arida esse consueverunt, sic superbiam impænitentia comitatur. Elatum enim cor, durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis: quia superbis Deus resistit, humilibus verò dat gratiam *Qui emittit fontes in convalibus inter medium montium* (ait Propheta) *pertransibunt aquæ*. Hinc est quod de se ipso mirabiliter conquerens ait: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Siquidem aquæ inopia nonmodò aridum, sed & sordidum facit, dum non est quo laveris: & humanum cor lachrymas nesciens, nonmodò durum sed & impurum esse necesse est. O duritia (d) cordis mei! Utinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *Auferam*, inquit, *à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Quæram ergo mihi (e) & utinam inveniam fontem lachrymarum in lachrymis rubicundi Jesu: ut quod bonum est in eis confortetur, & sordidum abluatur, quæ virtus utraque in lachrymis invenitur.

C A.

c *Ser. l. in diversis. 2.* d *Ser. 3. in nativitat. Domini n. 3.* e *tract. de vitæ myst. cap. 33. n. 139.*

CAPUT III.

De Circumcisione Christi, quam sustinuit in corpore suo, vulneratus pro salute nostra.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus Jesus, Luc. 2.

1. Agitur de humilitate & patientia pueri Jesu, qui licet immunis esset ab omni peccato, voluit tamen cauterium peccatoris suscipere, & dolorem sustinere in sua circumcisione. 2. Ex occasione hujus Circumcisionis desumuntur salutaria documenta morum & vite Christianæ. 3. Proponitur nobis ad considerandum mysterium, cur eodem tempore quo circumcisus erat puer, etiam vocatum est nomen ejus Jesus.

§. I.

Agnosce, ô homo [a] quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Primam (b) Sanguinis effusionem legimus in Circumcisione, quando nomen ejus vocatum est Jesus, jam tunc mysticè significando, quod effusione Sanguinis sui futurus nobis esset verus Jesus, idest, Salvator. Unde & ipse de se dicit: *Ego sum vitis vera*. Solet (c) vitis fructifera præcidi,

L 3 quod

a Ser. 3. in nat. Dom. in. 4. b tract. de vite myst. cap. 36. c ibidem cap. 2. et 2.

quod & corporaliter & figurativè accipi potest. Circumcisus enim fuit Jesus, non quòd hac circumcissione egeret, quæ in antiquis patribus debebat originale peccatum, sicut Baptismus in nobis: nihil enim peccato originali per concupiscentiæ vitium contracto debebat, quia sine omni concupiscentia carnali conceptus erat. Sed nè legem quam ipse dederat, solvere videretur. *Postquam consummati sunt dies octo (d) ut circumcideretur puer, vocatū est nomen eius Jesus.* Ab initio Deus modum, acceptat & nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quòd non modò in pondere & mensura & numero condidit universa, sed & protinùs ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit dicens: *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas* Levissimum planè mandatum, & larga omnino mensura. Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum, & constitutum sibi terminum prætergressus. Uude & avergens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursùs modum instituit, promulgavit legem, sed non priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam. Ibi prohibitio facta est, ne superfluitas subintraret: hîc jam indicta abscissio est, ut Sacramenti remedio quæ subintraverat tolleretur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructu ejus vesceretur: hæc in proprio corpore, ut caro præputiî scinderetur. Nec dubium sanè, quin cætera quoque humani corporis membra additamentum illud Leviathan occuparet, venenum scilicet

d Ser. 2. in Circumcis. Rom. num. 1. & 2.

cet concupiscentiæ & immoderatæ atque inordi-
 natæ illecebra voluptatis, ut generalis quædam ab-
 scissio omnibus necessaria videretur. Cæterùm quia
 singulorum membrorum abscessionem humanæ car-
 nis fragilitas, & infantilis ætatis infirmitas nullate-
 nùs sustineret, pio moderamine dispositio superna
 providit, ut in ea potissimam parte concupiscentia
 castigaretur, in qua vehementius eam sævire con-
 stabat, & violentius malignari. In omni siquidem
 contradicentium spiritui rebellionem membrorum,
 solum illud usque adeo contumax invenitur,
 ut contra omnem voluntatis deliberationem ad
 inhonestos & illicitos motus assurgat. Porro (e) in
 Circumcisione Domini, Fratres, habemus quod
 amemus & admiremur, habemus etiam quod imi-
 temur. Patet in ea magnum dignationis benefi-
 cium, unde gratias agamus: latet aliquid clausum,
 quod in nobis implere debeamus. Verbum abbrevi-
 atum in carne (f) ampliùs abbreviatur suscepta
 etiam carnis circumcisione. Minoratus paulomi-
 nùs ab Angelis Dei Filius humanam naturam induit,
 sed jam nec ipsum respuens remedium humanæ cor-
 ruptionis, planè multò minoratus ab eis. Habemus
 igitur hîc magnum fidei documentum, habemus
 & manifestum humilitatis exemplum. Ad quid
 enim tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non
 commisisti, nec contraxisti? Quod ipse non feceris,
 ætas manifestat: quod non contraxeris, multò certius
 probat Patris Divinitas, Virginitas Matris. Sum-
 mus Sacerdos es, quem nec super Patre nec super
 L 4 Matre

e Ser. 3. in Circumcis. Domini num. 1. f Ser. 1. in Circumcis. Domini num. 1.

Matre contaminandum, prophetatum est in lege potius quam mandatum. Est enim tibi Pater ab æterno, sed Deus est, in quem peccatum non cadit. Est & Mater ex tempore, sed Virgo, nec parere poterat incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circumciditur Puer, Agnus sine macula. Etsi non eguit, tamen voluit circumcidi: nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impii, non sic, non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & verendum pariter & austerum sine ulla necessitate suscepit: nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderet rubigo non fuit. Nos è contra inverecundi ad abscænitatem culpæ, erubescimus agere penitentiam, quod extremæ dementiæ est, malè proni in vulnera, pejùs in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari: nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane sano opus est medicinâ, & non potius malè habentibus? Imò verò itane eget medicamine non æger, sed medicus? Quis hominum tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentæ conscius, æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter quæ non rapuit exolvit, qui venerat purgationem facere non suscipere delictorum. Sed dicas: (g) Quidni susciperet parvulus? Imò verò, quidni susciperet humilis & mansuetus? Quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram sondente obmutuit,

tuit, coram crucifigente siluit? Alioquin non erat illi difficile carnem suam integram conservare ne scinderetur, qui fecerat ne Virginalis uteri porta in exitu suo aperiretur. Non erat difficile paruulo prohibere ne caro illa circumcideretur, quando nec mortuo fuit difficile custodire ne corrumperetur. Profec̄d̄ in majori ætate (h) patientiæ & humilitatis, & super omnia charitatis, cæterarumque virtutum manifesta dedit Salvator exempla: in infantia verò figuris velata. Ipso enim (i) die Nativitatis minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo: hodie verò mirabilius aliquid audio. Jam minoratus est multò minus Angelis, qui non solùm formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodã cauterio latronis. Quid est enim Circumcisio, nisi superfluitatis & peccati indicium? In te Domine Jesu quid est superfluum quod circumcidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus sine omni peccato de Virgine Matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia super eum possit cadere illa sententia: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo*? Potestne oblivisci Pater Filii uteri sui? Aut non cognosceret eum, nisi signum circumcisionis haberet? Imò verò si quomodo posset non agnoscere Filium, in quo ei benè complacuit, ex hoc maximè signo poterat ignorare eum; inventa in eo circumcissione, quam peccatoribus ipse providebat, ob purgationem utique delictorum. Sed quid mirum si Caput pro membris accepit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam? Nonne

ne

h Sermon. 3. in Circumcis. Dom. n. 1. i Ibidem num. 3.

ne & in membris nostris sæpe pro unius infirmitatè alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura: dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in Capite. Populo duræ cervicis (k) cultellus erat necessarius, & lapideis cordibus meritorè cultri lapidei debebantur, qualibus à Jesu Nave facta circumcisio memoratur. Noster autem Jesus tanquam Agnus mansuetus omnem austeritatem abstulit. Sed & propterea voluit circumcidi, ut ostenderet Auctorem se esse veteris legis, sicut ipse per servum suum Moysen prius dixerat: *Omnis anima cuius præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*. Denique communitatis amator & commendator, qui habitare facit unius moris in domo, quomodo communitatem desereret, & alios scandalizaret? Sic enim scandalizarentur videntes eum non circumcidi, sicut hodie scandalizaretur Ecclesia, si infantem videret non baptizari. Nec solum communitatis & unitatis bonum commendare, sed humilitatem voluit exhibere, ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. Hinc enim Apostolus dicit: *Misit Deus Filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege*.

§. I I.

Porro (l) moraliter docuit nos oportere non egre ferre, si quando pœnas peccati patimur, quod in nobismetipsis non recognoscimus, cum ipse peccatorum purgator non fuerit dedignatus pro nobis subire reme-

k Ser. 4. in Epiphan. Dom. 11. 1. 2. & 3. l Tractat. de Vite myst. cap. 2. n. 2.

remedium peccatorum. Consolemur ergo dolores nostros, qui nequaquam sine peccato sumus, doloribus illius qui non pro se, sed pro nobis doluit & vulneratus est; non pro se, sed ut nostris vulneribus mederetur. Vide quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quam paratus & promptus fuit Sanguinem effundere, circumcisus pro nobis die Nativitatis suæ octavo. Utinam nos saltem & anno octavo non nihil pro Domino pateremur. Sed quid dicimus, cum plures inveniamus & post octo plantatos, vel post octuaginta annos, cum naturaliter erit eorum labor & dolor, nec voluntate saltem ad Dominum conuerti, nec tam maturè impensè Sanguinis preciosi memores, tamdiu vanitati subjectam corrigere vitam. Quid miserius? Christus octavam diem à Nativitate sua vix expectat, ut suum tibi Sanguinem impendere incipiat. Tu post non dico octo dies, sed nec post octuaginta menses, imò & octuaginta annos solam non rependis voluntatem? Ille vix natus Sanguinem tibi effundit: tu jam moriturus voluntatem tuam non refundis? Bonus profectò Jesus, qui etiam in quarta vigilia venientem servum suscipit pœnitentem. Dedisti robur annorum juvenilium hosti Christi? Christo saltem misericorditer expectanti infirmam tribue voluntatem, nec dubites quin illam accipiat. Puer enim natus est nobis, ut parvulis munusculis consoletur: quia parvum parva decent. Denique parvulus est (m) leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facilè donat? Ecce si non fuerit nobis pro minimo, possumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen

men

men sine pœnitentia: sed quia minimum quiddam sit nostra ipsa pœnitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus: attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est: illud si dederò, satis est. Si quo minùs, addo & Corpus ipsius: nam illud de meo est, & meum est. Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est mihi. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! O satisfactio suavissima! O verè reconciliatio facilis, sed perutilis! satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quàm facilis modò, tam difficilis erit postea. Et sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniã sicut benignitas apparuit ultra omnẽ spem, ultra omnem æstimationem, ita similem expectare possumus iudicii districtionem. Apparuerat ante (n) Potentia Dei in rerum creatione, apparebat Sapiencia in earum gubernatione, sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Noli ergo fugere Adam (o) quia nobiscum Deus. Ne timeas, ô homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus. Nobiscum Carnis similitudine, nobiscum unitate. Propter nos venit tanquam unus ex nobis, similis nobis, passibilis. Quid tu times ô homo (p) quid trepidas à facie Domini quia venit? Venit non iudicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres & imponeres Regium diadema capiti tuo. Deprehensus in furto, quidni time-

n Serm. 1. in natiuit. Dom. n. 1. o Serm. 2. de Act. Dom. num. 1.
p Serm. 1. in Natiuit. Dom. n. 3.

meres? quidni fugeres à facie ejus? Fortè enim jam gladium vibrabat igneum. Nunc in exilio positus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et ecce vox audita est in terra, quia Dominator advenit. Quò ibis à Spiritu ejus, & quò à facie ejus fugies? Noli fugere, noli timerè, non venit cum armis: non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne fortè dicas etiam nunc: *Vocem tuam audivi, & abscondi me:* ecce infans est, & sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quàm tremenda. Aut si cui fortè terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare: eripere, & non ligare. Propterea (q) & ipse dicit, quia non venit Filius ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? Numquid non fugerem sicut Adam, qui à facie ejus fugit, sed non effugit? Nonne desperarem, audiens quia venit ille, cujus legem sic prævaricatus sum, cujus patientiâ sic abusus sum, cujus beneficio tam ingratus inventus sum? Nunc jam confidenter accedo, jam supplicio fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ante paucos dies (r) celebravimus adventum ejus in carcerem hujus mundi, idest diem Natalis: hodie, verò celebramus quòd catenas & vincula nostra suscepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, ut reos absolveret, innoxias manus eorum catenis inservit. Hodie sub lege factus est, qui legem dedit. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi,

pro

pro quibus dignatus est mori? Totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Ex nobis assumpsit (s) quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea expiratio Crucifixi, mea sepulti dormitio. Postremò (t) possumus & alio modo accipere præcisionem Vitis nostræ: ut discamus omnia ab eo præcisa, quibus caruit in hac vita, cum ea tamen habere potuisset. Et accipiamus hanc præcisionem à verbo Apostoli dicentis: *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. Ipsa enim exinanitio, quædam præcisio est. Sicut enim minuitur vitis, quando præciditur: ita vera Vitis Christus incarnatione minoratus ab Angelis, imò & infra omnes homines humiliatus fuit. Quomodò amputata fuit in eo gloria cultro ignominie, potentia cultro abjectionis, voluptas cultro doloris, divitiæ cultro paupertatis? Vide nunc quantum præcisa fuerit. Ille cui famulatur omnis gloria cælorum, imò ipse qui solus vera gloria quasi abiicit gloriam. Servili circumdatus indumento sustinet ignominias, confusionibus operitur, ut te à confusionibus redimeret, & ad gloriam pristinam revocaret. Ille, cujus potenti nutui omnia inferna, terrestria, & supercælestia sunt subiecta, sic fit abiectus, ut reputaretur omnium vitiorum novissimus: subiicitur fami, siti, caloribus, frigoribus, doloribus, infirmitatibus. Ille in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt absconditi, Rex regum, diues in omnes, solus nullius egens, sic fit pauper, ut ipso teste & vulpibus ter-

ræ,

s Ser. 75. in Cant. n. 7. t Tract. de Vite Myst. cap. 2. num. 3.

æ, & volucris cæli pauperior inveniatur. Et nos igitur, Fratres (u) circumcidi necesse est, & sic nomen salutis accipere: circumcidi sanè non literà, sed spiritu & veritate: circumcidi non uno membro, sed toto corpore simul. Quæ est autem moralis circumcisio nostra, nisi quam commendat Apostolus: *Victum, & vestitum habentes, his contenti sumus?* Optimè prorsus circumcidit nos & superflua resecat universa, voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ.

§. III.

Meritò quoque (x) dum circumciditur Puer qui natus est nobis, Salvator vocatur, quòd videlicet ex hoc jam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis Sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Jesus Christus circumcidi: propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra. Bene ergo (y) in hac prima effusione Sanguinis Agni purissimi aptatum est ei Nomen Jesus, ed quòd jam tunc pro salute nostra Sanguinem fundere inciperet, qui in completionem salutis nostræ totus erat effundendus. *Postquam enim [z] consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.*

Man.

u *Serm.* 1. in *Circumcis.* Dom. n. 3. & 4. x *Serm.* 2. in *Circum-*
Dom. n. 3. y *Tract.* de *Vite Myst* cap. 36. z *Serm.* 1. in *Circumcis.*
 n. 2.

Magnum & mirabile Sacramentum! Circumciditur puer, & vocatur Jesus. Quid sibi vult ista con-
 nexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quàm
 Salvatoris esse videtur, & Salvatorem magis cir-
 cumcidere decet quàm circumcidi. Sed agnosce
 mediatorum Dei & hominum, qui ab ipso Nativi-
 tatis suæ exordio Divinis humana sociat, ima sum-
 mus. Nascitur ex muliere, sed cui sæcunditatis fru-
 ctus sic accedat, ut non decidat flos Virginitatis:
 pannis involvitur, sed panni ipsi Angelicis laudibus
 honorantur: absconditur in præsepio, sed proditur
 radiante Stella de Cælo. Sic & Circumcisio verita-
 tem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod
 est super omne nomen, gloriam indicat Majestatis.
 Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius: Jesus
 vocatur tanquam Filius Dei. Neque enim, adinstar
 priorum meus iste Jesus nomen vacuum aut inane
 portat. Duos Jesus lego (a) in typo hujus quem
 nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos
 populis præfuisse: quorum unus populum suum de
 Babylone eduxit, alter suum in terram promif-
 sionis introduxit. Et illi quidem illos quibus præ-
 erant, ab hostibus defendebant, sed numquid sal-
 vabant à peccatis eorum? Is autem noster Jesus
 & à peccatis salvat populum suum, & intro-
 ducit in terram viventium: *Ipse enim saluum faciet*
populum suum à peccatis eorum. Non est in eo (b)
 magni nominis umbra, sed veritas. Cælitus siqui-
 dem inditum nomen Evangelista testatur, *quod vo-*
catus est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur.
 Et attende verbi profunditatem. Postquàm natus
 est

a *Serm. 3. Supermissus n. 11.* b *Serm. 1. in Circumcis. n. 2.*

est Jesus, Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Vocatum planè (c) non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet, ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura. Nomen Salvatoris mei (d) nomen à sæculis absconditum, sed in fine sæculorum revelatum. Nomen mirabile, nomen ineffabile, nomen inæstimabile: imò è mirabilis, quò inæstimabilius, èd magis gratum, quò gratuitum. Hoc est novum nomen [e] quod os Domini nominavit, quod & vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Sed quid dicimus [f] quòd egregius ille Propheta Esajas hunc ipsum puerum multis nominibus appellandum prædicens, hoc unum tacuisse videtur, quod solum (ut præmonuit Angelus, & testatur Evangelista) vocatum est nomen ejus? Exultavit Esajas, ut videret diem hunc: & vidit, & gavisus est. Denique, & loquebatur gratulabundus & laudans Deum: *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Magna quidem nomina. Sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur? Fortè in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodò & effusum. Nempè ipsum est, de quo sponsa in cantico amoris: *Oleum, inquit, effu-*

M

sum

c. serm. 2. in Circumcis. num. 3. d. serm. de Verb: sup. n. 4. tom. 6. pagin. 769. e. serm. 16. in Cantic. num. 14. f. serm. 2. in Circumcis. n. 4.

sum nomen tuum. O nomen [g] benedictum! Oleum usquequaque effusum! Quousque? De caelo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia: *Oleum effusum nomen tuum*. Effusum planè, quod non solum caelos terrasque perfudit, sed aspersit & inferos, adeo ut in nomine Jesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium, & infernarum, & omnis lingua confiteatur, & dicat: *Oleum effusum nomen tuum*. Ecce Christus, ecce Jesus, utrumque infusum Angelis, utrumque effusum in homines, & illos homines qui computruerant tanquam jumenta in stercore suo, homines & jumenta salvans, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. Quàm carum, quàm vile? Vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur. Si salubre non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum, sum & hæreditatis. Christianus sum: frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Et quid mirum si Sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Denique ait: *Sicut aqua effusus sum*. Effusa est plenitudo Divinitatis habitans super terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus: *Oleum effusum nomen tuum*. Multa quidem (h) Sponsi vocabula sparsa per omnem divinam paginam legis, sed in duo ea vobis universa complectar. Nullum (ut arbitror) reperietis quod non aut pietatis gratiam, aut potentiam majestatis sonet. Spiritus

tus ita dicit etiam per sibi familiarius organum: *Duo hac audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*. Ergo secundum *Majestatem* sanctum & terribile nomen ejus, secundum *pietatem* non est nomen aliud sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Sed exemplis magis perspicuum fiet. *Hoc est* (inquit Jeremias) *nomen quod vocabunt eum, Dominus, justus noster*: nomen *potentiæ* est. Item Esaias: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel: pietatem* insinuat. Item ipse de se: *Vos vocatis me*, ait, *Magister & Domine*. Primum gratiæ est, secundum *Majestatis*. Non enim minus pium est docere animum scientiam, quam præbere escam corpori. Rursùm Propheta Esaias: *Vocabitur*, inquit, *nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. Primum, tertium, quartum, *Majestatem* sonant, reliqua *pietatem*. Quid horum ergo effunditur? Profectò *Majestatis* ac *potentiæ* nomen, in id quod est *pietatis* & *gratiæ*, quodammodò transfunditur, ipsumquè effunditur abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Nomen, verbi causâ, quod *Deus* est, nonne in id quod est, *Nobiscum Deus*, hoc est in *Emmanuel* liquefcit & deficit? Sic *admirabilis* in id quod est *consiliarius*: sic *Deus* & *fortis* in ea quæ sunt *pater futuri sæculi* & *princeps pacis*. Et, *Dominus justus noster*, & *miserator Dominus*. Gratias ei [i] qui manifestavit hominibus nomen suum, fructum salutis in ejus invocatione constituens, sicut scriptum est: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Quare enim [k] vocamus nomen ejus *Jesum*,

i Ser. 15. super Psalmo 90. n. 6. k serm. 1. in vigiliæ nativitat. Dom. 2.

nisi quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Voluntati autem ejus quis resistet? Jesus justificat, quis est qui condemnet?

CAPUT IV.

De fuga in Ægyptum, quam pertulit puer Jesus, fugendo persecutionem Herodis qui moliebatur eum occidere.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *Matt. 2.*

1. *Ostenditur quòd Herodes rex, qui machinabatur necem in puerum Jesum, ita delusus fuit ab eo, sicut longè ante Pharaò à Moysè.*
2. *De tribus gradibus spiritualis vitæ, qui desumuntur ex Nativitate, persecutione, & educatione Christi.*
3. *De generibus eorum hominum, qui diuersimodè impediendo salutem animarum, persequuntur ipsum Christum.*

§. I.

Simeon (a) cujus senectus in misericordia uberi, exultavit ut videret desiderii signum, & vidit & gavisus est: acceptoque osculo pacis in pace dimitt-

2. Serm. 2. in cantic. n. 6.

mittitur ; ante tamen apertè pronuncians Jesum esse natum in signum cui contradicendum erat . Omnino ita fuit . Contradictum est exorto signo pacis, sed ab his qui oderunt pacem . Nam pax hominibus bonæ voluntatis , malevolis autem petra scandali , & lapis offensionis . Denique (b) & continuò per Herodem draco (scilicet diabolus) insidiatus est parienti , ut nascentem excipiens Filium devoraret , quòd inimicitiaè essent inter semen mulieris & draconis . Herodes quoque (c) turbatus est , & omnis Hierosolyma cum illo . Siquidem in propria venit , & sui eum non receperunt . Porro (d) audito nomine Regis , rex Herodes successorem suspicatus expavit . Nec mirum , si turbatur Herodes : sed quòd Hierusalem Civitas Dei (quæ visio pacis est) cum Herode turbantur , quis non miretur ? Videte, Fratres, quantum noceat iniqua potestas: quomodo caput impium subjectos quoque suæ conformat impietati . Misera planè Civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ , & ad novæ salutis ortum Herodiana movebitur turbatione . Recolant (e) quibus nota est historia veteris Testamenti, quemadmodùm in Ægypto dum parvuli omnes Israëlitici germinis necarentur , expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis . Et vide si non manifestè Christi & in hoc ipso videtur præcessisse figura . Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans , ad eadem conversus est crudelitatis argumenta , sed eodem modo est ipse delusus . Utrobique pro unius suspecta persona trucidatur

M 3 tur

b. serm. 1. de Virg. Deip. 2. 4. c. serm. 2. in cant. n. 6. d. serm. 3. in Epiph. n. 3. e. ser. 1. in vit. Pasch. m. c.

tur numerositas puerorum : utrobique qui quærebatur , evadit . Et quomodo Moysen filia Pharaonis , ita Christum quoque Ægyptus (quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia) suscepit conservandum . Postquam [f] Joseph Herodianam invidiam fugiens , Christum in Ægyptum portavit . Siquidem [g] tenella Christi infantia à persecutorum gladiis tuta non fuit . Adhuc enim inter dulcia Matris vbera surgens dependebat , quando apparuit Angelus in somnis Joseph dicens : *Surge , & accipe puerum & Matrem ejus , & fuge in Ægyptum , & esto ibi usque dum dicam tibi . Futurum est enim , ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum .* Jam ex tunc bonus Jesus dura pati cæpit . Sumens enim [h] corpus fragilitatis humanæ , dignatus est ad terram descendere , & sui eum non receperunt , sed malum semper machinati sunt contra eum . In illum sæviebat Herodes ille tyrannus iniquus cum turba crudelissima Judæorum , quando scilicet ad Magorum verba turbatus est , & omnis Hierosolyma cum illo , parvulumquè ac tenellum ad vbera materna pendentem morte crudelissima perdere nitebatur . Nec solùm [i] illam infantia suæ vexationem in seipso bonus Jesus pertulit , sed etiam mortem in pusillis suis , quorum multa millia inter mamillas matrum pro ipso Herodis trucidavit immanitas . Proinde Innocentes [k] ritu solemniter veneramus : quoniam injustum profecto fuit , innocentiam pro justitia morientem ulla vel præsentis gloria defraudari . Benedictus [l] qui venit
in

f *serm.* 2. *supermissus num.* 16. g *serm.* de Pass. Dom. n. 4. h *serm.* de lament. Virg. Mariæ num. 15. i *serm.* de Passione Domini n. 4. k *Epistol.* 93. num. 5. l *serm.* in natali SS. Innocen. num. 1. & 2.

in nomine Domini; Deus Dominus, & illuxit nobis. Benedictum nomen gloriæ ejus, quod est sanctum. Neque enim otiosè venit, quod ex Maria natum est Sanctum. Nimirum inde Stephanus sanctus, inde Joannes sanctus; inde etiam sancti Innocentes. Habemus in Beato Stephano Martyrii simul & opus & voluntatem, habemus solam voluntatem in Joanne, solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi Calicem salutis, aut corpore simul & spiritu, aut solo spiritu, aut corpore solo. An verò de Innocentium coronis quis dubitet. Ille pro Christo trucidatos Infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævus sibi pueros Puer ille, qui natus est nobis non contra nos, propter se pateretur occidi? quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret: ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc verò Baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martirium illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita ut coronentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An fortè minor Christi pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare? Hi sunt planè martyres tui Deus: ut in quibus nec homo nec Angelus meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentius commendetur. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. *Gloria in excelsis Deo* (Angeli dicunt) & *in terra pax hominibus*

bona voluntatis. Magna quidem, sed audeo dicere: Necdum perfecta laus, donec veniat qui dicat: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum Calorum*: & pax hominibus, etiam sine voluntatis usu in Sacramento pietatis. Considerent hæc (m) qui de opere & voluntate contentiosis solent disputationibus corrixari: considerent & advertant neutrum negligi oportere, ubi non videtur deesse facultas, præsertim cum vtrumque sine altero (ubi tamen facultas deest) non modò salutem conferre possit, sed etiam sanctitatem. Sed & hoc quoque firmiter teneant, prodesse quidem sine voluntate, non tamen contra voluntatem: ut unde salvantur infantes, inde magis damnentur fictè accedentes. Nihilominus sanè in quibusdã voluntas sine opere sufficiens est, non autem è contra opus. Verbi causâ. Rapitur quis in bona quidè voluntate, sed necdum perfecta, necdum idonea, martyrium sustinere: quis illi audeat pro hac imperfectione negare salutem? Fortè enim propterea non sinitur in illam gravem tentationem venire, nè deficiat & damnetur. Nimirum si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam quæ supra ipsum est tentationem, nec voluntas roboraretur, quis illum dubitet defecturum, negaturum, & si in eo mori contigerit, etiam periturum? *Qui enim erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Angelis Dei*, ait Dominus. In ea igitur imperfecta voluntate, in qua salvatur quis ubi deest facultas operis, iam non salvari posset propter defectum operis, vel opus defectionis.

S. II.

Sed cùm vos (n) non quæstiones quæritis , sed devotionem , nec unde lingua acuatur , sed unde animus excitetur : propterea his prætermiſſis , ad spirituales intelligentiam enucleandam tranſeamus . Dominus Deus noſter , Deus unus eſt , non poteſt variari , non poteſt mutari , dicente David : *Tu ſemper idem es , & anni tu non deficient* . Hic igitur Deus noſter æternus , intemporalis , incommutabilis , in noſtra factus eſt natura mutabilis & temporalis , ut mutabilibus ad ipſam æternitatem & ſtabilitatem viam faceret eam , quam pro nobis aſſumpſit mutabilitatem : ut in uno eodemquè Salvatore noſtro , & via eſſet quâ aſcenderemus , & vita ad quam veniremus , & veritas quâ fruereſſemus , ſicut ipſe ait : *Ego ſum via , veritas , & vita* . Magnus itaque Dominus in ſua natura perſiſtens , parvulus natus eſt ſecundùm carnem , & per certa temporum ſpatia profecit & crevit ſecundùm carnem : ut nos mente parvuli , imò penè nihili ſpiritualiter naſceremur , & per ſpiritualium ætatum diſtinctiones creſceremus , & proficeremus . Ita ejus profectus corporalis , noſter eſt profectus ſpiritualis : & ea , quæ ab eo in cunctis ætatibus acta deſcribuntur , in nobis per ſingulos profectuum gradus ſpiritualiter agi , à benè proficientibus ſentiuntur . Sit igitur *primò* corporalis Chriſti *Nativitas* , ſpiritualis noſtræ nativitatis , id eſt ſanctæ converſationis exemplum . In hoc gradu prodigus filius fame tabeſcens , ad domum panis invitatur , ubi non ſimilagineus , ſed ſubcinericius in-

veni-

venitur: ut cinerem cum pane manducet, & potum suum cum fletu temperet. Est enim panis similagineus purus, mundus, sine cinere, sine paleis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed ad hæc (o) quis idoneus? Panis est Angelorum, quorum palatum ad gustum vix acerbæ non obtupuit: ideo plenè & perfectè gustant & vident quoniam dulcis est Dominus. Sed ut panem Angelorum manducaret homo, susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis, panis Angelorum factus est homo, magnus factus est parvulus, dives pauperculus: ut tu magnus in oculis tuis, humilitate fias parvulus: dives cupiditate, facultatum abiectione pauperculus: nec, ubi spiritualiter nasceris, locum habeas in diversorio, dum non tuæ voluntati, tuo sensui, tuæ scientiæ, tuæ industriæ, sed alieno iudicio inniteris. Tunc cinerem cum pane manducabis, quando cibabit te Dominus pane lachrymarum, & potum dabit in lachrymis in mensura. Sic tu nasceris in Christo, sic in te nascetur Christus. Inde est (p) quoddam etiam in illa tam jucundissima annunciatione congruè satis dicitur non tam natus esse quàm nasci: *Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Judæ.* Sicut enim quodammodò immolatur adhuc quotidie, donec mortem ejus annunciamus: sic videtur & nasci, dum fideliter representamus ejus Nativitatem. Præoccupemur igitur (q) faciem Domini in confessione, ut sanctificati pariter & parati inveniamur & nos in Bethleem Judæ, atque

o *Ibidem* num. 22. p. ser. 6. in vigil. Nativit. Dom. n. 6. q. *ibidem* n. 11.

atque ita nascentem Dominum videre meremur in nobis. Cæterùm si qua anima eo usque profecerit (quod quidem est multum ad nos) ut sit sæcunda virgo, sit stella maris, sit plena gratiâ, & supervenientem habens in se Spiritum Sanctum: puto quòd nonmodò in ea, sed ex ea quoque non dedignabitur nasci. Nemo sanè id sibi arrogare præsumat, nisi quos ipse speciali dignatione tanquam digito monstraverit, dicens: *Ecce mater mea, & fratres mei*. Enimverò audi unum ex istis: *Filioli mei*, ait, *quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Si enim nasci videbatur in eis, cùm formabatur Christus in eis, quomodo non etiam ab eo similiter nasci eum dicere quis præsumat, qui in ipsis quodammodò parturiebat? Porro (r) quam videris animam, relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo se gerere, de Verbo concipere quod pariat Verbo, quæ possit dicere: *Mihi vivere Christus est & mori lucrum*: puta conjugem, Verboquè maritatam. Confidat in ea cor viri sui, sciens fidelem, quæ præ se omnia spreverit, omnia arbitratur ut stercora, ut sibi ipsum lucri faciat. Talem noverat de quo dicebat: *Vas electionis est mihi iste*. Prorsùs pia mater & fidelis viro suo anima Pauli cùm diceret: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Sed attende in spiritali matrimonio duo esse genera pariendi, & ex hoc diversas soboles, sed non adversas: cùm sanctæ matres aut *prædicando* animas pariunt: qui enim (s) aliis evāgelizat, quasi Jesum in utero portat, ut eum aliis, uel potiùs alios ei pariat.

r Ser. 85. in Cantic. 4. 12. & 13. s Ser. 51. int. divers.

riat. Aut (t) *meditando* intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdum exciditur & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut sese non sentiat quæ Verbum sentit. Hoc fit cùm mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imò rapitur atque elabitur à seipsa, vt Verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo. Illic sollicitat necessitas proximi, hïc invitat suavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus Sponsi lætior. Chara pignora filiorum, sed oscula plùs delectant. Bonum est salvare multos: excedere autem & cum Verbo esse, multò jucundius. *Secundò persecutio*, [u]quam Christus passus est ab Herodè sit illius, quam in initio nostræ conversionis sustinemus à Zabulo, tentationis indicium. Turbatur Herodes (scilicet diabolus), quòd suum Christus invasit imperium: nec æquis aspicit oculis, suum domicilium in Christi hospitium commutatum. Vibrat gladium, tendit arcum, & in eo parat vasa mortis, ut sagittet in obscuro rectum corde. Inflammat carnem naturalibus incentivis, turbat mentem cogitationibus noxiis, & parvulorum cogitatus priori suavitate lactantes, multiformi tentatione confodit. Tunc videtur tibi Christus defuisse, donec Herode non tuis viribus sed gratiâ Divinæ miserationis extincto, cum ampliori tranquillitate redeat, tuumquè in Nazareth præstoletur occursum. Cæterùm (x) studiosiùs deinceps consideremus, quonam modo malignorum spirituum suggestiones audire, imò quanta indi-

t. *Serm.* 85. in *Caritic.* n. 12. u *Serm.* de *Jesu puer. duoden.* n. 12.
x. *Serm.* 23. *diu.* n. 6.

dignatione abiicere debeamus, avertentes aures nostras ne audiamus sanguinem, & sapientiam quam revelat caro & sanguis: parvulos quoque Babylo- nis, cogitatus scilicet mundanos ab ipso initio tenen- tes, & allidentes ad petram: ipsum etiam malignum cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abiicientes, & deducentes ad nihilum. *Tertiò* (y) *educatio* Christi in Nazareth, nostrum exprimat in virtute profectum. Post tentationem namque necesse est, ut ad virtutum studia, spiritualiaquè exercitia mentis alacritate conscendas, quasi ad Nazareth, idest, florem: quia sicut flos non quidem fructus est, sed ex eo fructus producitur; ita exercitia hæc spiri- tualia non quidem puræ virtutes sunt, quamvis ex eis veræ virtutes Deo operante nascantur. Hinc (z) Moyses de quibusdam ait: *Utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent*. In qui- bus utique verbis tria nobis video commenda- ri, sapientiam, intelligentiam, providentiam. Ar- bitror sanè tribus eas assignari posse temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per *sapientiam*, præ- terita per *intelligentiam* dijudicantibus, *novissima* providentibus ad cautelam. Hæc nempe spiritualis est exercitii summa, hæc forma studii spiritualis: ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quo- quæ sollicitè provideamus. *Sobriè, justè, & piè* (ait Apostolus) *vivamus in seculo*: ut videlicet in præ- senti sobrietas observetur: ut justa satisfactione præ- terita, quæ nobis sine fructu salutis præterière, tem-
pora

y Ser. de Jesu puer. duoden. n. 12. z Ser. 2. de SS. Petr. & Paul. n. 7.

pora redimantur: ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim quæ ad omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis & devotus: nec aliter nobis est providere novissima, nisi ut universa quæ nobis imminere videntur pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes, discamus de nostra omninò industria, magis autem de nostris diffidere meritis, & soli Divinæ nos protectioni committere pro quodam mentis affectu piæ intentionis in ipsum, cujus datum optimum & donum perfectum est, consummatio felix, & mors pretiosa.

§. I I I.

Videbatur jam (a) cessasse persecutionis tempus, sed ut palàm factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc quod gravius est, ipsi Christū persequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur. Siquid enim (b) ad salutem pertinet, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, planè cum Ægyptiis parulos Israëlitici germinis necare conatur, imò cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Nam Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas est, nascentem velle extinguere religionem, & allidere parulos Israëlis. Denique Christus (c) qui proprium Sanguinem dedit in precium redemptionis animarum, nonne tibi videtur graviozem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionè maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit,

2 Ser. 1. de convers. S. Paul. n. 3. b Ser. 3. in Epiphan. Dom. n. 3.
 1 Sermon. 1. de Convers. S. Paul n. 2.

mit, quàm à Judæo qui sanguinem illum fudit. Utinam [d] soli impugnarent nos mali spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosus exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Agnoscite dilectissimi [e] & expavescite confortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. Vereor autem, dilectissimi, nè quis fortè sit & in nobis Domini persecutor, quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Salvatorem. Quas ego de salute animæ meæ Fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Meritò detractores Deo odibiles describuntur, tanquam persecutores. Utinam [f] vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis ociosis, sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: necmodò ipsi amittere, sed adimere quoque & hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detractores Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit: & quos vita fugit, mori necesse est. An non & ipse moritur, qui venenum bibit quod ei maleuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur: & dum nescit, paulatim in eo fraterna charitas refrigerat. Auditurus est forsitan ipse quoque cui detrahitur: undique enim verba volant, & multorum priùs ora sermo pertransiens, difficile fieri potest quin in singulorum creverit linguis, & quasi jam prove-

tus

d *Serm. i. in Septuag. n. 5.* e *Serm. 1. de convers. S. Paul. nu. 3.*
 f *Ser. 17. divers. n. 4.*

Cuius referatur ad eum ad cuius spectat offensam . Ita-
 que scandalizabitur audiens & tabescet , eoquè faci-
 liùs extinguetur in eo charitas , quò ampliùs ante
 vivere videbatur . *Si inimicus* (ait Propheta David)
meus maledixisset mihi , sustinuissem utique . Et qui-
 dem cavet sibi prudens auditor , cavet & ipse si non
 desipit , qui sibi noverit esse detractum . Ille ne ve-
 neno inficiatur , iste ne scandalo perturbetur . Sed
 quod in se est tamen lingua maledica , & illius percu-
 tiens conscientiam , & istius vulnerans charitatem ,
 secum pariter utrumque perimit . Numquid non
 vipera est lingua ista ? Ferocissima planè , nimirum
 quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno . Numquid
 non lancea est ista lingua ? Profectò , & acutissima ,
 quæ tres penetrat ictu uno . *Lingua* (inquit Prophe-
 ta) *eorum gladius actus* . Gladius equidem anceps ,
 imò triceps est lingua detractoris . Nec verò [g]
 eiusmodi linguam ipso etiam *mucrone* , quo Domi-
 nicum latus confossum est , crudeliorem dicere ve-
 rearis . Fodit enim hæc quoque Christi corpus , &
 membrum de membro : nec jam exanime fodit , sed
 facit exanime fodiendo : Ipsis quoque nocentior est
spinis , quas illi tam sublimi Capiti furor militaris
 imposuit : seu etiam *clavis* ferreis , quos sanctissimis
 manibus illis & pedibus consummatio Judaicæ ini-
 quitatis infixit . Nisi enim hujus quod nunc pungi-
 tur & trasfoditur , corporis sui vitam illius vitæ cor-
 poris prætulisset , nunquam illud pro isto mortis in-
 juria , crucis ignominia tradidisset . Quid & frater
 is [h] qui exemplo suo ad remissiùs agendum cæteros
 provocat , aut singularitate turbat , aut inquietat cu-
 riosi-

g *Ibidem* n. 5. h *Serm.* 1. de *Convers.* S. *Pauli* n. 4.

riofitate, aut impatientia sua & murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat Spiritum Dei qui in eis est, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum? nonne & hic manifestè persequitur Christum? Ut ergo persecutorum & nomen & crimen longè sit semper a nobis, obsecro vos, dilectissimi, benignos semper & mites exhibeamus nos, invicem supportantes in omni patiétia, & ad id quod melius & perfectius est, alterutrum provocantes. Quis enim servus sufficere sibi putat non persequi Dominum, sed nec obsequi Domino? Quam habiturus est gratiam, si ut non resistit, sic nec assistit quidem? Denique si quis adeo pusillaminis est, ut satis sibi reputet nec persecutorem esse nec coadiutorem Dei, audiat quid ipse loquatur: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit*: Proinde dilectissimi [i] pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non factò, non verbo, non signo qualicunque: & ne quis fortè exacerbatus & præoccupatus à pusillanimitate spiritus & tempestate Deum interpellare cogatur adversùs eos, qui se læserint aut contristaverint, & prorumpere in verbum grave contingat: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*. Sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Nec cavendum à gravioribus tantùm offensis, verbi gratià, ab aperto convitio seu maledictò, sed à clandestino quoque & venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his & his similibus, cavenda sunt & levia. Si tamen leve debet dici quodcunque in fratrem præsumperis

N

vo-

voluntate lædendi: cum hoc solo si irasceris illi, Divini reus judicij tenearis. Meritò quidem. Nam quod tu leve putas, & ob hoc leviùs præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundùm faciem judicans, paratus festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem. Non enim est omnium charitas illa quæ omnia credit. Proni sunt autem sensus hominis & cogitationes ad malum potiùs suspicandum, quàm ad bonum credendum: præsertim ubi disciplina silentij nec te qui in causa es excusare permittit, nec illum vulnus suspicionis aperire quod patitur ut curetur. Ita urille, & moritur clauso & lethali vulnere, intra semetipsum gemens, dum totus in ira & disceptatione positus, nil aliud sinens versare in mente possit, nisi injuriam quam accepit. Non potest orare, non potest legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari. Et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima, pro qua Christus mortuus est. Quid tu interim quæso animi habes? Quid oratio tua aut opus quodcumque interim feceris sapit tibi, contra quem nimirùm Christus anxie clamat de pectore fratris tui quem contristasti: Filius, inquit, matris meæ pugnat contra me, & qui simul mecum dulces capiebat cibos, replevit me amaritudine? Porro [k] voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnat, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. *Primò* namque seipsam & subtrahit & subducit ejus dominatui, cui tanquam Auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? *Secundò* addit

adhuc

k *Serm.* 3. de Resurrect Domini n. 4.

adhuc & quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si supereretur voluntati facultas? Dico fiducialiter: Nemi- ni qui sit in propria voluntate, posset universus mun- dus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset con- tenta, ne in ipsum [horribile dictu] desæviret Re- ctorem. Nunc autem *tertio* & in ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Om- ninò enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem. Cru- delis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lu- pa, & læna sævissima. Caveamus proinde [1] à propria voluntate, tanquam à vipera pessima & ne- quissima, & quæ sola deinceps damnare possit ani- mas nostras. Hæc namque [m] adversus Deum ini- micitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem?

CAPUT. V.

De tentationibus Christi, quas in jejunando sustinuit à diabolo pro salute nostra.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo: & cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. *Matth. 4.*

1. Ostenditur Christum Dominum, postquam esset baptizatus à Joanne, statim profectum esse in desertum, ut ibi peractis quadraginta diebus in jejunio, tentaretur à diabolo, & sic nobis præberet exemplum resistendi tentationibus ejus. 2. Ostenduntur quatuor esse tentationes vitæ humanæ, quæ in Psalmo nonagesimo nominantur, timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, demonium meridianum: per quæ nomina significantur molestiæ carnis, vana gloria, infelix ambitio sæculi, iniquitas palliata specie boni. 3. Describuntur quatuor tentationes Christi, quarum tres factæ sunt in deserto, in pinnaculo templi, in vertice montis: quarta tentatio fuit tota vita ejus. Item agitur de quatuor tentationibus, quæ exprimuntur in eodem Psalmo sub totidem vocabulis, aspidis, basilisci, draconis, leonis. 4. Proponitur nobis ad imitandum exemplum Moysis, Eliæ, & Christi, jejunantium quadraginta diebus: nec non regula, quâ docemur non solum gulam, sed etiam sensus nostros & animam nostram debere je-
juna-

junare. §. Traditur cuique Christiano modus comedendi ad evitandum vitium gula, cuius quinque species notantur verbis sequentibus: Præproperè, lautè, nimis, ardentè, studiosè.

§. I.

CHristus (a) infantia teneriori decursa, humiliter veritatis nobis exemplum tribuit. Non enim sedit cum consilio vanitatum, sed in medio doctorum, interrogans & audiens illos, cum tamen Dominus scientiarum esset atque sapientia Dei Patris. Sed & obedientia nobis formam tribuit, dum parentum imperio ipse Imperator mundi humiliter subditus extitit. At ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia, egressus est in salutem populi sui ut gigas magnificus, ad currendam viam totius nostræ miseriæ. Et quidem, ut per omnia se primùm fratribus adsimilaret, servum Joannem baptizantem peccatores in pœnitentiam, tanquam peccator adiit, baptizari se postulavit innocens Agnus Dei, quem nulla peccati stilla unquam maculavit. Intuere ô homo (b) quomodo Dñus Jesus humiliat se sub manibus sui servi Joannis in Jordane baptizandus, non ut aliquas maculas à se abluat, qui ingressus est mundum sine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: sed ut tibi Sanctificet aquas, & contactu suæ mundissimæ Carnis conferat aquis vim regenerationis, tuis facinoribus abstergendis. Baptizatus ergo

N 3 (c)

a Ser. de Pass. Dom. n. 5. & 6. b Tract. de 3. præcep. myst. cap. 9. 71177.12.

(c) non se in aquis, sed aquas in se sanctificat, ut per eas sanctificaret nos. De Baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus est, ut vitæ solitariae in se non deesset exemplum. Solitudinem ac jejunium quadraginta dierum, famis accerbitatem, tentamenta, & illusiones spiritûs æquanimiter toleravit, ut hæc omnia nobis tolerabilia efficeret. Mox utique baptizatus (d) ut nobis præberet exemplum sanctitatis & religiosæ conversationis, in desertum profectus est: jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, nullum omnino degustans cibum, quod humanæ infirmitati penitus impossibile est: quæ nisi quotidianis fulcimentis ruinas stomachi refarcire studuerit, detrimento defectionis subjacebit. Unde optimè posuit Evangelista (e) quoddam post jejunium esuriit, ut scias Jesum, non in virtute Divinitatis, sed humanitatis suæ naturâ jejunasse. Quid enim magnum, si in Divinitatis fortitudine quadraginta diebus jejunasset, in qua nunquam esuriit. Denique Christus (f) non propterea abstinens fuit, ut castigaret corpus suum, & in servitutem redigeret, ne forte reprobus efficeretur: sed ut nobis formam daret & documentum abstinentiæ, sicut in Circumcisione & Baptismo, quæ non ad emundationem suam accepit, qui semper fuit mundissimus & omnium emundator: sed ut obedientiæ nobis formam justitiæquè donaret. Sine dubio virtutem habuit abstinentiæ Rex virtutum, & præ omnibus sanctis præteritis & futuris excellentiùs semetipsum macerans, non necessitate, sed voluntate.

Esu-

c *Ser. de Pass. Dom. n. 6.* d *Tract. de præcip. myst. cap. 6. num. 11.*
 e *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 22.* f *Ibidem cap. 42. n. 150*

Esuriens autem Deus (g) ex voluntate potentiae, & nativitate assumptae naturae, tentari sustinuit à diabolo: de cibi appetitu inordinato tentatorem non minùs patienter quàm sapienter vicit, & confusum repulit. Tria Beneficia tibi, ô homo, in hoc contulit: exemplum humilitatis, formam patientiae, imitationem cautelae. Humilia te si tentaris, quia non est major servus Domino suo: Dominus tentatus est, oportet ut tentetur servus, quia tentatio est vita hominis super terram. Quoniam autem multiplices & subtiles sunt dæmonum tentationes, Dominus insinuat, Petro inquires: *Sathan expetivit vos, ut cribaret sicut triticum*. Patienter fer si tentatii: nam & Dominus, licet tentatorem suum imperio in ima inferni præcipitare potuisset, patienter tamen tulit, & ratione superavit. Cautus esto si tentaris, ne tantor se transfigurans in Angelum lucis, sub specie recti te fallere possit, sicut Evam cui dixit: *Si de ligno comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*. Resiste humiliter, resiste cautè, resiste patienter. *Fidelis est Dominus* (ait Scriptura) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventam, ut possitis sustinere*. *Qui vicerit*, (inquit Dominus) *faciam illum columnam in templo meo*. Rursumquæ ait: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei*. Dulcis promissio, & fælix brævium benè currenti, beata corona benè vincenti. Tibi ergo, ô homo, Christus tentatus est, non sibi: tibi vicit, non sibi: tibi esuriit, tibi sitivit, & lassitudi-

dinem sustinuit. Dæmonum officium est [h] suggestiones malas ingerere: nostrum est illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus. Certantes in bello spectat, deficientes sublevar, vincentes coronat. *Omne* (inquit Joannes) *quod natum est ex Deo, vincit mundum*. Benè (i) quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut sit testimonium cælestis generationis victoriæ tentationis. Et sicut is qui Filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphavit: sic & nos victores inveniamur quotquot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso qui confortat nos, in quo & possumus omnia: quia hæc est victoriæ quæ vincit mundum, fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur. Fidem in nobis mundus in maligno positus odit, atquè persequitur: fide quoque & vincitur, sicut scriptum est: *Sancti per fidem vincerunt regna* Quidni attribuatur fidei victoriæ, cujus est etiam vita? *Justus* (inquit Apostolus) *ex fide vivit*. Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Audi deniquè quid Dominici constitutus Pastor ovilis admoneat: *Adversarius* (inquit) *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide*.

§. II.

h Tract. de cognit. hum. & qualit. cap. 12. n. 35. i Ser. 1. in 96. l. 2. c. 1. 2.

§. I I.

Porro [k] si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari: pervigili circumspèctione opus est & oratione, ne inducamur in eam. Unde est & illud in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quia ergo undique sic circumdatus es tentationibus, *Scuto circumdabit te Veritas ejus*: ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia. In quo & omninò illud manifestum est, spirituale scutum esse oportere quod circumdare potest. Veritas autè circumdat, quia verax qui promittit, & sic exhibet ut promittit *Fidelis Deus* (ait Apostolus) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Non incongruè sanè scuto comparatur gratia divinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, ut caput humerosquè custodiat: in inferiori verò strictius est, ut minùs oneret, maximè quòd graciliores sint tibix, nec tam facilè vulnerentur. Itaque (l) *scuto circumdabit te Veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à sagitta volàte in die, à negotio perambulàte in tenebris, ab incursu & demonio meridiano.* Hæ sunt quatuor tentationes, quibus undique circumdati necesse habemus circumdari etiam scuto Domini, ut sit nobis à dextris & à sinistris, ante & retrò. Verùm considerandum nobis est, quæ sint istæ quatuor quas hîc ponit Propheta tentationes. Credo enim quòd in ordine quo hîc numerantur, contra eos qui convertuntur insurgunt, & velut principes sunt omnium tentationum. *Prima quidem*
ten-

k. Ser. 7. sup. Psal. 92. n. 1. & 21. Ibidem n. 3.

tentatio est timor nocturnus. Solet (m) in divinis Scripturis adversitas designari per noctem: & scimus quia adversus eos qui convertuntur, primum esse certamen de molestiis corporis consuevit. Caro enim hactenus indomita, castigari & in servitutem redigi nequaquam æquanimiter patitur, sed adhuc memor recens perditæ libertatis acrius concupiscit adversus spiritum. Turbant ista maximè eos, qui necdum consueverunt, necdum in promptu habent recurrere ad orationes, resurgere ad meditationes sanctas, ut sic relevetur diei pondus & æstus. Necessarium planè nobis est inter ipsa nostræ conversionis initia scutum Domini, ut non timeamus à timore nocturno. Benè autem dicitur non timendum à timore nocturno, & non dicitur, à nocte, quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius. Nam & omnes laboramus, cùm tamen non omnes inde tentemur: & qui tentantur, multò magis timore futuræ pænæ, quàm præsentis dolore læduntur. Quia ergo (n) timor ipse tentatio est, congruè dictum est ei qui circumdatur scuto Domini, quodd à tentatione hac non timebit. Fortè impugnabitur, fortè timebit noctem, sed non ei timor iste nocebit. Magis autem si non fuerit dominatus, tunc immaculatus erit, & emundabitur, sicut scriptum est: *Quia territi purgabuntur*. Caminus est timor iste, sed ut examinet, non exurat, veritas facit. Nocturnus planè & tenebrosus timor, sed facillè hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis *nunc* quidem peccata quæ fecimus, ut, quemadmodùm de se Propheta ait, etiam nos in flagellaparati simus,

annun-

annunciantes iniquitatem nostram, & cogitantes pro peccato nostro: *nunc* verò æterna supplicia quæ meruimus, ut in eorum comparatione quæ evadimus, universa quæ patimur, delicias reputemus: *nunc* quoque cælestia præmia ad quæ tendimus, crebrò videlicet memorantes, quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: *nunc* etiam ea quæ pro nobis pertulit Christus, ut crebrò considerantes quanta sustinuit illa Majestas pro inutilibus servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis. *Secunda tentatio est sagitta volans in die.* Nox præcessit (o) ut filius lucis & diei honestè ambulans, time sagittam. Leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc *vanagloria* est, non est unde hæc impugnet pusillanimes & remissos. Qui ferventiores esse videntur, ipsi sibi caveant in hac parte: nihilominus adhuc solliciti non deserere scutum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati? Nec sanè huic opponenda sagittæ secreta illa & quodammodò intima veritatis exigimus, semetipsam noverit anima, de se teneat veritatem. Difficile prorsùs (ni fallor) homo verbis laudantium hominem in vita sua adduci poterit altum sapere, si se intùs ad lucem veritatis sollicita consideratione discutiat. Nonne enim si propriam cogitat conditionem, dicturus est sibi: *Quid superbis terra, & cinis?* Nonne si propriam considerat corruptionem, fateatur necesse est, quoniam non est in eo bonum? Sed & si fortè aliquid ha-

bere

bere videtur, non inveniet puto quid respondeat Apóstolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* Et alibi: *Qui stat, videat ne cadat. Tertia tentatio est negotium perambulans in tenebris.* Sed eadem quoque veritas (p) & eis nihilominus opponenda est tentationibus quæ sequuntur. Neque enim vel sic desistit hostis antiquus, sed ad callidiora fortè convertitur argumenta. Firmam probavit utroque latere turrim, non est quòd vel à sinistris pusillanimitate timoris, vel à dextris eam humanis concutere laudibus, in utraque jam molitione frustratus attentet. Sed si viribus, inquit, deiicere nequeo, fortè deiicere possum alicujus ingenio proditoris. Quis putas erit hic proditor? Planè cupiditas radix iniquitatis, ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Contempsit vanam gloriam, ait, quoniam vana est: fortè solidius aliquid affectaret, fortè honores, fortè divitias. Quantos hoc negotium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos pestis hæc nequiter supplantatos turpiter quoque dejecit, ut cæteri quique quos laetuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam? Quid verò hunc fovet vermem aliud quàm mentis alienatio, & oblivio veritatis? Aut quid nisi veritas hunc prodendum vestigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc est quæ dicit:

dicit: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, se autem perdat, & detrimentum sui faciat?* Et item: *Potentes*, ait, *potenter tormenta patientur*. Hæc est quæ sedula suggestione reducit in mentem, quàm sit in ambitu frivola consolatio, grave iudicium, usus brevis, finis ignotus. *Quarta tentatio* (q) *est dæmonium meridianum*: quod soleat maximè insidiari perfectis, qui videlicet tanquam viri virtutum omnia superaverint, voluptates, favores, honores. Quid enim jam superest ei qui tentat, in quo possit pugnare palàm adversus huiusmodi? Venit proinde occultus, qui manifestus non audet: & quem satis expertus est apertum omne horrere malum, falso bono supplantare molitur. Quid (r) nisi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti persuadere conatur, ut citò consentiat qui magnopere diligit bonum, & facilè qui currit incurrat. Hoc est igitur dæmonium non modò diurnum, sed meridianum. An non hoc timuit Maria, quando ad novam Angeli salvationem expavit? An non hoc insinuabat Apostolus cùm diceret: *Non enim ignoramus cogitationes ejus? Ipse enim Angelus Satanae transfiguratur se in Angelum lucis?* An non denique hoc ipsum metuebant Discipuli, quando videntes Dominum super mare ambulantem, clamabant putantes phantasma esse? Et vide quàm benè congruit, quòd quarta vigilia noctis fuisse dicitur, quando contra tentationem quartam vigilasse discipuli perhibentur. Nec verò in re manifestissima nostro opus est elo-

eloquio, quodd videlicet sola sit veritas, quæ palliatam detegit falsitatem. Quarto igitur (s) id est supremo demum loco hæc tentatio formidetur: & quod se in summo stare quis viderit, eò sibi vigilantius ab incurfu & dæmonio meridiano cavendum intelligat.

§. III.

Hucusque (t) tres tentationes Domini: quartam inimicus non præsumit afferre. Illa enim de ignorantia est, nec dubitat sapientissimum, qui sic moderabatur responsiones suas, ut in nullo unquam posset deprehendere quod quærebat. *Prima* siquidem tentatione esurienti suadebat de lapidibus panem facere: sed ille nec posse, nec non posse respondens, cibum alium prætendit, dicens: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* *Secunda* verò tentatione præcipitium suadebat, promittens quia non læderetur si Filius Dei esset, & sic videns omnis Civitas laudaret eum & magnificaret: sed ille nec esse se, nec non esse respondit. *Tertia* tentatio de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. Videsne quòd ambitionis via, adoratio diaboli est, quâ videlicet ad honores & gloriam mundi perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur. *Quarta* (ut dixi) tentatione apud eum abstinuit, cujus nimirum tantam est expertus prudentiam ex responsis. Cæterùm (v) tentatus est in omnibus Christus, ut veraciter ab Apostolo scribatur: *Tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato.* Erit fortè qui

^s *Serm.* 33. *in Cant.* n. 13. t *Ser.* 6. *super. Psal.* 90. n. 5. v *Ser.* 14. *super. Psal.* 90. num. 4.

qui miretur, & dicat quartam sese Domini tentationem non legisse. Verum ut ego arbitror, non hoc diceret si legisse se meminisset, quoniam tentatio est vita hominis super terram. Hoc enim qui meminit, non ea tantum triplici tentatione tentatum fuisse Dominum arbitratur, quæ facta est in jejuniis deserti, in pinnaculo templi, in vertice montis. Sanè in his omnibus erat manifesta tentatio. Verum illa quæ extunc & deinceps usque ad mortem crucis ei non defuit, & si occultior, vehementior tamen fuit. Quid est autem (x) trina illa tentatio inimici, in deserto, in pinnaculo, supra montem? Si filius Dei, inquit, es: dic ut lapides isti panes fiant. Et item: Mitte te deorsum. Neutrū Christus fecit, ut falleretur astutus. Denique eousque seductus est, ut haberet jam pro constanti hominem esse purum, & in tantam vesaniā superbia cæca proruperat, ut non diceret ultra: Si filius Dei es: sed, omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Nihil proinde mirum (y) si sit minus aperta tentatio, ubi etiam causa tentationis occulta. Cæterum & diuturnior & validior ipsa est, quod etiam adversus spem nostram quidquid habet malignitatis exerat inimicus. Primò quidem (z) ut Auctori naturæ ingratos faciat, ampliorem ingerit pro natura sollicitudinem, quemadmodum etiam ipsi Christo esurienti ausus est dicere: Dic ut lapides isti panes fiant. Quasi verò figmentū nostrum ignoret ipse quod finxit, aut non curet homines, qui volvres cæli pascit. Quam verò ingratus est ei qui propter hominem uni-

x Ser. 1. in die Pasch. n. 10. y Ser. 14. super Psal. 90. num. 4.
z ibidem n. 5.

universum hunc condidit mundum, quisquis ut substantiam ejus quam concupiscit obtineat, procidens non veretur adorare malignum. *Hæc omnia inquit, tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Tunc illa fecisti miser? Quomodò dabis quæ ille creavit? aut quomodò abs te speranda, quomodò tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius posita sunt ditio? Jam in hoc quod ait: *Mitte te deorsum*, cave tibi quicumque es qui Templi pinnaculum ascendisti. Cave tibi speculator domus Dei. Cave tibi, qui in Ecclesia Christi locum cerneris tenere sublimem. Enimverò manifestiùs audi (a) quàm necesse habeas portari manibus alienis, nec aliis quàm Angelicis tamen. *Quoniam Angelis suis* (ait Psalmus) *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quid inter hæc faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam terribilia monstra constaret? Nempè nequitiae spirituales sunt, & quidem non incongruis appellationibus designatæ. Siquidem & de his dictum, quod nequaquam vobis excidisse reor: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Quis verò scire potest, an divisæ sint inter eos operationes malitiæ, ministeria iniquitatis, ut ex diversis officiis, quin potiùs maleficiis vocabula quoque diversa sortiti nominentur? Alius siquidem *aspis*, alius verò *basiliscus*, alius autem *leo*, & alius quidem *draco*: quòd videlicet suo quidem invisibili modo variè quoque noceant, quasi
alius

alius *morsu* , alius quoque *visu* , alius autem *rugitu* vel *ictu* , alius quidem *flatu* . Consideremus diligentius , Fratres (b) ne fortè illa prima tentatio , quæ corporalis necessitatis occasione animum turbat , *aspidi* debeat comparari . Hoc enim animal quodammodò violentum morsu nocet , obturat aurem ne audiat vocem incantantis . Quid verò agere nititur in hac parte tentator , nisi ut adversùs consolationem fidei aurem cordis obstruat & obturet ? Sed non profecit inimicus in eo , non illius præclufit auditum qui ait : *Non in solo pane vivit homo , sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* . Nam in eo quod ait . *Hac omnia tibi dabo si procidens adoraveris me* , in malum insidiantis suadibilem sibilum animadvertite *draconis* . Ferunt illum in arena latitantem , etiam aves volantes flatu attrahere venenato . Quàm venenatus hic Flatus fuit , *Hac omnia tibi dabo si procidens adoraveris me* . Verùm non erat ista quælibet avis , nihil potuit draconis flatus ad illam . De *basilisco* (c) quid dicimus ? Monstruosius cæteris , solo visu hominem inficere & interficere perhibetur . Nifallor , vana gloria est . Videte (inquit Dominus) *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis* . Ac si dicat : Cavete oculos basilisci . Sed cui nocere dicitur basiliscus ? Ei qui non viderit basiliscum . Alioquin si prior eum videas , jam non tibi nocet (ut ajunt) magis moritur ipse . Ita est Fratres . Non videntes necat inanis gloria , cæcos & negligentes , qui se ei ostentant , qui se exponunt , & non potiùs ipsi inspiciunt , non attendunt , non discutiunt illam : non

O

vi-

b Serm. 14. super. Psal. 90. n. 6. c *ibidem*. num. 7.

vident denique quàm sit frivola, quàm sit caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis, & occidit ei quodammodo versa in pulverem, imò redacta in nihilum. Puto autem, non est quærere quid ad inanem gloriam ea tentatio visa sit pertinere, ubi dictum est, *Si filius Dei es, mitte te deorsum*. Vt quid enim hoc nisi ut videretur, ut laudaretur à basilisco? Et vide (d) quomodo seipsum occultaverit basiliscus, quasi ut non possit ante videri. *Scriptum est* (inquit): *quoniam Angelis suis mandavit de te: & in manibus tollent te*. Quid scriptum est maligne, quid scriptum est? *Angelis suis mandavit de te*. Quid mandavit? Animadvertite & videte quoniam subticuit malignus & fraudulentus, quòd malignitatis suæ commenta dissolveret. Quid enim mandavit? Nempè quod in Psalmo sequitur: *Ut custodiant te in omnibus vijs tuis*. Numquid in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius. Frustra intentionem Capitis intorsit, quod scriptum est ad corporis consolationem. Huic enim necesse est custodiri, cui timendum ne offendant ad lapidem pedem suum. Non est quod custodiatur, cui non est quod timeatur. Quid verò taces & illud quod sequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*? Te enim hæc parabola tangit. Monstruosa malignitas, monstruosis appellationibus conculcanda signatur: nec modò ab ipso Capite, sed etiam à corpore universo

verso. Siquidem adversùs Dominum post ternam confusionem hanc non jam serpentina calliditate, sed crudelitate usus est *leonina*, usque ad contumelias, ad flagella, ad alapas, ad mortem, & mortem crucis. Sed manifestè etiam leonem te conculcavit Leo de tribu Juda. Sic & adversum nos, Fratres, ut in cæteris omnibus viderit se frustratum, toto jam furore persecutionem suscitatur, qualis non fuerit ab initio; ut vehementiâ tribulationis Regnum cæleste sperantibus intercludat. Fælix anima, quæ & ipsum leonem potenti virtute conculcans, violenter illud rapere prævalebit. Ex hoc itaque, dilectissimi (e) tanquam super aspidem & basiliscum cautiùs & sollicitiùs ambulemus. Caveamus omnem radicem amaritudinis, ut nemo nostrum mordax invenatur, nemo audax vel ardens, nemo inexorabilis aut rebellis. Nec verò deorsum mittamus nos, sed transcendamus, & transeamus lethalem gloriæ temporalis obtutum, ut quommodo scriptum est, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*: conculcemus quoque leonem pariter & draconem, ut neque illius rugitus nos terreat, nec istius flatus inficiat. Videntur hæc quatuor monstra affectionibus æquè quatuor singula singulis incubare. Cui ergo potissimum *draco* insidiatur? Æstimo quia *cupiditati* quoddam hanc noverit esse radicem malorum omnium, & quæ maximè cor subvertat. Inde enim etiam quasi consulens dixit: *Hæc omnia tibi dabo*. Nam de *leone* quidem manifestum est, quoddam nisi ad januam *timoris* terrificos non dat rugitus. Porro *tristitia* fores *aspis* observat, quoddam eas maximè moribus suis

pervias arbitretur. Unde & ad Christum Dominum donec jam esurientem cerneret, non accessit. E contra sanè caveat necesse est *lætitia basiliscum*, quodd eo potissimum aditu venenatos ingerere soleat radios oculorum: nec vana gloria, nisi ob lætitiæ noceat vanitatem, Et quia (f) tentante diabolo & suadente, ut de lapidibus faceret panem, Dominus resistit & dixit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: deinde tentationibus superatis, & tentatore fugato, accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Et tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæli, & tentationibus resiste diaboli. Renuat consolari animam tuam in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cum esuris, currere suadet ad panem: at tu potiùs audi dicentem; *Non in solo pane vivit homo*.

§. IV.

Dominus præcipit nobis: *Tu cum jeunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava*. Hodie, dilectissimi [g] sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio; una omnium est, quicunque in eandem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jejuniùm omnibus Christianis? Quidni Caput suum membra sequantur? Si bona suscepimus ab hoc Capite, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristitia volumus, & communicare jucundis? Si ita est, indignos nos Capitis hujus participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quod si in opere salutis nostræ ei colla-

f Ser. 4. sup. Psal. 90. n. 2. g Serm. 1. in Quadrages. 1.

collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? Non est magnum, si jejundet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum, si compatitur membrum Capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia Capiti, & sequetur illud quocumque jeric. Rogo vos, dilectissimi [h] tota divotione suscipite Quadragesimale jejunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multò magis Sacramentum. Habemus quippè [i] in hac jejunii observatione consortes & multò excellentiores duces, imò & consecratos. Quanta devotione suspiciendum est vobis, quod à Sancto Moyse tamquam hæreditario jure traditur, cui speciali præ cæteris Prophetis prærogativa, facie ad faciem Dominus loquebatur? Quanto fervore amplectendum est, quod Helias ille commendat igneo curru raptus in Cælum? Ecce enim quàm multa millia à diebus illis generalis conditio mortis invasit? Helias tamen usque adhuc conservante Domino manus ejus evasit. Jam verò si commendant jejunium præsens Moyses & Helias, quamvis magni, tamen conservi nostri: quantum commendat illud Jesus Dominus noster, qui ipse diebus totidem jejunavit? Qualis ille est Christianus, qui minùs devote jejunium suscipit, quod ei tradidit ipse Christus? Denique tantò devotiùs imitandum nobis est Christi jejunantis exemplum, quantò certiùs est propter nos eum jejunasse, non propter seipsum. Porro (K) jejunium ad hoc est institutum, ut quod maculaverat

O 3 cra-

h Sermo 3. in Quadragesim. i Ibidem num. 2. k Serm. 2. de Domin. 1. post oct. Epiph. 5. 2. 7.

crapula, nunc abstinentia mundet. De jejuniis (1) quis dubitet an & ipsum purificet? Vera est illa sententia: *Contrariis curantur contraria*. Si ergo per gulam peccavimus & ingluviem, quid restat nisi ut per abstinentiam reparemur? Nec solum hujus vitii fit per jejuniū purificatio, insuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur, dicente Domino: *Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione & jejuniis*. Jejunia (m) fortia arma sunt adversus tentationes dæmonum. Per jejunium & orationes vincuntur dæmones. Per jejunium fornicatio superatur, per jejunium luxuria restringitur: remota satiritate, non dominatur luxuria. Abstinentia carnem superat, abstinentia luxuriam refranat, abstinentiæ frangit motum libidinis, abstinentia dissolvit virtutem fornicationis: per famem & sitim luxuria destruitur, fames & sitis luxuriam vincunt. Abstinentia (n) vivificat & occidit: vivificat animam, & occidit corpus. Abstinentia ædificat in anima virtutes, & destruit vitia corporis. Sicut per abstinentiā omnes virtutes spirituales radicantur atq; ædificantur in anima: ita per suavitatē ciborum omnia vitia nutriuntur & confortantur in corde. Non potest quisquam accipere perfectionem virtutum, nisi prius domuerit in se ventris gulam. Ideo tres pueri in camino ignis non arserunt, quia abstinentes fuerunt. Daniel etiam ideo liberatus est de ore leonum, quia servavit in se abstinentiam ciborum. Nemo potest à semetipso tentationes dæmonum repellere, nisi refrænaverit in se appetitum gulæ. Abstinentia de-

nique

1 *Serm. divers. num. 2. in Lib. de mod. ben. vi-ver. cap. 24. num. 71.*
 2 *Ibidem num. 72*

nique (o) satisfactio est pro peccatis. Primum quidem, Fratres (p) pro eo quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ prius commisimus illicita condonantur. Quid verò est condonari commissæ, nisi jejuniò brevi jejunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus: ubi guttam aquæ dives postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum: non solum obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus. Præterea (q) si fortè diebus cæteris studia vestra aliquatenus intepuerant, dignum est ut nunc in feruore spiritus recalescant. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit. Si verò peccaverunt & membra cætera, cur non jejurent & ipsa? Jejuret ergo oculus, qui deprædatus est animam, jejuret auris, jejuret lingua, jejuret manus, jejuret etiam anima ipsa. Jejuret *oculus* à curiosis aspectibus & omni petulantia, ut benè humiliatus coerceatur in pænitentia, si malè vagabatur in culpa. Jejuret *auris* nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunq; ociosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Jejuret *lingua* à detractiõne & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis. Jejuret *manus* ab ociosis signis, & operibus omnibus, quæcunque

O 4 non

o Serm. 66. in Cant. num. 6. p Serm. 5. in Quadrage. m. 1. q Serm. 3. in Quadrage. m. 4.

non sunt imperata. Sed & multò magis *anima* ipsa jejuset à vitiis, & à propria voluntate sua. Etenim sine jejuniò hoc cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: *Quia in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestrae inveniuntur*. Volo denique (r) admonitos esse fratres meos, observandum jejunium non ab escis tantùm, sed ab omnibus illecebris carnis, & universa corporis voluptate. Imò verò jejunandum longè ampliùs à vitiis, quàm à cibis. Sed est panis à quo vos jejunare nolo, ne fortè deficiatis in via: & si nescitis, panem dico lachrymarum. Exigit enim planctum à nobis pœnitentia præteritæ conversationis: exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. Jejunemus ergo, charissimi (s) & devotè jejunemus sancto hoc Quadragesimæ tempore.

§. V.

Jejunia autem moderata debent esse, (t) ne nimis debilitent stomachum: quia modicus & temperatus cibus corpori & animæ est utilis. Pinguis venter non gignit subtilem sensum. Multò meliùs est quotidie parum sumere, quàm rarò satis comedere. Parcus enim cibus, & venter citò esuriens triduanis præfertur jejuniis. De mensura comedendi (u) difficile est certam regulam tradere, nisi inter ista duo medium teneas: ne ita parum sumas, ut viribus deficias, & labore frangaris: & ne ita multum, ut post cibum non possis orare, vel legere, vel meditari, vel agilis esse ad omnia opera virtutum. Inter ista duo

pro-

r *Serm. 2. in Quadrage. n. 4.* s *Serm. 3. in Quadrage. num. 3.* t *Lib. de modo vivendi. cap. 24. n. 71.* d *Opusc. Ad quid venisti cap. 8.*

propria experientia melior magistra erit. Sed obicitur nobis (x). sententia de verbis ipsius Domini Salvatoris de se dicentis: *Venit ad Judæos Joannes Baptista non manducans neque bibens, & dixistis: Demonium habet. Item: Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.*

Ecce testimonium Veritatis, quodd Joannes non manducavit nequè bibit: & quodd ipse Jesus & manducavit & bibit. Numquid ergo Joannes in abstinentiæ virtute præcellit nostrum dilectum Jesum? Nequaquam. Sed notandum (y) quodd duplex est abstinentiæ virtus: una intus in mente, altera foris in actu. Et ea quidem quæ in mente est, semper est habenda. Ea verò quæ est in actu, rerum ac temporum qualitate manifestanda est. Benè autem Joannes, qui purus homo erat, abstinentiam tam in mente quàm in corpore exercebat, ne fortè contaminaretur sicut homo. Noster verò Jesus, qui maculari non poterat, cibus & potibus pro tempore utebatur, ut convalescentes sibi ad virtutem attraheret abstinentiæ, cæterasquè virtutes. Nec credas ullo modo majorem esse virtutem omninò abstinere à cibus, quàm ipsis cibariis uti moderatè. Difficillimum est enim in cibariis modum servare omnimodum, ita ut ultraquàm naturæ potest sufficere, nihil sumatur, nec cum ipsis naturæ aliquid de necessariis subtrahatur. Si ergo contingat aliquem habere virtutem abstinentiæ cum Joanne, scilicet ut ipsam mente & opere exercent, non condemnet eum qui abstinet cū perfectissimo Jesu: idest, qui abstinentiam

tiam

x *Tract. de vit. myst. cap. 42. n. 150. y Ibidem n. 51.*

reficitur. *Nimis* comedere quid sit [b] omnibus notum est. *Nimis* enim comedit, qui ultraquam naturæ suæ sustentandæ possit sufficere, sumit alimenta, maximè si hoc scienter fecerit. Evenit enim non raro, ut homo suis laboribus consideratis plus vilium sumat alimentorum, ut in labore possit subsistere: & timore deficiendi cogente mensuram refectionis excedat, à quo peccato vix credo aliquem esse immunem. Sed talia peccata crebris confessionibus, intermixtis voluntariis abstinentiis, statim ut deprehenduntur purganda sunt. In nullo autem genere ciborum illud vitium superfluitatis ciborum & potuum excusatur. Cùm etiam legatur quoddam peccatum Sodomæ fuit abundantia panis. Et diabolus tentaturus Dominum, non de alio aliquo quàm de pane tentavit, sciens profectò in nimio sumptu panis peccatum non deesse: qui primos parentes, & per ipsos omnes homines in unus pomi comestione deceptus: quamvis non ita facilè in cibis vilibus mensura excedatur, ubi sapor non decipitur, sicut in cibariis lautè præparatis, & saporibus alteratis. *Ardenter* comedere [c] est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere, quod tam in vilibus quàm in delicatis potest cibariis evenire. Cujus rei exemplum habemus in Esau, qui vilis cibi delectatione attractus, ultrò vendidit primogenita sua. Ita enim habet Genesis, quia *veniente Esau de agro, vidit Jacob fratrem suum coquentem lenticulam, cui dixit: Damibi de coctione tua hac rusa, quia oppidò lassus sum.* Et facta pactione cum Jacob de venditione primogenitorum, comedit in voracitate coctionem nimis

b Tract. de vit. myst. cap. 42. n. 154. c Ibidem num. 155.

nimis desideratam, & dignitatem primogenitorum amisit. Quia enim nimium ardentem desiderabat lenticulam, *En*, inquit, *morior, quid mihi proderunt primogenita?* Non est dubium quin ardentem comederit acceptum, quod tam ardentem fuerat desideratum. *Studiosè* comedere (d) est in cibis vel in potibus nimis diu immorari. De hoc expertis loquimur, & utinam non essemus experti, nec unquam experturi. Frequenter solet accidere, quòd sumptis cibariis, quæ secundum consuetudinẽ necessitati sumentis possent & deberent sufficere, quædam surgat nova delectatio, quæ facit hominem improvidum, & insidias diaboli non caventem illi cibo cum tanto studio inhærere, tamquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nil sit sumpturus ciborum. At qui gulæ speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo, facile possunt resistere: quia impetus ejus non longiùs durat, quàm dum à mensa surgatur, & illius quod tanto studio desideratur, memoria subducatur. Sunt autem plurimi, qui tale studium comedendi nec peccatum existimant, nec etiam cuiquam suggerenti esse peccatum, fidem adhibeant, habentes in consuetudine damnabili, nulli desiderio resistere, quod possit à natura aliqua obumbratione defendi: nec ponunt aliquam metam desiderio comedendi, donec tempore deficient fatigati. Sed Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat, sicut quidam ait. Ideoque & illud benè de inutilibus & voracibus dicitur: Nos numerus sumus fruges consumere nati. Christianus autem non sic, sed semper ita surgat de mensa, ut

adhuc

d *Ibidem* num. 156.

adhuc habeat appetitum plura sumendi: & eum qui adhuc effret implendus cibariis, Domino Jesu pro grato munere offerat appetitum, qui pro nostra salute sapiùs esurire voluit, & sitire.

C A P U T V I.

De Vigiliis in orando, quas Christus sustinere voluit pro salute nostra.

Exiit Jesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. *Luc. 6.*

1. Ostenditur Christum Dominum docuisse Verbo & exemplo, Orationem faciendam esse in loco solitario.
2. Proponuntur quatuor genera orandi Deum, quæ sunt obsecratio, Oratio, postulatio gratiarum actio.
3. Ostenditur semper sociandum esse jejunium Orationi: nec non quatuor esse impedimenta orationis, quam impedire solent invidia diaboli, humana timiditas, temeritas, tepiditas.

S. I.

Passionem Christi (a) non illum diem unum appellamus quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longiùs immoremur, quàm prolixus fuerit in vigiliis, quàm frequens in orationibus. Imitemur eum (b) quem in Orationibus pernoctasse legimus. (c)

a *Tract. de vit. myst. cap. 4. n. 22.* b *Ser. de Adv. Dom. n. 7.*

(c) ascendit in montem solus orare, ut eundi & perveniendi bonam obtinere studeas voluntatem. Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum est illi. Propterea sciens quoniam in oratione datur bona voluntas, cum videris quæ agenda sunt, ut convalescas ad agenda quæ videris, ascende tu ad orationem, ora instanter, ora perseveranter, sicut ille pernoctabat in oratione, & dabit Pater bonus spiritum bonum petenti se. Et vide quàm utiliter orationis tempore etiam corporalis loci secretum quærimus, quando hoc ille non solum docuit verbo: *Intra, inquit, in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Sed & commendavit exemplo, nec Discipulorum quenquam admittens, sed solus ascendens ad orationem. Itaque orare volentes [d] jubemur intrare cubiculum, utique secreti gratiâ. Id quidem ad cautelam: nè coram orantibus laus humana orationis ferretur fructum, frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Patet quoddam signanter & ad verecundiam orantibus petere secretum indixerit pudoris Filius & minister. Quid tam indecorum maxime adolescenti, quàm ostentatio sanctitatis? Cum tamen ab hac potissimum ætate aptum profectò capiatur temporaneumquè Religionis exordium, Hieremia dicente: *Bonum est homini, si portaverit iugum Domini ab adolescentia sua.* Bona commendatio secururæ orationis, si præmittas verecundiam, dicens: *Adolescentulus sum ego & contemptus, justificatio-*

cationes tuas non sum oblitus. Jam verò (e) de reverentia orationis aliquid dicendum putavi. Quid enim aliud cogitare debet homo intrans ad orationem, quàm Propheticum illud: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei?* Omninò siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cælestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet folio, circumdante innumerabili beatorum Spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat (quia majorem numerum non invenit) *Millia*, ait, *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? Quàm tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo Majestatis gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio Justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio? In cunctis quidem (e) actionibus nostris multâ opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione. Etenim sicut in Regula Sancti Benedicti legimus. *Licet hora omni & omni loco oculi Domini super nos speculentur, maxime tamen in oratione.* Licet enim semper videamur, sed nunc etiam præsentamur & ostendimus nos, quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Sic igitur oret qui orat, tanquam assumptus & præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis qui minimè ceciderunt, & elevatum in hominibus quos suscitavit de pulvere inopes, & erexit de stercore pauperes. Sic, inquam, semetipsum consideret & sic attendat, tanquam præsentatum

tum

tum Domino maiestatis, ut dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Orantem quippè hominem (f) cum Deo loqui quis dubitet? Omnis animæ (g) sic facientis & facies & vox Deo grata existit: facies propter puritatem, vox propter confessionem. Etenim confessio & pulchritudo in conspectu ejus. Vnde & dicitur ei qui ejusmodi est: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Vox admiratio in animo contemplantis, vox gratiarum actio est. Et tu quoque (h) si collecto tuo spiritu, mente sobria & vacua curis, orationis domum solus introeas, & stans coram Deo ad unum aliquod de Altaribus cæli januam tangas sancti desiderii manu, & præsentatus choris Sanctorum tua penetrante devotione (siquidem oratio iusti penetrat Cælos) in ipsorum præsentia miserandus deplores miseras & calamitates quas pateris, crebris suspiriis & gemitibus inenarrabilibus prodas necessitatem, flagittes pietatem. Si, inquam, hoc egeris, confido in eo qui dixit, *Petite, & accipietis:* quia si perseveraveris pulsans, non exhibis vacuus. Item ait (i) *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Hoc planè est testamentum pacis, hoc pietatis fædus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. *Clamabit* (inquit) *ad me, & ego exaudiam eum.* Meritò non exauditur, qui clamare dissimulat, aut omninò non postulans, aut tepidè postulans & remisè. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus: è regione autem

f *Serm. 50. in Cant. num. 4. g Serm. 62. in Cant. num. 2. h Ser. 49 in Cant. nu. 3. i Serm. 16. super Psal. 90. num. 1.*

tem remissa intentio, vox submissa. Quando illa penetrabit nubes? quando audietur in Cælis? Nempe ut clamandum sibi noverit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem in cælis esse protinùs admonetur, quòd videlicet impetu quodam spiritûs, illò sibi jaculandam esse meminerit orationem. Spiritus est Deus, & in spiritu clamare necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tamquam homo, sed magis intuetur cor, sic ad cordis potiùs vocem quàm corporis aures ejus cui meritò dicitur: *Deus cordis mei*. Hinc est, quòd Moyses foris tacens intùs auditur, dicente Domino: *Quid clamas ad me?* Desiderium viri sancti clamorem (k) appellat: quia lingua profectò tacebat. Unde David in Psalmo ait: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Preparationem cordis eorum audivit auris tua*. Et Dominus in Evangelio ait. *Quoniam semper orare oportet & nunquam deficere*. Ubi intelligitur orationem non tantùm esse vocis, sed devotionis. Non enim semper clamare possumus motu labiorum, semper autem possumus bono desiderio fervere, quod ostendit Dominus loquens ad Moysen tacentem: *Quid clamas ad me?* Numquid (l) non desiderium vox? Et valida. *Desiderium pauperum* (inquit David) *audivit Dominus*.

§. I I.

Quatuor (m) mihi videntur orandi modos exprimere Apostoli verba dicentis: *Volo primùm fieri obsecrationes, deinde orationes, postulationes, gratiarum*

P

rum

k Tract. de viteryff. cap. 6. n. 29. l Ser. 74 in Cant. n. 2. m Ser. 25. divers. n. 1.

rum actiones. Primò quidem sunt, quos adhuc peccati conscientia terret & cruiat, nondum accepta resistendi virtute: tunc scilicet cùm primùm ipsos in peccatorum cæno jacentes primus Veritatis radius irradiat, & excitans erubescere facit, & timere Deum, dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem, & velut ardentem coram se gehennam expavescentes, quoniam in seipsis boni nil inveniunt, aliunde apprehendunt unde tegantur. Sciunt enim quòd non sit tutum in conspectu Domini Dei sui vacuos apparere contra legis præceptum, & multò minùs id præsumere plenis stercore manibus audent. Quia ergo timent, & meritò timent per seipsos accedere, student quasi per alios supplicare. Tale est illud orationis genus, quo solemus uti dicentes: *Sancte Petre, ora pro nobis: & similia*. Maximè verò per illud *obsecratio* est manifesta: *Per passionem tuam, libera nos Domine: & cætera in hunc modum*. Tale enim videtur, ac si latro deprehensus & jam vicinus suspendio, quando penitùs desperat nec invenit in se unde veniam deprecetur, extendens brachia dicat: Quia sic passus est Christus, ut eorum à quibus tenetur, animos moveat ad pietatem. Credo ego (n) de talibus dici posse, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vim faciebat regno cælorum Publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cælos levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare. Simile aliquid mulier illa egisse videtur, quæ profuvium sanguinis habens, dum timeret ad Christum accedere, fecit ab eo virtutem exire. Furtim enim

teti-

tetigit fimbriam, & curata est ab infirmitate: unde & dedignatis quodammodò verbum videtur, quòd de ea Dominus ait: *Quis me tetigit?* Et addit: *Sensit à me exire virtutem.* Non credo quòd sit inter nos quispiam, sed fortè sunt nonnulli in seculari habitu vel conversatione, qui potuerunt aliquando experiri quòd loquor, ut inviti fluxum sanguinis paterentur, ejus inquam sanguinis qui regnum Dei non possidebit. Etenim qui facit peccatum, servus est peccati: nec sua se poterit continere virtute, etiam cùm volet. Huic ergò minimè expedit per seipsum ad Christum accedere, sed tangere si quam invenerit ejus fimbriam, hoc est, eum considerare hominem, quem humiliorem viderit & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum, inquam, qui elegit abjectus esse in domo Domini, oportet considerare, quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam utique spiritualis unguenti descendens à capite copia tanta decurrit. Hunc si beneficiis aliquibus, seu prece humili, aut confessione pura tetigerit, ut affectum ejus erga se moveat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur. Illud tamen noverit fimbria non à se, sed à Christo exiisse virtutem, qui & tangi se protestatur in fimbria. Expressi nunc vobis quantum potui quale sit, & cui animæ sit necessarium genus obsecrationis, *Secundò.* (o) At verò virtute continendi accepta securus accedit ille, qui sibi conscius fuerit pro delictis præteritis veniam quærens & oratione utens, quæ nostri oris est ratio, quando jam ore suo loquitur cum Deo suo. Hinc illud est quòd

Maria Magdalena, quanquam non minùs humilis hæmorrhoiſſa illa, non ſic tamen veretur accedere, ſed rigat lachrymis pedes, capillis tergit, ungit unguento, osculatur ore deuoto. Unde ſatis liquet, quòd omninò jam propoſuerat in corde ſuo à peccato deinceps abſtinere: & quaſi profluvium ſtabat. Quod ſi jam conſecutus es & tu, primùm eſt ut ipſi Domino in *oratione* loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ. *Tertiò*. (p) Dehinc poſtquã in lamentis pænitentix aliquandiu perſeuerans, hilaritatem quandam & fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad *poſtulationes*, ut ſecurè tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conſeruis tuis audeas petere quod oportet. At fortaiſſis requiras, unde aut quomodo noſſe poteris, vtrum hanc conſecutus ſis indulgentiam. Sic nimirum conſervandæ humilitatis gratiã, Divina ſolet pietas ordinare, ut quantò quis plùs proficit, eò minùs ſe reputet profeciſſe. Nam & uſque ad ſupremum exercitii ſpiritualis gradum, ſi quis eoſque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix ſibi primum videatur adeptus. Attamen ſcio quod lectum ſit in Evangelio, dixiſſe Jeſum paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: & reputatum eſt ei ad blaſphemiam*. At ille, cui nimirum cogitatio hominis conſitetur, *Quid* (inquit) *cogitatis mala in cordibus veſtris?* Blaſphemare me blaſphematis, & quaſi ad excuſandum vim viſibilis curationis virtutem mihi inviſibilem uſurpare? Sed egò vos potiùs blaſphemos eſſe convinco, ſigno probans viſibili inviſibilem poteſtatem. *Ut ſciatis* (inquit)

quit) *quia potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus: sed magis ipsa (ut dignū est) regat illud & ferat, quòd non vult. Si demùm ambulas, quæ retro sunt obliviscens, & ad ea quæ ante sunt te extendens desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. Neque enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleviatum, & nec grabatum tollere nisi exoneratus magis, quia nec ambulare in fervore cōversationis cum peccatorum gravi mole possibile est. Propter quod [q] fiducialiter jam postulare potest qui ejusmodi est, tantùm caveat ne fortè aut postulet non postulanda, aut minùs postulet quæ à Deo sunt postulanda: aut ea tepidè quærat, quæ toto affectu & omni tempore sunt quærenda. *Petit is & non accipitis* (ait Jacobus Apostulus) *ed quòd malè petatis, utpote in concupiscentiis vestris.* Sic agit omnis qui terrena quærit ultra necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur aut voluptatem. At verò temporalia si defuerint, petenda quidem sunt quantum necessitas humana requirit: sed non sunt hæc nimium requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaquè de quibus certum non habemus quid expediat nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur à te, sed non nimis obnixè, quoniam in talibus

meminisse oportet Apostolicæ illius sententiæ: *Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Er Deo magis committere, quàm temerè aliquid apud nos definire. Hæc autem sunt toto affectu, & omni tempore postulanda. Hæc sunt pro quibus incessanter, & quàm obnixè poterunt ad Deum clament desideria tua, ut habeas gratiã ejus bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius, & in eo vivas, & moriaris in ipso: ut gloriam ejus videre, & ipso frui in perpetuum merearis. De his enim dictum est: *Sine intermissione orate*. *Quartò*. [r] Ad quartum genus Orationis, quod est *gratiarum actio*, perpauca attingere credo, & quò rarius, eò preciosius est. Multam enim prorsus gratiam inveniet apud Deum is, quem juxta promissionem suam exaudit antequàm invocetur: & testimonium reddet spiritui ejus Spiritus quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium ejus, ita ut certus jam non orare, sed gratias agere possit. Sic enim habes in Lazari resuscitatione, ubi Dominus, licet priùs nihil orasset: Pater, inquit, gratias ago tibi quoniam audisti me. Prima igitur, id est, *obsecratio* verecundo fiat affectu. Secunda, quam propriè diximus *Orationem*, affectu puro: ut videlicet non dissimulemus peccata, non nos palpemus: scientes quòd sic quisq; invenit gratiam apud Deum, si inventus fuerit durus judex in semetipsum. Tertia, idest *postulatio* amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Credo enim propterea dictum: *Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit: quòd tantum impetrabimus, quantum*

por-

porrexerimus pedem fidei. Quarta quæ est *gratiarum actio*, ipsa debet esse devotione plenissima, & deliciis affluens.

§. III.

Porro dicam unum adhuc [s] quod faciliè capiatis, sæpiùs nisi fallor experti. Jejunium orationi devotionem & fiduciam donat. Et vide quemadmodùm sibi invicem jejunium & oratio socientur, sicut scriptum est: Frater adjuvans fratrem, ambo consolabuntur. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, & Domino repræsentat. Hoc est denique perfectum jejunium [t] quando noster homo exterior jejunat, interior verò orat. Oratio per jejunium faciliùs penetrat cælum. Per jejunium & orationem mens hominis conjungitur Angelis, & copulatur Deo. Quid autem (u) jejunium nobis proderit, si relinquatur in terra, quod absit? Sublevetur ergo jejunium pennâ quâdam orationis. Verùm huic ne fortè minùs sufficiat, alteram quoque pennam necesse est sociari. *Oratio justis* (ait scriptura) *penetrat calos*. Sint ergo jejunio nostro, ut faciliè cælus penetret, alæ duæ, orationis scilicet atque justitiæ. Justitia verò quæ est, nisi quæ cuique reddit quod suum est? Noli ergo quasi solum attendere Deum, debitor enim es etiam Prælati, etiam Fratibus tuis: nec vult Deus ut parvipendas, quos ipse minimè parvipendit. Neq; enim sine causa ait Apostolus: *Providentes bona non tantùm*

s *Serm. 2. in Quadrages. 2. t Lib. de modo bene vivere. cap. 24. n. 71.*
 u *Ser. 4. in Quadrages. 2.*

coram Deo , sed etiam coram hominibus . Dicebas fortasse: Sufficit mihi si tantum Deus approbat quod ago , quid mihi de humano cura iudicio ? Sed certus sis quod ei minimè placeat , quidquid cum scandolo filiorum eius , & contra ipsius feceris voluntatem , cui obedire tanquam eius Vicario oportebat . *Sanctificate* (inquit Scriptura) *jejunium , vocate cætum* . Quid est enim cætum vocare ? Unitatem servare , diligere pacem , fraternitatem amare ? Superbus ille Phariseus jejunium habuit , jejunium sanctificavit , qui nimirum jejunavit bis in Sabbatho : & gratias egit Deo , sed non vocavit cætum dicens : *Non sum sicut ceteri hominum* : ideoq; alâ unâ nitens , jejunium ejus non pervenit in cælum . Vos ergo , charissimi , lavate manus vestras in sanguine peccatoris , & omninò solliciti estote , ut alas duas habeat jejunium vestrum , sanctimoniam scilicet & pacem , sine qua nemo videbit Deum . Sanctificate jejunium , ut pura intentio & devota oratio Divinæ illud offerat Majestati . Vocate cætum , ut congruat unitati . Laudate Dominum in tympano & choro , ut concors sit mortificatio carnis . Et quia (x) de jejunio & de justitia aliqua diximus , dignum est ut de Oratione quoque pauca loquamur . *Primo* quidem oratio quanto efficacior est si fiat ut debet , tanto callidiùs impediri ab adversario solet . Adversarius noster est ille (y) qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret . Longè siquidem (z) ampliori sollicitudine , & calliditate multiplici pars adversa vulnerare in nobis dexteram satagit , quàm sinistram : nec tam corporis profectò , quàm cordis laborat auferre substantiam ,

x Ibidem n. 3. y Ser. 1. in septuag. n. 5. z Ser. 7 super Psal. 92. n. 11.

tlam. Utramque nimirum prosperitatem humano generi invidere noscuntur dæmones, utraque nos felicitate privare contendunt, & cælesti nimirum & terrena, sed longè ampliùs rore cæli, quàm pinguedine terræ. Cæterum hoc est remedium ejus (a) qui vitiatorum vel dæmonum tentationibus æstuat, ut quanto ampliùs tentatur, tantò ampliùs ad orationem currat: & assiduè cum omni devotione assistat in conspectu Domini, in tempore orationis suæ, ut imminentem tentationem diaboli faciliùs possit evadere. Quando quisque orat. (b) Spiritum Sanctum ad se vocat: sed postquam venerit, confestim omnia tentamenta dæmoniorum, quæ se mentibus hominũ immergunt, præsentiam ejus ferre non sustinentes effugiunt. Gravis equidem nobis est inimici tentatio (c) sed longè gravior illi est oratio nostra. Lædit nos iniquitas ejus atque versutia, sed multò ampliùs nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostra, mansuetudine & obedientia cruciatur. Oportet ergo hæc arma parare, sed arma spiritualia potentia Deo, nonmodò ad resistendum, sed ad impugandum quoque & expugnandum viriliter inimicum. Unde Apostolus ait: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Secundo.* [d] Interdum quoque graviter impeditur oratio à pusillanimitate spiritus; & timore immoderato. Hoc autem tunc solet fieri, cùm sic cogitat homo propriam indignitatem, ut non convertat oculos ad Divinam benignitatem: abyssus enim abyssum invocat

a Lib. de modo ben. vivendi. cap. 67. n. 159. b Ibidem cap. 39. num. 117.
c Ser. 3. in Dedic. Eccl. n. 2. d Ser. 4. in Quadr. ag. n. 3.

vocat : abyssus luminosa , abyssum tenebrosam ;
 abyssus misericordiæ, abyssum miseræ . Profundum
 namque est cor hominis , & imperscrutabile . Sed si
 magna est iniquitas mea , multò major est Do-
 mine pietas tua . Ideoque cùm ad meipsum turbata
 fuerit anima mea, memor sum multitudinis miseri-
 cordiæ tuæ, & respiro in ea : & cùm introjero in po-
 tentias tuas, nolo memorari justitiæ tuæ solius .
 Quantumcunque [e] gravis se ingerat memoriæ
 meæ recordatio scelerum meorum, quantumcun-
 que me deterreat præteritæ vitæ meæ horribilis
 consideratio, faciant alii quod consuerint expedire .
 Ego semper sentiam in bonitate de dulcedine Domi-
 ni mei Jesu Christi : semper oculi mei ad miseri-
 cordiam ejus, sciens nimirum & quandoque in me
 experiens longè efficaciorum ejus dulcedinem ad
 consolandum, multoque promptiorem ejus beni-
 gnitatem ad indulgendum, quàm meam iniquitatem
 ad delinquendum . Scio utiq; quia non est iniquitas,
 sicut iniquitas mea : sed è regione, non est dolor, sicut
 dolor ejus . Si supra modum peccavi, non despero :
 quia supra modum doluit, in quo respiro . Si exa-
 speratur Deus immanitate sceleris mei, mitiga-
 tur proculdubio in dolore satisfactionis Filii sui .
 Tertio [f] denique sicut periculum est, si fue-
 rit oratio nimis timida, sic in contraria parte non
 minus imò & majus periculum est, si fortè fuerit te-
 meraria . De his qui sic orant, audi quid loquatur
 ad Prophetam Dominus . *Clama, inquit, ne cesses, qua-
 si tuba exalta vocem tuam, &c. Quasi tuba, inquit,*
 quia in spiritu vehementi increpandi sunt temera-
 rii,

e. *Epist.* 385. n. 8. f. *Ser. 4^{ta} in Quadrage. n. 4.*

rii. Me etenim quærent, qui seipfos nondum inveni-
 erunt. Nec hoc dico ut peccatoribus auferam
 orandi fiduciam, sed volo eos orare tanquam gen-
 tem quæ peccatum fecerit, non iustitiam. Orent pro
 indulgentia peccatorum suorum in animo contrito,
 & spiritu humilitatis, quemadmodum publicanus
 ille, *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori*. Te-
 meritatem enim dico, quando is, in cuius consci-
 entia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat,
 ambulat in magnis & mirabilibus super se, minus sol-
 licitus pro periculo animæ suæ. Quartū periculum
 est, (g) si sit oratio tepida, & non ex viva affectiōne
 procedens. Timida quidem oratio Cælum non pe-
 netrat, quia restringit animum timor immoderatus,
 ut oratio non dicam non ascendere, sed nec proce-
 dere queat. Tepida verò oratio in ascensu langue-
 scit & deficit, eò quòd non habeat vigorem. Nam
 temeraria non ascendit, sed resilit: resilitur enim ei:
 nec tantum non obtinet gratiam, sed & meretur of-
 fensam. Quæ verò fidelis & humilis & fervens ora-
 tio fuerit, Cælum sine dubio penetrabit: unde cer-
 tum est, quòd vacua redire non poterit.

C A P U T V I I.

*De oratione Dominica, continente petitiones septem:
 quam Christus Dominus instituit.*

Et factum est cum Jesus esset in quodam loco orans,
 ut cessavit dixit unus ex discipulis eius ad eum:
 Domine, doce nos orare. Et ait illis: Sic vos

ora-

orabitis: Pater noster qui es in cælis, &c. *Luc. 11. Matt. 6.*

1. Præmittitur exordium orationis Dominica. 2. Exponuntur verba petitionis primæ. 3. Explicancantur verba petitionis secundæ. 4. Interpretantur verba petitionis tertiæ. 5. Declarantur verba petitionis quartæ. 6. Exponuntur verba petitionis quintæ. 7. Explicantur verba petitionis sextæ. 8. Explanantur verba petitionis septimæ.

§. I.

Pater noster qui es in cælis. Postquam (a) unigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitu inventus ut homo: non immerito jam de cælesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque nim indignum est Deo, eorum fieri Patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Quare enim (b) Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? Voluntati autem ejus quis resistet? filius Dei qui exaltat, quis est qui humiliet? Nemo discredat (c) nemo hæsitet, habemus testimonium credibile nimis. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Fratres habere voluit Unigenitus Dei, ut esset in multis fratribus primogenitus ipse. Utique nihil hæsitet ipsa pusillanimitas fragilitatis humanæ: prius ipse factus est hominum frater, factus est hominis filius, factus est homo. Unde (d)

Spon-

a Ser. 1. in oct. Pasc. n. 1. b Ser. 1. in vigil. nat. Dom. n. 2. c *Ibidem* n. 3. d Ser. 48. in Cant. n. 5.

Sponsa Ecclesia ait: *Sicut malus inter ligna Sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Et benè inter filios, quia cùm esset unicus Patris sui, multos illi & absque invidia filios acquirere studuit, quos non confunditur vocare fratres, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Jure autem præponitur univ[er]sis adoptatis per gratiam is, qui per naturam Filius est. Quanta [e] dignatio Dei, Deum Patrem hominum esse: quanta hominum gloria, Dei filios esse? *Genus enim [f] sumus Dei*, sicut dicit Apostolus, transferens Ethnici sententiam de malo vase in vas bonum, ut non nisi ipsam & vas bonum sapiat. *Genus*, inquam, *sumus Dei*, & dii filii & Excelsi omnes; cognatione quadam spirituali magnam apud Deum vendicantes affinitatem, cùm per Spiritum adoptionis Filius Dei unum nobiscum nomen sortiri non dedignatur. Ideo cū ipso & per ipsum præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis*, Quamvis autem [g] ubique sit Deus, in cælo tamen orandus est, ibiquè orationis tempore cogitandus: ut mens nostra non oratorii tecto, non aëris spatio, non ipsa retarderetur nubium densitate, juxta eam formam quæ nobis à Christo tradita est, ubi ait: *Sic orabitur: Pater noster qui es in cælis*. Cælum enim quadam prærogativâ etiam sedes sive thronus Dei vocatur: quia ad eam comparisonem, quâ Deum in cælis Angeli Sancti & Electorum animæ vident, nos miseri & peregrini super terram vix solum nomen habere videmur. Vis scire [h] quia

no-

e Ser. 26. in cant. n. 15. f Lib. 1. de Amore Dei cap. 7. n. 14. g Ser. 25. int. diu. n. 9. h Ser. 2. de Virg. Deip. n. 1.

nomen & memoriale ejus in nobis est, præsentia in excelsis? *Sic orabitis*, inquit, *Pater noster qui es cælis*. Fidelis oratio, cujus ipsa primordia & divinæ adoptionis, & terrenæ peregrinationis admonent: ut hoc scientes, quod quamdiu non sumus in cælo, peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Dei Patris. Denique ideo homo [i] inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem in cælis esse protinùs admonetur, quod videlicet impetu quodam spiritûs, illud sibi jactandam esse meminerit orationem. Patrem namque in sua persona [k] licet nusquam non sit, nusquam tamen invenio nisi in cælis, ut in Evangelio: *Et Pater meus qui in cælis est*. Et in oratione: *Pater noster qui es in cælis*.

§. I I.

Sanctificetur nomen tuum: Hoc primum [i] fieri petimus quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innotescat Sanctitas illibata. Quod autem petimus ut sanctificetur nomen ejus, omnino jam supra nos in ejus notitiam pergere concupiscimus. *Sanctificetur nomen tuum*. Nomen ejus, gloria ejus. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria ejus, cum in sanctitate glorificatur à nobis. Benedictum nomen gloriæ ejus (m) quod est sanctum. Neque enim ociosè venit, quod ex Maria natum est Sanctum, sed copiosè diffundit & Nomen

i Ser. 16. super. Psal. 90. n. 1. k Tract. de grad. humil. cap. 8. n. 22.
l Ser. 6. in Quadrag. n. 5 m Ser. de SS. Innocent. n. 1.

men & gratiam sanctitatis. *Protegam eum*, ait (n) *quoniam cognovit nomen meum*. Non novit Nomen ejus, qui illud assumit in vanum, qui dicit ei, Domine Domine, & non facit quæ dicit ipse. Non novit Nomen ejus, qui eum nec honorat ut Patrem, nec ut Dominum timet. Non novit Nomen ejus, qui ad vanitates & insanias falsas convertitur. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas*. Hoc Nomen cognoverat, qui dicebat: *Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri*. Nos quoque si novimus Nomen sanctum quod invocatum est super nos, desiderandum utique nobis, ut semper sanctificetur in nobis: atque ita orandum juxta doctrinam utique Salvatoris: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*. Sanctificetur sanè nomen tuum (o) per quod utcunque interim in nobis es Domine, per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. At longè aliter (p) & dissimili prorsùs affectione Nomen istud sanctificatur in cælis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Denique audi (q) quid sequatur in Psalmo: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis: porrò fructus clamoris, exauditio Salvatoris. Quomodo enim aut non invocans exaudiri poterat, aut nomen Domini nesciens invocare? Gratias ei qui manifestavit hominibus nomen Patris, fructum salutis in ejus invocatione constituens, sicut scri-

ptum

n Ser. 15. super. Psal. 90. n. 6. o Ser. 2. de Virg. Deip. n. 3. p Ser. 2. diu. n. 3. q Ser. 15. sup. Psal. 90. n. 6.

ptum est: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Hoc planè est testamentum pacis, (r) hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. *Speravit in me, liberabo eum*. Nomen meum cognovit, *protegam eum*. Invocavit me, & ego exaudiam eum. Nisi enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret? quis gloriabitur castum se habere cor? Nunc autem apud te propitiatio est, & propter hanc legem tuam sustinui te Domine. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. *Clamabit, inquit, ad me, & exaudiam eum*. Ita ergo fursùm cor [s], fursùm clamor, fursùm desideria, fursùm conversatio, fursùm intentio, & omnis expectatio tua defursùm sit. Clama in cælum ut exaudiaris, & qui in cælis est Pater mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tribulatione, glorificet in resurrectione. Magna sunt hæc, sed tu magne Domine promisisti. Ex tua promissione speramus, inde audemus dicere: *Si corde clamamus pio, certè debes ex promissio*.

§. III.

Adveniat regnum tuum. Oramus utique (t) ut adveniat regnum Domini, quo videlicet nobis plena sit de regni potestate securitas, ubi nimirum nobis in nobis & felix securitas & secunda felicitas fuerit, in eum qui supra nos est totâ jam spiritûs vehementiâ rapiemur. Quoniam autè (v) qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo: nihil dubium est, quin

r Ser. 16. sup. Psal. 90. n. 1. s Ibidem. n. 4. t Ser. 6. in Quadrag. n. 5. u Ser. 1. in dedic. Eccles. n. 7.

quæ perfectè adhærentes ei beati Spiritus cum eo pariter & in eo penetrent univèrsa. Perfectò (x) cælestis illius curiæ lapides vivi & rationabiles divinis interfunt consiliis, & Trinitatis mysteria norunt, audiuntquè verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ad hanc domum (y) si pervenire desideras, sic concupiscat & deficiat anima tua in atria Domini, sicut Propheta clamat: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Denique (z) idem Propheta in alio Psalmo ait: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum:* idest, dum adhuc dies mali sunt, & in terra aliena sumus, quæ data est in manus impii, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus: *Adveniat regnum tuum.* Proinde (a) flens dico: Quousque odoramus & non gustamus, prospicientes patriam, & non apprehendentes, suspirantes & de longè salutantes? O veritas exulum patria, exilii finis! video te, sed intrare non sinor carne retentus, sed nec dignus admitti, peccatis sordens: En (b) ipsa ejus recordatio ad lachrymas provocat me planè juxta affectionem & vocem dicentium: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Quidni (c) moveat mihi crebras lachrymas & gemitus quotidianos Christi absentia? Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboravi in gemitu

Q

tu

x Ibidem n.6. y Ibidem n.7. z Ser.4. super. Psal.90.n.3. a S.7.50. in Cant. nu.7. b Ser.33. in Cant. n.2. c Ser.59. in Cant. n.4.

tu meo, tu scis. Non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus, gemitus isti comperti sunt. Exigit enim fletum à nobis (d) desiderium futuræ beatitudinis. *Facta sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* (ait Propheta) *dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Parum ei placet hujus vitæ novitas, si necdum futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis: minùs tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua donec veniant. Filioli (e) concupiscamus in atria Domini: crebrò suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, odorem saltem, & à longè salutemus eam. Hoc est utiq; (f) quod quotidie petimus in oratione, cum dicimus Deo: *Adveniat regnum tuum*. Regnum hoc necdum ex toto pervenit ad nos. Quotidie tamen paulatim adventat, sensimquè in dies magis ac magis dilatat terminos suos, in his dumtaxat quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. Inquantùm enim regnum gratiæ dilatur, intantùm peccati potestas minuitur. Inquantùm verò minus est adhuc propter corpus mortis quod aggravat animam, & ob necessitatem terrenæ in habitationis utique deprimentis sensum multa cogitantem: necesse habent etiam qui perfectiores esse in hac mortalitate videntur, confiteri & dicere: *In multis offendimus omnes: & si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quapropter orant & ipsi sine intermissione dicentes: *Adveniat regnum tuum*. Quod non erit vel in ipsis

CON-

d Ser. 2. in Quadrage. n. 4. e Ser. 2. int. diu: n. 8. f Tract. de grat. & lib. arb. c. 4. n. 12.

consummatum, quousque peccatum non solum non regnet in eorum mortali corpore, sed nec sit omnino, nec esse possit in immortalis corpore.

§. I V.

Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Exinde quod ad nos spectat, [g] optamus & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis Dei in nobis perfectionem propter jucunditatem. Certissime autem habituri sumus, [h] cum Deo miserante obtinebimus quod oramus: *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra.* Hoc namque complebitur, quando id quod nunc cunctae passim rationali creaturae commune videtur, liberum scilicet à necessitate Arbitrium: erit etiam in Electis hominibus, uti jam in sanctis est Angelis, & cautum è peccato, tutum à miseria: probantibus tandem triplicis libertatis felici experientia, quae sit bona voluntas Dei ac beneplacens & perfecta. Quod quia necdum est, sola interim plena integraque manet in hominibus libertas Arbitrii. Nam libertas Consilii ex parte tantum, & hoc in paucis spiritualibus qui carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: quatenus jam non regnet peccatum in eorum mortali corpore. Porro ut non regnet, libertas facit Consilii. Ut tamen non desit ex integro, captivitas est liberi Arbitrii. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est: hoc est, cum plena fuerit libertas Consilii, nulla jam erit captivitas Arbitrii. Et quoniam [i] Scriptura loquitur,

Q 2

Deum :

g Ser. 6. in Quadrag. n. 5. h Tract. de grat. de lib. arb. cap. 4. num. 12.
i Tract. de dilig. Deo cap. 10. n. 28.

Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profectò ut factura sese quandoque conformet & concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nosiplos nec aliud aliquid fuisse vel esse velimus, nisi æquè propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. Delectabit sanè non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita fœlicitas, quàm quòd ejus in nobis & de nobis voluntas impleta videbitur: quod & quotidie postulamus in oratione cùm dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*. O amor sanctus & castus! ô dulcis & suavis affectio! O pura & defœcata intentio voluntatis, eò certè defœcatior & purior, quòd in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quòd totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere à se tota videtur dum & saporem vini induit, & colorem: & quomodò ferrum ignitum & candens, ignis simillimum fit, pristinâ propriâquè ormâ exutum: & quomodo Solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur: Sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquefcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Voluntas Domini[k] quæ priùs Angelos creavit faciens eosdem, postmodum in eis facta beavit. Sicut enim Verbum quod erat in principio, carnem susci-

sciens verè dicitur factum caro : sic voluntas illa æterna in Angelo facta est , cùm Angelicam omninò in se absorbit voluntatem . Quidni dicatur facta in Angelo , cùm Angelica facta est ? Hæc enim summa illius fælicitatis est , hic voluptatis cælestis tortens , quòd Divina voluntas ipsa facta est etiam Angelorum : ut quemadmodùm placet Deo universitas administrationis hujus , sic & ipsi Angeli in cunctis gaudeant , in omnibus delectentur . Hoc igitur oramus , ut hæc voluntas sicut in cælestibus facta est creaturis , fiat etiam in terrenis : ut sicut Angelus sic & homo adhærens Deo , unus cum eo spiritus sit . Et quidem ubique regnat , (l) ubique imperat , ubique majestas ejus , sed gratia fortè non ita . Non , inquam , ubique sicut potestas , sic & voluntas ejus bona & beneplacens & perfecta . Alioquin quid est quod dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra* . Fit enim voluntas ejus de omnibus , fit per omnes , non in omnibus tamen . In electis Spiritibus fit voluntas Dei , quando in eis efficitur cum ipso una voluntas . Hæc sanè adhæsiō spiritualis unum spiritum faciens , sicut multitudinis quoque credentium cor unum & anima una legitur extitisse . Inde est (m) quòd non simpliciter petimus ut fiat voluntas Domini , quam in omnibus & per omnia fieri certissimè constat (voluntati enim ejus quis resistit ?) sed ut fiat sicut in cælo & in terra . Quam nimirum adjectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilominus reor aptandam , ut Patrem nostrum qui in cælis est exoremus , quatenus & nomen ejus sanctificetur , & regnum ejus adveniat , &

Q 3

volun-

voluntas fiat. Hæc omnia sicut in cælo, sic & in terra .

§. V.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quia [n] necdum illa perfectione gaudentes, non sine magno labore Divinæ possumus obtemperare voluntati, idèd opus est cibo ne deficiamus: opus est, inquam, *pane quotidiano*. Panis [n] est meditatio sancta, de qua scriptum est: *Cogitatio sancta conservabit te*. Et quæ alio in loco scripturæ nominari videtur panis vitæ & intellectus. Est utique (o) intellectus rerum spiritualium & invisibilium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Orat pro hujusmodi (p) Propheta: *Et holocaustum tuum*, inquit, *pingue fiat*. Sic & in laudibus Aaron legitur, quoniam Sacrificium ejus quotidianus ignis absumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis, & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Unde & in oratione Dominica hujusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sanè, ne fortè cadat super nos terribilis illa maledictio prophetiæ imprecationis: *Fiant sicut fanum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit*. Timent proinde (q) qui noverint spirituales cibum, ne quando fortè fraudentur eo. Cibo siquidem forti egent; qui manum miserunt ad fortia. Vivant de paleis Ægypti, qui deserviunt in operibus luti & lateris: nobis

n Ser. 6. in Quadrages. n. 5. n Ser. 1. in Dom. 6. post. Pent. n. 1. o Ser. 2. in Annunt. B. M. Vig. n. 4. p Ser. 1. in Nat. Dom. n. 6. & 7. q Ser. 1. in Dom. 1. post. oct. Epiph. n. 5.

his fortior cibus est necessarius , quoniam nobis grandis restat via , ut ambulemus in fortitudine cibi illius . Ipse est panis Angelorum , panis vivus , panis quotidianus . Utrarumque ovium pastor (r) Dei scilicet Sapiaentia Christus , unum idemquè pabulum Veritatis aliter in terris , aliter in cælestibus gregibus suis administrat . Nam nos quidem mortales homines interim in loco peregrinationis nostræ , in sudore vultus nostri comedere panem nostrum necesse habemus , foris illum in labore & ærumna mendicantes , idest , vel à doctis viris , vel à Sacris literis , vel certè per ea quæ facta sunt , invisibilia Dei intellecta conspicientes . Angeli autem in omni plenitudine etsi non à semetipsis , tamen in semetipsis tanta facilitate , quanta & felicitate accipiunt , unde & beatè vivunt . Cibus est verbum Dei (s) quo pascuntur omnes Sancti , tam homines quàm Angeli . Unde scriptum est : *Non in solo pane vivit homo , sed in omni verbo quod procedit de ore Dei .* In hoc verbo laboremus , fratres , (t) in quo & vivere , & gaudere possimus in æternum . Operemur non cibum qui perit , sed qui permanet in vitam æternam . Carnalis autem homo (u) qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei , sed stultitia ei videntur , gemit & lugeat dicens : *Aruit cor meum , quia oblitus sum comedere panem meum .* Neq; enim (x) pateretur hunc defectum , si jugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis , voluntas in desiderio charitatis , caro in operatione virtutis . Idcirco alienū mendicat , [y]

Q 4 quod

r Ser. 53. in Cant. 2. 5. s Ser. 5. in Assumpt. B. M. 2. 4. t Ser. de S. Jo: Baptista 2. 7. u Ser. 2. in Annuntiatio. B. M. 2. 4. x Ser. de Rogat. 2. 2. y Ser. 11. super Psalm. 90. 2. 4.

quoddam oblitus sit comedere panem suum : propterea terrenis inhiat , quoddam minimè cœlestia meditetur . Porro [z] quid æquè confirmat & corroborat cor humanum , quid ita in omni necessitate confortat & sustentat , ut Divinæ voluntatis executio , velut in quendam animæ ventrem , conscientiam scilicet ingesta ? Sic & sermonem Divinæ exhortationis , & promissionum ejus consolationem , & orantium lachrymas panes cordis esse solus ille ignorat , cujus jam aruit cor , pro eo quoddam suum ipsius panem comedere sit oblitus . Propter hoc sanè [a] aliquando finis venit universæ carnis , quia spiritus recesserat vitæ . Denique ait Dominus : *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum , quia caro est* . Carnis nomine hoc loco vitium designari intellige , non naturam . Nec enim spiritum natura expungit , sed vitium .

§. VI.

Et dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris . Hoc planè est testamentum pacis , [b] hoc pietatis fœdus , hoc pactum misericordiæ & miserationis . Sæpiùs quippè [c] aberrantes à voluntate Dei , & delinquentes , hoc est derelinquentes eam , necessariò pro indulgentia supplicamus , dicentes : *Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* . Profecùd [d] quamlibet firmi , quamlibet fortes in fide , quamlibet parati , quamlibet panibus abundantes , ipso quidem largiente , cui quotidie orantes dicimus , Pa-

nem

z. Ser. 3. in Dom. Palm. n. 1. a. Ser. 35. in Cant. n. 4. b. Ser. 16. super Psal. 90. n. 1. c. Ser. 6. in Quadrag. n. 5. d. Ser. 6. in vig. Nat. Dom. n. 10.

nem nostrum quotidianum da nobis hodie: necesse tamen habemus addere consequenter: Dimitte nobis debita nostra. Alioquin si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosipfos seducimus, & veritas in nobis non est. Ipsa sola liberat [e] sola salvat, sola lavat. Quod si confiteamur peccata nostra, non deerunt veris Judæis purificationis hydræ: quoniam fidelis est Deus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Denique [f] quoniam in multis offendimus omnes, impossibile est in hoc loco & tempore scandalorum, pacem inter nos conservari, (neque enim adhuc venerunt Angeli qui de regno Dei tollant omnia scandala, sed nec sumus in illa beata Civitate, cujus fines pacem posuit Deus) nisi & is qui in aliquo fortè offendit proximum, animosam elationem, & qui offensus est, nihilominus caveat execrabilem obstinationem. Studeamus itaque, Fratres mei, & humiles ad satisfaciendum his qui aliquid habent adversum nos, & ad remittendum his qui offendunt nos, faciles inveniri: quia non solum mutæ inter nos pacis conservatio constat in his duobus, sed ne ipsa quoque Divina sine his propitiatio poterit obtineri: quodd nec munus ab eo recipiat, qui non prius jerit ut fratri reconcilietur, & dimissum etiam ab eo delictum strictius exigat, qui conservo suo debitum non remittit. Sunt quidem aliqui [g] sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt & alii qui sileant licet, manet tamen alta mente reposita, & rancorem tenent in animo: quorum utiquè

neu-

c Ser. 2. in Dom. 2. post Ost. Epiph. 2. 6. f Ser. 28. in. die. num. 4. & 5.
g Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. 2. 4.

neutra plena indulgentia est. Hæc est autem [h] remissio injuriarum, secundum quod orantes dicimus: *Dimitte nobis nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*. Longè [i] ab his omnibus benignissima est Divinitatis natura: liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita ut propter fiduciam peccatorum (sed pœnitentiarum) ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare. Sic enim ex toto indulget, & tam liberaliter omnem donat injuriam, ut iam non damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minùs diligit imputando.

§. VII.

Et ne nos inducas in tentationem. Ne fortè [k] in eadem peccata recidamus post acceptam veniam peccatorum, orandus à nobis est idem ipse Deus, *ne nos inducat in tentationem*. Si enim [l] essemus in domo illa non manufacta, æterna in cælis, vbi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus malignissimis & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo: qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos: & ita te repentè turbantes, ut vix prænoscere valeas, vnde venias, aut quò vadas. Vigilate proinde [m] & orate, ut non intretis in tentationem, quoniam undique circumdati estis tentationibus. Unde & legistis, quia tentatio est vita hominis super terram. Sed qui sumus nos

(n)

h Ser. 1. in Dom. 1. post oct. Epiph. n. 4. i Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. n. 4. K Serm. 6. in Quadragesimum. 5. l Ser. 3. in Vig. nat. Dom. n. 5. m Ser. 9. super Psal. 90. n. 1.

(n) aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus. Hoc erat certè quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere satagebat: ut videntes defectum nostrum, & quòd non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, Fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium. Nam (o) cùm Dominus ita præcipiat: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*: liquet quòd absque duplici hoc exercitio fidelium non potest esse secunda Civitas, non Sponsa, non Oves. Horum differentiam quæris? Unum sunt. Civitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oves propter mansuetudinem. Denique (p) quia spirituum diversa sunt genera, necessaria est nobis eorum discretio, præsertim cùm ab Apostolo Joanne didicerimus, non omni spiritui esse credendum. Videri enim potest minùs eruditis, & qui parùm exercitatos habent sensus, omnem cogitationem non alterius quàm ipsius humani spiritus esse sermonem: quod non ita esse certa fidei veritas probat, & divinarum testimonia scripturarum. *Audiam*, (inquit Propheta David) non quid ego loquar, sed *quid loquatur in me Dominus Deus*. Et alius Propheta: *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me, &c.* Et in Psalmo didicimus fieri *immisiones* etiam per *Angelos malos*. Unde & timet Apostolus, ne sicut serpens decepit Evam astutiâ suâ, sic & discipulorum, quibus loquitur, corda decipiantur, ab eo utique cujus ipse Paulus astutiâ non ignorat. Esse tamen

Spiri-

n Ser. 5. in Quadrage. n. 4. o Ser. 16. in Cant. n. 8. p Ser. 23. in s. di. n. 2.

Spiritum carnis non bonū manifestè idem Apostolus indicat, ubi *inflatos spiritu carnis suæ* quosdam esse testatur. Et esse etiam *spiritum hujus mundi* declarat, ubi gloriatur in Domino pro se pariter & pro discipulis suis, non quòd eam acceperint; *sed spiritum qui à Deo est, ut sciamus* (inquit) *quæ à Deo donata sunt nobis*. Sunt autem (q) hi duo satellites maligni illius principis tenebrarum: ut dominetur spiritus nequitiae spiritui carnis, & spiritui hujus mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur, ne credamus ei, quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed (quod gravius est) animarum. Et quoniam spiritualis omnium natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos: quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quoties ergo importunè (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsatur, verbi gratià, cum de potu, de cibo, de somno, cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio, certum sit nobis *spiritum carnis* esse qui loquitur: & tanquam adversarium repellamus eum, dicentes: *Vade retro satana, quonia non sapis ea quæ Dei sunt*: sed magis sapientia tua inimica est Deo: Cùm autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantia & arrogantia, cæterisque similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris, *spiritus mundi* est qui loquitur, longè perniciosior hostis, & majori sollicitudine repellendus. Interdum verò satellitibus istis terga vertentibus,

prin-

q *Ibid.*n.3.

princeps ipse tenebrarum habens iram magnam tanquam leo rugiens insurgit aduersus nos (cùm videlicet non ad voluptatem carnis aut sæculi vanitatem, sed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur) importunè ingerendo, si quid minùs amicabiliter minusuè discretè factum videtur aut dictum: si qua denique aut in signo, aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio, materia suspitionis. Huic ergo cogitationi non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea quàm ab ipsa perditione cavendum. Verùm (r) quis ita vigilet diligens observator motionum internarum suarum, siue in se, siue & ex se factarum, ut liquidò ad quæque illicita sensu cordis sui discernat morbum mentis, & morsum serpentis? Ego nulli hoc mortalium possibile puto, nisi qui illuminatus à Spiritu Sancto speciale accepit donum, quod Apostolus inter cætera charismata quæ enumerat, nominat *discretionem spirituum*. Quantumlibet enim quis (secundùm Salamonem) omnia custodia fervet cor suum, & omnia quæ intra se moventur, vigilantissima intentione observet, etiamsi diuturnum sortè in his habuerit exercitium, & frequens experimentum, non poterit tamen ad purum in se dignoscere discernerevè abinvicem malum innatum, & malum seminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert nostra scire unde inest nobis malum, dummodò inesse sciamus: vigilandum potiùs & orandum undecunque sit, ne consentiamus. Deniq; orat Propheta contra utrumque malum, dicens: *Ab occultis meis munda me Domine?*

mine, & ab alienis parce servo tuo. Et ego non possum tradere vobis quod non accepi. Non autem accepi fateor unde assignem certam notionem inter partum cordis, & seminarium hostis. Quippè utrumque malum, utrumque à malo: utrumque in corde, sed non trumque de corde. Hoc totum certum mihi in me, & si incertum quid cordi, quid hosti tribuam? Itaque (s) si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari: pervigili circumspectione opus est, & oratione, ne inducamur in eam: vnde est illud in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem.*

§. V I I I.

Sed libera nos à malo. Malum voluptas corporis (t) bonum verò afflictio est. Siquidem & hanc elegit, & illam reprobavit puer sapiens, Verbum infans. Vera (u) animæ vita Deus est: & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quod non est aliud quàm peccatum. Hoc utique malum est (x) unde dicitur: *Declina à malo, & fac bonum.* Hoc malum quod suâ quidem animâ animam primam privat, quod seperat inter te & Deum: ut eo regnante, tanquam corpus sine animâ, sic sit anima sine Deo planè mortua in semetipsa, instar unius eorum, quos tanquam sine Deo in hoc sæculo fuisse Apostolus memorabat. Quia igitur (y) mandatum accepimus, ut declinantes à malo, faciamus quod bonum est, vide quemadmodùm Spiritus sanctus in utroque adjuvat infirmitatem nostram. Nam divi-
siones

s Ser. 5. sup. Psal. 90. n. 1. t ser. 3. in nat. Domini n. 2. u ser. 10. super Psal. 90. n. 4. x Ibid. n. 2. y serm. 1. in die Pen. n. 3.

siones gratiatum sunt, idem autem Spiritus. Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Initium enim revertendi ad Deum, pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster, sed Dei: idquè & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si postmodùm fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi Spiritum, qui suum arguit & diiudicat, non dubitet advenisse. Habes hoc & in Evangelio, ubi cùm loqueretur Christus de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato*. Sed (z) quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia? Neceffe ut etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducialiter postules nihil hæsitans. Visne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus Sancti? Vtique dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu non invenies. Denique ipse est, *in quo clamamas: Abba Pater*. *Ipse qui postulat pro sanctis, gemitibus inenarrabilibus*. Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum ipso Patre. Advocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat ut postulemus: & sicut nos erigit piâ quadam fiducia, ita Deum inclinât ad nos magis piâ miseri-

cor-

nis, sed virtutem dedit Dominus Rex virtutum, ut sub me esset appetitus meus, & ei quam sentiebam concupiscentiæ minimè consentirem. Sed & à quibusdam tam longè me fecit miseratio tua Domine, ut penitus abominer ea, & nè nulla quidem eorum me tentatio molestaret. *Qui habitat (c) in adjutorio Altissimi (ait Propheta) dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.* Dicet in gratiarum actione: Confitemini Domino misericordiæ ejus super duplici adjutorio ejus. Omnis enim qui adhuc in adjutorio habitat, non in regno, & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit. Fugere, inquam, dum in hoc corpore sumus, à facie tentationis persequentis oportet. Quod si minùs celeriter fugimus, aliquando (ut affolet) impellimur & evertimur, sed Dominus suscipit nos. Ipse itaque *refugium* est, ut venientem cum stercoreibus boum pigrorum lapidatorem impigri fugiamus, & evadere possimus sædam lapidationem. Ipse quoque *susceptor* est, ut etiam cum ceciderimus non collidamur, quoniam supponit manum suam. Cum ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium. Quod si fortè præoccupaverit nos, cum tardiùs quàm oporteat ad eum confugimus, solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur: sed alii colliduntur, alii non, quia Deus supponit manum suam. Denique præmonitos vos esse volo (d) neminem super terram absque tentatione victurum, ut cui fortè tollitur aliqua,

R

alte-

c Ser. 2. super Psal. 90. n. 1. d Ser. 5. sup. Psal. 90. n. 3.

alteram securus expectet : aut fortè non securus , sed pavidus magis , & sic petat ab ea liberari , ut nunquam sibi in corpore mortis hujus libertatem perfectam seu requiem audeat polliceri . Qua in re consideranda est nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis dispensatio , ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutiùs occupari , ne fortè periculosiores occurrant : ab aliquibus verò citò liberet , ut possimus in aliis , quas nobis utiliores fore prævidet , exerceri . Cæterùm (e) orandus à nobis est Deus , *ne nos inducat in in tentationem* : sed magis educat nos , & liberet à malo .

CAPUT VIII.

De laboribus & fatigationibus Christi , quos pertulit in prædicando , & in discurrendo per civitates & castella Judæorum .

Spiritus Domini super me , eò quòd unxerit Dominus me : ad annunciandum mansuetis misit me , ut mederer contritis corde , & prædicarem captivis indulgentiam , & claudis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino . *Esa. 61.*

1. *Ostenditur quantos labores pertulit Christus in prædicando & evangelizando Judæis ingratis .*
2. *Afferuntur doctrinæ Christi , spectantes ad commendationem septem virtutum contra totidem vitia .*
3. *Ostenditur septem beatitudines esse , quas Christus prædicavit in monte contra totidem peccata ,*
quæ

^e Ser. 6. in *Quadrage.* num. 5.

quæ sunt commissa in Cælo pariter & in paradiso: ut eodem ordine quo præcessit culpa, subsequatur etiam culpæ medicina.

§. I.

Passionem Christi (a) non illum diem solum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longius immoremur, quam assiduus fuerit in labore, in sudore vultus sui, cum circumiret vicos & castella evangelizans, & curans undique: & quam crebro famem pertulit & sitim ille panis vivus, ille fons aquæ salientis in vitam æternam. Unde (b) sponsa inquit: Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles. Sponsum Christum loquitur: qui profectò tunc in montibus saliit, cum missus à Patre ad evangelizandum pauperibus, Angelorum fungi non est dedignatus officio, factus magni consilii Angelus, qui Dominus erat. Per se descendit in terras, qui alios delegare solebat: per se notum fecit Dominus salutare suum, per se in conspectu Gentium revelavit justitiam suam. Qui mente sanè puriori (c) per se ipsos apprehendere sublimiora sufficiunt quam per nos proferantur, non solum non prohibeo, sed & multum congratulor, dum & ipsi nos patientur simplicioribus ministrare. Quis dabit mihi ut omnes prophetent? Utinam mihi necesse non esset in his occupari. Utinam aut alteri cura incumberet ista, aut

R 2 - - - - - certè

a *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 22.* b *Ser. 54. in Cant. nu. 1.*
c *Ser. 22. in Cant. n. 3.*

certè (quod mallet) nemo in vobis esset qui eâ indigeret, essentquè omnes docibiles Dei, & ego possem vacare & videre quoniam sponsus est Deus. Nunc verò quem minimè interim non dico intueri, sed ne inquirere quidem licet (quod sine lachrymis non loquor) Regem in decore suo sedentem super Cherubim, super solium excelsum & elevatum, in ea forma quâ æqualis Patri in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus est, in qua & semper desiderant Angeli eum prospicere, Deum apud Deum: ipsum saltem hominem homo hominibus loquor secundùm eam formam, in qua ut se manifestum nimia sua dignatione & dilectione præberet, minoratus ab Angelis, in Sole posuit tabernaculum suum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Suavem magis quàm sublimem, & unctum non altum loquor: qualem denique Spiritus Domini unxit, & misit evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, prædicare captivis indulgentiam & clausis aperitionem, prædicare annum placabilem Domino. Prædicantem proinde Dominum Jesum (d) de Civitatibus & Castellis populi sequebantur, quorum salvabat animas, sanabat corpora: & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis, & facies ejus decora, sicut scriptum est: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*. Talis est quem & nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed & ipsi quoque Angeli Sancti desiderant prospicere. Beati (e) qui audierunt loquentem in carne Sapientiam: beati qui Verbi Dei

ver-

d Ser. 1. de omn. sanct. n. 4. e Ibid. n. 7.

verba, quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Verumtamen quod audierunt illi, adhuc reservatur nobis: quia & nos audire possumus, quamvis non ab ipso. Intellectus noster (f) turbatus quidem erat ne dicam cæcatus, affectus inquinatus erat, & multum inquinatus: sed Christus intellectum illuminat, Spiritus Sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immeritò intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit: ut semper cogitemus, & nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatium intelligentiæ campos dereliquit, & torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta Prophetam non possit transuadari. Venit quidem (g) ad oves quæ perierant domus Israel, divini verbi lampadem extollens palàm ad illuminationem orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuncians obtemperantibus verbo, sermonem sequentibus signis confirmavit: virtutem Divinitatis in cunctis ostendit, malè habentibus: & omnes omnibus Gentibus gratiã exhibens, quæ saluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceret. Sed obscuratum est insipiens cor eorum, & projecerunt sermones Domini retrorsum: neque attenderunt ad omnia mirabilia ipsius, quæ operatus est in eis, exceptis perpauca nobilibus athleticis, quos inter infirma mundi elegit & abjecta, ut per ipsos fortia & alta mirificè expugnaret. Cæterum tibi ô homo (h) Christus Dominus effurivit, tibi sitivit, & lassitudinem sustinuit: propter te omnes

R 3

passio^d

f Ser. 3. in Ascens. Dom. n. 2. g Ser. de Pass. Dom. nu. 6. h Tract. de 3. præcep. myst. cap. 6. n. 2.

passiones tuas, quas oportuit & decuit, accepit. Nihil tuorum defectuum præter peccatum à se exclusit. Propter te multipliciter operatus est salutem in medio terræ, mortuos suscitando, cæcos illuminando, surdis auditum, claudis gressum, leprosis munditiam restituendo, & innumeras alias virtutes perficiendo: per oppida & castella, per vicos & plateas cucurrit evangelizando; verbis & exemplis, signis & prodigiis vitæ viam demonstrando: ut omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset tua doctrina. Hic est quoque (i) qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo: qui stetit in loco campestri ut doceret turbas: toto tempore quo in terris visus est & cum hominibus conversatus, in laboribus multis stans & operans salutem in medio terræ. Denique ipsius hominis sæculiquè Auctor (k) quamdiù in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, numquid stetit? Et quidem teste Scriptura: Pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remisè, non pigrè, non lento passu: sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultavit ut gigas ad currendam viam. Quando enim ille resedit in mundo? [l] quando substitit? quando reclinavit caput? Exultavit ut gigas ad currendam viam. Benefaciendo pertransiit, quippè nec nidum, nec foveam, nec locum habens in diversario, donec opere tandem quod susceperat consummato, sedendi præceptum mereret accipere, & diceret Dominus Domino meo:

i Ser. 2. in Ascens. Dom. n. 1. k Epist. 254. num. 1. l Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 13. n. 39.

meo: Sede à dextris meis. Sed hoc quoque [m] necessariè omninò provisum est, quòd dilata morte homo inter homines dignatus est aliquatenùs conversari, quatenùs crebris & ueris locutionibus ad invisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo sobriè & piè conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo jam defuit nobis ad salutem? Sedebas ô homo (n) in tenebrosis & in umbra mortis per ignorantiam veritatis, sedebas vinc-tus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem, non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primò quidem veritatis Doctor depulit umbram ignorantiae tuæ, luce sapientiae suæ. Per justitiam deinde, quæ ex fide est, solvit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Addidit quoque sanctè inter peccatores vivere, & sic tradere formam vitæ tanquam viæ quâ redires ad patriam cælestem.

§. I I.

Porrò Filius Dei apparvit (o) ut nos adiuuaret & erudiret: quod potest, quia est Virtus Patris & Sapientia. Virtus adjuvat, Sapientia erudit & informat. Infirmi-tati auxilium est necessarium: cæcitas eruditione indiget & doctrinâ. Beati profec-tiò oculi (p) quia videbant Dominum majestatis in carne præsentem, Auctorem universitatis inter homines conversantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, dæ-

R 4 mo-

m *Tract. de exhort. ad mil. templi. cap. 11. nu. 25. n Ser. 22. in Cant. n. 7. o Ser. 54. dit. n. 1. p Ser. 5. in Ascens. Dom. n. 11.*

monii imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem, mitem & humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem, Agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures, quæ verba vitæ ab ipsius Incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui est in sinu Patri, & nota faciebat quæcunque audisset à Patre: ut fluentia doctrinæ cælestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent, universis postmodum Gentibus propinanda, imò eructanda potarent. Folia vitis (q) penè omnium arborum foliis præstantiora sunt. Quid autem in foliis, nisi veræ Vitæ nostræ benignissimi Jesu verba commendantur? Præeminet in foliis vitis: præeminet in verbis Dominus Jesus. Senferant hoc Judæorum ministri, qui missi ut adducerent Jesum, reversi & culpati dixerunt: *Nunquam locutus fuit homo sic*. Non accusaverunt defectum trunci, pulchritudinem foliorum videntes: imò per folia aliquid aliud quàm quod videbatur, in corpore debili latere senserunt. Senferat etiam Petrus, qui multis à Domino Jesu recedentibus, & interrogatis ab ipso duodecim Apostolis: *Numquid & vos vultis abire?* Respondit: *Domine, quò ibimus? Verba vitæ aeternæ habes: & nos ad quem ibimus?* absit. Ac si diceret: Folia pulcherrima habes, quæ nos ab omni æstu prætegant. Da nobis ergo alium pulchriorem, idest meliorem te, & ibimus ad illum abs te. Quem quia dare non potes, qui omnia potes, ad quem ibimus relinquentes te? Senferat horum foliorum, idest verborum benigni Jesu virtutem & illa

mu-

9 Tract. de vite myst. cap. 6. n. 28.

mulier, quæ loquente ipso ad turbas, in foliorum pulchritudine singulari læta non cogitabat nec tacitè quidem, sed extollens vocem dixit: *Beatus venter qui te portavit: & ubera quæ suxisti*. Verè beata imò beatissima terra quæ talem tulerat Vitem, Virgo Maria Mater Jesu. Verè & tu beata, quæ foliorum pulchritudine considerata inter tot calumniantium insidias, sola veritati testimonium audacter præbuiſti. Viderunt virorem foliorum veræ Vitis Petrus & Joannes, & Matthæus, qui ad unam vocantis vocem illi retia, iste telonium reliquerunt. Quis virtutem verborum benigni Jesu enumerare sufficiat? Quæ virtus est verborum, quæ verbis illius non commedetur? Nulla profectò. Vis autem audire verba breviter, (r) quæ tanquam folia refrigerium nobis ab æstu præsent vitiorum? *Primò* quidem ad commendationem *humilitatis* contra ambitionem dicit: *Qui voluerit inter vos major esse, sit vester minister*. Et: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*. Et item: *Qui se humiliat, exaltabitur*. *Secundò* ad commendationem *mansuetudinis* contra iram ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Et item: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram*. *Tertiò* ad commendationem *charitatis* contra invidiam ait: *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui solem juum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*. *Quartò* ad commendationem *alacritatis* ad exercitia

spi-

lia, appetenda referantur. His & aliis verbis plurimis, tanquam quorundam foliorum ambrâ, per Vitam nostram benignum Jesum ab æstu vitiorum refrigeramur, & in virtutum temperie refovemur. Verba itaque Domini Jesu [t] is qui illum ex toto corde diligere novit, quàm sint dulcia, sapit: nec illis jam claudere valebit auditum, qui in armario pectoris sui Christum Dominum vitæ perentis, amplexibus strictis, totius paradisi pulchritudinis continet jucunditatem & gaudium. Illa sunt pascua vitæ, refectio animæ, dulcedinis pocula, dilectorum Christi lætificantia corda, cariora diligentibus Christum super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum: negligentibus verò & malè viventibus tãquam bilis amara sunt odiosa, & non modicùm fastidiosa per omnem modum, Illis pœnam æternam, diligentibus verò Christum præparant perpetuam gloriam. Illis supplicium, istis præmium in vita beata. Illis mortem, istis vitam. Illis infernum, istis societatem Angelorum. Quicumque sunt illi, lugeant & doleant, aurem cordis aperiant, verbum Dei suscipiant, & quod præcipit faciant. In illo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ, divitiæ & gloriæ multæ. Sunt etiam (u)deliciæ Angelorum. Gustate proinde, & videte quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic saporì, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari.

§. III.

Denique (x) ne hoc quidem ociosum putemus, quòd Jesus ascendit in montem; ni mirum quod tanto tēpore antè prædictum est, tanquam à longè clamāte Esaia Propheta : *Super montem excelsum ascende tu , qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem .* In qua ascensione , si vos melius non habetis , ego illud intelligendum puto , quod in initio Actuum Apostolorum Beatus Lucas meminit, dicens : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ò Theophile , quæ capit Jesus facere & docere .* Legimus quoque in Evangelio (y) quoniam *videns turbas Jesus ascendit in montem : & cum sedisset , accesserunt ad eum Discipuli ejus . Et aperiens os suum , docebat eos .* Aperuit nunc os suum , qui Prophetarum priùs apererat ora . Hinc est quod legitur in Psalmo , Propheta dicente : *Domine labia mea aperies , & os meum annunciabit laudem tuam .* Nunc autem qui multifariè multisquè modis olim locutus fuerat in Prophetis , demùm suo ipsius ore locutus est , tanquam si diceret : En qui loquabar ecce adsum. Beati qui audierunt loquentem in carne Sapientiam : beati qui Verbi Dei verba, quæ ab ipsius ore processerunt , audierunt . Verumtamen quod audierunt Discipuli , adhuc reservatur nobis , quia & nos audire possumus , quamvis non ab ipso . Aperiens os suum docebat eos , dicens : *Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est regnum calorum .* Eodem sanè ordine (z) quo præcessit culpa , subsecuta est etiam culpæ medicina *Primum peccatum est factum in cælo per superbiam prævaricato-*

x *Ibidem* n.5. y *Ibidem* num.5. & 7. z *Ser.*66.*inter diver.* n.1.

catoris Angeli, qui dixit in corde suo: *In Cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sededo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* In seipso tumuit, & de sorte beatorum Spirituum ejectus Cælorum regnum amisit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.* Et verè, Fratres (a) si miserimus ille è cælo dejectus est, quoniam affectavit celsitudinē, altitudinem concupiuit, sublimitatem præsumpsit, nonne consequens est beatos esse, qui spontè in paupertatis humilitatem sese deponunt: & juxta Domini promissionem ipsorum est regnū cælorū, quod perdidit iste? Et attende quàm sapienter ordinaverit Sapientia contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertiùs dicat: Vis obtinere cælum quod perdit superbiens Angelus, qui confusus est in virtute sua & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatē amplectere, & tuum erit. *Secundum peccatum* (b) commissum est per inobedientiam mulieris in Paraiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus ejus non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Noluit (c) anima regi à Deo, non queat regere corpus. Si non paret Superiori, inferiori cui imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam, inveniat anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventus est homo divinæ legis, inveniat ipse aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & capti-

a Ser. I. de omn. S. in Et. n. 8. b Ser. 66. ins. div. n. 1. c Tract. de exhor ad mil. templi cap. 11. n. 19.

ptivantem se in legem peccati. Contra hoc peccatum (d) est dictum: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Hanc ego terrā (e) corpus nostrum intelligo: Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat supra membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, & Superiori suo subjecta: quoniam tale inveniet inferius suū, qualem se exhibuerit Superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minùs quàm oporteat superioribus potestatibus esse subjectam. Mansuescat ipsa, & humilietur sub ponenti manu Dei Altissimi, subjecta sit Deo, & his pariter quibus vice ejus habet obedire Prælati: & continud corpus suum inveniet obediens & subjectum. Veritas enim est quæ loquitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Et vide si non adversùs secundi peccati vulnus, secunda processerit medicina. Horum denique (f) duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Tertium peccatum fuit, quòd ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debit quidem illa peccatum suum deslere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Contra hoc peccatum est istud remedium; *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Concordat autem huic sententiæ (g) etiam illud quod in Salomone legisti: *Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convinii*. Propterea beata esses Eva, si
post

d Ser. 66. int. diu. n. 1. e Ser. 1. de omn. Sanct. n. 9. f Ser. 66. inter diu. n. 1. g Ser. 1. de omn. sanct. n. 10.

post culpam consolationem quæreres lachrymarum, & conversa ad pænitentiam veniam citiùs obtineres. Nunc autem miserrimam quælisti consolationem de simili casu viri tui, & veneno pessimo, nequissimo videlicet vitio totam sic infecisti posteritatem tuam, ut usque hodie perditionem alterius, alter suam reputet consolationem. Misera prorsùs Euxæ consolatio, & eorum qui miseriam hanc imitantur: sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Quartum peccatum* commisit Adam (h) qui consensit. Adam enim, sicut ait Apostolus, non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit Divinæ. Unde & à Domino ei dictum est: *Pro eo quòd obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo.* Justum quippè erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis verò ambigat plus eum debere Conditori quàm vxori? Siquidem uxori erat astrictus tantùm per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum erga Dei præceptum, quàm unum tantùm erga conjugis affectum. Contra hoc quartum peccatum adhibitum est remedium: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* *Quintum peccatum* æquè commisit Adam, qui propriam culpam retorlit in uxorem cum ait: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Primò quidem crudelis

in

in se, qui peccatum excusavit: *Secundo* in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cujus amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sextum peccatum* fecit Eva (i) quæ cum increparetur à Domino cur hoc fecisset, respondit ei: *Serpens decepit me, & comedi*. Sic declinavit & ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, refundens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cum nil obfuisse suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & fortè præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Contra quod peccatum dictum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Miseri proinde Adam & Eva, (k) qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, & è facie Domini eiiciuntur. *Septimum peccatum* (l) factum est extra paradysum, quando Cain consurrexit adversus Abel fratrem suum, & interfecit eum. Ex eo jam tempore inveteratum est, ut mali insurgant in bonos, & opprimant eos. Hujus peccati remedium est illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerant eos justii, audientes consolationem quæ sequitur & dicit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum*. Ecce quàm necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subjiceret spiritui, hominem pacificaret sibi

à *Ibidem*. 3. k *ser. 1. de omn. Sanct. num. 13. l ser. 66. int. div. 3.*

sibi, Deum reconciliaret homini. Denique (m) sicut ab initio conversationis, ita ab initio prædicationis suæ Christus proposuit nobis pænitentiam: *Agite, inquit, pænitentiam, quoniam appropinquavit regnum calorum*. Sic ergo (n) medicus animarum Dominus Christus (cuius tota dispensatio quam exhibuit in carne, medicina salutis est) ante Passionem suam septem dedit purgationes: evangelizando pauperibus (o) medendo contritis corde, prædicando captivis indulgentiam & clausis apertionem, prædicando annum placabilem Domino.

C A P U T. I X.

De lachrymis Christi, quas sæpè fudit compatiendo misero generi humano.

Christus in diebus carnis suæ, preces supplicationesquè ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia, *Hebr. 5.*

1. *Ostenditur, quanto Christus abundavit compassionis affectu erga salutem generis humani, & quanta infirmitate exterminatum fuit corpus ejus, ob crebras compassionem.*
2. *Agitur Christum ter flevisse, scilicet in nativitate sua, super Lazarum mortuum, & super Civitatem Jerusalem ruituram.*
3. *Proponuntur nobis exempla eorum, qui ex affectu compassionis plangebant miseras hominum:*

S ut

m ser. de verb. sap. n. 8. tom. 6. pag. 771. n ser. 3. de Resur. Dom. n. 1. o serm. 22. in Cant. n. 3.

ut & nos pariter tam nostra quàm proximi peccata diluamus lacrymis, quarum magna est virtus, & copiosa remuneratio apud Deum.

S. I.

OMnia (a) quæcunque passus est Dominus Jesus in diebus carnis suæ, ad ruborem utique passionis pertinent rosæ passionis. Primò quidem per affectum compassionis (b); deinde per defectum passionis. Et quia verè susceperat affectiones nostras, videamus quomodò affici solent homines circa eos quos amant, ut per notum ad ignotum veniamus. Quis nesciat hominem circa amicum suum periclitantem sæpè tanto affectu & dolore moveri, ut corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc præstat homo homini; quantum Deum hominem Jesum putas homini præstitisse? Si tu pro uno homine per compassionem periculum corporale incurris; quid putas Dominum Jesum pro omnibus hominibus tolerasse? Omnes enim sui erant, & omnes mortaliter infirmi erant. Certè novimus & Paulum Apostolum de se dixisse: *Quis infirmatur, & ego non infirmior?* Et verè eousque infirmabatur, ut sicut ipse de se fatetur, præsentia ejus esset despicibilis, & sicut ait: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Mundus quippè ei crucifixus erat, qui omnia quæ mundi erant, tanquam mortua reputabat. Ipse verò mundo etiam crucifixus erat: quia ipsum propter crebras compassionum simul & passionum infirmitates corpore extenuatum & exterminatum

eum

a *Tract. de vite myst. cap. 35.* b *Ibid. cap. 5. num. 20.*

eum mundus abhorrebat, nihil in eo inveniens quod pertineret ad ipsum. Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, cum esset conseruus & frater cum conseruis & fratribus: quid benignus Jesus Dominus & Pater pro creatura & filiis? Ardebat Paulus quasi esset radio Solis accensus: quantum ipsum Solem putas exaruisse? Si usque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accenditur qui scintillam charitatis habuit: quid sentiendum putas de ipsa Charitate, de cujus plenitudine omnes acceperunt? Nec aliquo modo dubitandum [c] quin infirmitatem & exterminationem Corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere: & præ cæteris tantò magis fuerit confectus, quantò major in eo fuit compassionis affectus: qui non solum facta, sed etiam cogitationes inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini Jesu sic dicentis: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Videamus quid sibi hoc velit, quòd Dominus se gallinæ magis quàm alteri animali voluit comparare? Quia (ut à Sanctis Patribus tenetur) ideo factum est, ut exprimat incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo, & omnibus membris infirma, & usque ad supremum defectum perveniens. Si ergo intantum pullis suis gallina animal irrationale compatitur: quantò putas optimum Jesum humano generi fuisse compassum? Ad quantam

putas eum debilitatem & infirmitatem pervenisse? Quantâ ipsum putas macie confectum esse, qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Unde Esaias ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit.* Nunc ad ipsam vitem [d] animum convertamus, ut per quasdam similitudines illius, nostram Vitam Jesum magis propriè & propiùs contemplemur. Totum corpus ipsius vitis aliis arboribus & arbutis deformius invenitur, & quasi penitùs inutile videtur & abjectum, nec ipso aspectu amabile, aut visui accommodatum. Quid hîc dicemus? Corpus Vitis nostræ Domini Jesu significare deberet: nisi quòd plurimùm discordare videtur hujus deformitas, & forma illius de quo scriptum est: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Sunt autem nonnulli, qui hæc verba non ad exteriorem sed interiorem hominem retorqueant: idest, ad animam sive ad Divinitatem, in quibus nimirùm non solùm filios hominum, sed etiam filios Dei, idest ipsos Angelicos Spiritus præcallebat. Tantò enim melior Angelis effectus est, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Ne ergo nos huic sententiæ contradicere videamur, ad manus auctoritates habemus, licet plurimos sciamus qui nondum omninò spirituales effecti aliud sentiant, fingentes sibi quandam spiritualem pulchritudinem in Corpore Domini: etsi quando audiant Dominum ipsum despiciabilem formâ fuisse, non patienter sustinent: etsi linguâ taceant, rancore & motu animi contradicunt, non attendentes quod scriptum est: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.* Esajam quo-

d *Ibidem* n. 19.

quoque non audiunt, vel inviti audiunt dicentem in eum: *Ecce vidimus eum, & non erat illi species neque decor: aspectus ejus non erat in eo, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus. Unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.* Ecce qualis describitur à Propheta. Quid apertius? Et verè talis erat in oculis infidelium, qui tantùm carnem noverunt intueri. Quis itaque infirmatur (e) cum quo non infirmetur? Quis scandalizatur, & non uritur? Induit se compassionis nævum, ut morbum in altero passionis levet vel sanet. Nigrescit candore zelo, lucro pulchritudinis. Multos candidos facit unius denigratio, non cùm tingitur culpâ, sed cùm afficitur curâ. Agnosco pellem Salomonis, imò ipsum in pelle foris nigra Salamonem amplector. Habet & Salamon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus. Alioquin omnis gloria ejus filix Regis ab intus. Intus Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentix puritas. Sed tetigit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ. Agnosco tunicas illas pelliceas Protoplastorum peccantium habitum. Denique semetipsum denigravit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

Sed ad passionis (f) jam defectus veniamus. Passionem autem non illum diem unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Flevit enim (g) & contristatus est propter me gaudium Angelorum, Dominus Jesus. *Qui* (ut ait Apostolus) *in diebus carnis suæ offerens vota & supplicationes ad eum, qui possit salvum facere eum à morte, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia.* Jesus quippe legitur ter flevisse (h) in ipso ortu genus humanum, processu temporis Lazarum, ad ultimum super Hierusalem futurum casum. *Primo* quidem plorat Christus (i) sed non sicut cæteri, aut certè non quate cæteri solent. In alijs sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave quod est super omnes filios Adæ, Christus filiorum Adæ peccata deplorat: & certè pro quibus nunc lachrymas fundit, postea fundet & Sanguinem. Audis cor non carneum (k) sed lapideum, illum magnum Jesum & optimum in diebus carnis suæ (quam pro me redimendo assumpserat) lachrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes? O cor durum, audis commoveri pro me ad lachrymas illum, qui in æternum stat & non commovebitur, nec adhuc tu ad lachrymas commoveris? Si tu cor sicut terra sine aqua exarvisses, utique vel
levi-

f *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 22. & Ibidem cap. 33. n. 137. in Lib. sentent. n. 36. pag. 1003. i ser. 3. in natio. Dom. n. 3. k Tract. de vite. myst. cap. 33. n. 137.*

leviter posses emolliri solis persasum lachrymis lachrymantis Jesu. Quid est (l) cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad Divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino præterit, præsentium nihil perit, futurorum nulla nisi fortè ad ulciscendum prospectio seu præparatio est. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. O duritiam cordis mei? [m] Utinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *Auferam*, inquit, *à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Secundo [n] Christus ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, insuper & flevit cum flentibus. *Et lachrymatus est Jesus*, inquit Joannes. Fuerunt lachrymæ illæ testes profectò naturæ, non indices diffidentiae. Denique & prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præjudicium dolentis affectum. Dominus utique Jesus (o) per compassionem flevit super Lazarum. Quid (p) dulcius lachrymis charitatis? Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex

l Lib. 7. de considerat. ad Eugen. cap. 2. n. 3. m Ser. 3. in Nat. Dom. n. 2. n Ser. 26. in Cant. n. 16. o Lib. de mod. ben. viven. cap. 10. n. 30. p Ser. 58. in Cant. n. 11.

mærore. Flet ex desiderio . Flet cum fletibus. Numquid (q) Paulus Apostolus præcipit flere rerum amissionem , intermissionem voluptatum , filiorum mortes , morborum instantiam, gravitatem inopiæ, potentiam fortiorum? Absit . Plorandi enim sunt qui taliter plorant . Religiosa enim tristitia aut alienum luget peccatum , aut proprium . Dico quoque Lazarum [r] quem quatrduanum jam jamquæ factentem à mortuis excitat vox Virtutis , ut videatur satis congruè formam gerere pænitentis . Adhuc autem (s) & ad monumentum properat Vita nostra , ut quatrduanum reducat à monumento : & Lazarum quærit , ut quæretur & inveniatur à Lazaro . In hoc enim est charitas , non quasi nos dilexerimus Deum , sed quia ipse prior dilexit nos . Age igitur Domine , quære quem amas , ut & amantem facias & quærentem . Quære ubi posuerunt eum , jacet enim clausus , ligatus , oneratus . Jacet in ergastulo conscientiæ , tenetur vinculis disciplinæ , & tanquam lapide superposito premitur & opprimitur onere pænitentia : maxime quòd desit interim fortis ut mors dilectio , & charitas omnia sustinens : & in his omnibus jam fætet Domine , quatrduanus est enim . Credo jam multorum ingenia prævolant , ut intelligant quem velim dicere Lazarum . Eum sine dubio , qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem , ut videat abominationes multas & malas pravi & inscrutabilis cordis sui : & juxta Prophetam Jeremiam , *ingressus est in petram, absconditus fossa humò à facie furoris Domini* . Sed quid est (t) Domine jam fætet , qua-

q. Ser. de S. Maria Magd. n. 3. r Ser. 2. in Assumpt. B. M. iii. 7.
s Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 2. t Ibidem n. 3.

quatruiduanus est enim? Fortè enim factorem istum, & quatuor dies istos non continuè quivis intelligat. Ego *primam* arbitror timoris diem, quâ nimirum irradiante cordibus nostris peccato morimur, & quodammodò sepelimur in conscientiis nostris. *Secunda* dies agitur in labore certaminis: solet nempe inter primordia conversionis acriùs insurgere tentatio pravæ consuetudinis, & vix extingui possunt jacula ignita diaboli. *Tertia* nihilominus dies doloris etiam videtur esse, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ: & nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quòd hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur *quarta* dies pudoris, non dissimilis tribus, quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus hujusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exagerat universa: non sibi parcit durus iudex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio, & digna miseratione crudelitas, facilè sibi Divinam concilians gratiam, dum pro eo mens æmulatur etiam contra seipsam. Verumtamen *Lazare veni foras*, ne tanto factore diutiùs immoreris. Caro putrida putredini proxima est: & qui confunditur vehementiùs & tabescit, propè est ut desperet. Propterea *Lazare veni foras*. Abyssus abyssum invocat: abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Major illius bonitas, quàm iniquitas tua: & ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. *Lazare,*

zare, inquit, *veni foras*. Ac si manifestius dicat: Quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quomodo in cubiculo tuo gravi corde compungeris? Veni foras, procede, & respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est quod in Propheta Esaja legisti: *Infrænabo os tuum laudem meam, ne peareas*. Evidentiùs quoque Propheta David de seipso: *Ad meipsum*, inquit, *anima mea turbata est, propterea ero memor tui*. Tertio [u] Salvator videns civitatem Jerusalem, & prævidens ruituram, fleuit super eam. Dominus utique Jesus [x] per compassionem fleuit super Jerusalem, dicens: *Quia si cognovisses & tu*. Imitemur ergo eum [y] quem & super Lazarum, & super Civitatem flevisse legimus, risisse verò aut jocatum nusquam. Aquam tibi Salvator apponit [z] plorans super Lazarum, & super per civitatem Jerusalem. Hanc aquam habes, si rigas lachrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum dilvis maculas peccatorum.

§. I I I.

Licet autem [a] fleverit Dominus super Jerusalem, ex hoc jam omninò non flebit: sicut mortuus est, sed resurrexit ex mortuis non moritur: sicut fuit in lectulo, sed exurgens jam in lectulo non invenitur. Habet tamen etiam nunc ineffabiliter ampliore affectum & efficaciorum, quàm habeant qui lugent pro delinquentibus, aut pro fratribus ponunt animas. Meritò planxit David [b] super parricida filio,

u Ser. 36. in Cant. in 16. x Hb. de mod. ben. vi. v. cap. 10. num. 30.
 y Ser. 4. de Ad. pp. Dom. n. 7. z Ser. de S. Clem. n. 6. 2 Ser. 34. dicitur.
 n. 6. b Ser. 26. p. Caus. n. 16.

filio, cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Meritò planxit super Saül & super Jonatham, quibus æquè absorptis semel, emersio jam non sperabatur. Quanquam de Jonatha possit non immeritò hæere sententia. Benignus quoque Samuël super reprobo rege, & pius David super parricida filio satisfecerunt affectioni, & non ad injuriam fidei, non in superni suggillationem judicii. Samuël etiam [c] lugebat Saül qui se quærebat occidere, & ad ignem charitatis incalescente pectore liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos. Joseph quoque postquam universam Ægyptum post se fecit currere in odore unguentorum suorum, etiam suis venditoribus eandem demum fragrantiam propinavit. Equidem increpatoria verba vultu proferebat irato, sed erumpebant lachrymæ de pinguedine cordis, non iræ indices. sed gratiæ proditrices. Quid David mansuetius (d) qui illius mortem lugebat, qui suam semper sicierat? Quid benignius, quàm ut ejus molestè ferret decessum, cui succedebat in regnum? Sed & de morte parricidæ filii, quàm difficile consolationem admisit? Magnam profectò optimæ unctiois copiam præferebat talis affectio, ideo & securus orabat dicens: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*. Vera misericordia non judicat, (e) sed afficit: non nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio, ubi affectio trahit. Lugebat Samuël Saül, miserans non deliberans. Fundebat lachrymas David filio parricidæ, & si non

pro-

profuturans , pias tamen . Adhuc (f) . Samuëlem recolo , qui non semel , sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saül , cùm sciret illum longiùs ab oculis Divinitatis elongatum : non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irreperat , fundens lachrymas , etsi non profuturas , pias tamen . David parricidam filium continua deploratione plorabat , plorans in eo non carnis necessitatem , sed fidei destructionem . Cerne quomoddò Joseph totus hoc melle illitus erat . Veniunt fratres non jam ante fratrem , sed ante Dominum assistentes , conscii prodinis , homicidii rei , fratricidii succensores . Videt eos Joseph , & omnium injuriarum immemor , dulcissimis fletibus inundatur , & pietatis adeps qui intùs latitat , foras per oculos emanat . Fugit odium , nescit iram , tempus iracundiæ non reservat : rediens bonum pro malo , pro crudelitate dulcedinem lachrymarum . Penè quin oblitus sim Moysen adeo sacri liquoris huius røre perfusum , ut totus ex eo superfundatur & profluat . Peccat Israël , & Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori , sed dissimulat Dñus exaudire rogantem . Promittit pluriima Moyse Creator omnium , & ulcisciendi licentiam quærit à Moyse , qui Moysen fecit : *Dimitte me* (inquit) *ut irascatur furor meus contra eos , & faciam te in gentem magnam* . Respondit Moyses : *Si dimittis , dimitte : alioquin dele me de libro quem scripsisti* . O stupenda profectò dulcedo ! Et principatum respuit gentis alienæ , & de libro viventium deleri desiderat , nisi peccantibus dimittatur offensa . Et quia tibi , ô homo (g) Christus tentatus est , non sibi : propter te

om-

omnes passiones suas, quas oportuit & decuit, accepit: ut omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset tua doctrina. Proinde accipe (h) triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit: nimirum ut primò lugeas (i) propter peccata tua: deinde propter misérias hujus mundi, atque compassionem proximi: ad postremum verò propter dilectionem Dei ac cælestis præmii. Deprecare Deum cum omni devotione, ut det tibi veram mentis compunctionem, & cordis contritionem. Compunctio Unigenitum Christum Dei filium facit habere in se, sicut Dominus ipse ait: *Ego & Pater veniemus, apud eum qui me diligit mansionem faciemus*. Ubi lachrymæ abundant, ibi graves cogitationes non appropinquant: etsi aliquando appropinquant, ibi radices non habent. Lachrymæ apud Deum semper nobis dant fiduciam magnam. Denique (k) Angeli gaudent in conversione & pænitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lachrymæ pænitentium vinum est Angelorum, quòd in illis vitæ odor & sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiae, serenatae suavitas conscientiae. Audi quoque (l) exempla Sanctorum, qui per compunctionem & lachrymas apud Deum obtinuerunt veniam peccatorum suorum. Anna mater Samuëlis per compunctionem & lachrymas meruit habere filium, insuper obtinuit apud Deum prophetiæ donum. David per compunctionem & lachrymas obtinuit veniam perpetrati homicidii atque adulterii. Sic enim audivit per Prophetam: *NON*

1110-

h Ser. de S. Clem. n. 6. i Lib. de modo bene vivent. cap. 10. nu. 30.
k Ser. 30. in Cant. n. 3. l Lib. de modo bene vivent. cap. 10. num. 28.

morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum. Tobias per compunctionem & lachrymas meruit accipere curationem cæcitatæ, & consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphaël Angelus: *Gaudium tibi semper sit, Et adjecit; Forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris.* Etiam Maria Magdalena per compunctionem & lachrymas meruit à Domino audire: *Remittuntur tibi peccata tua.* Ideo autem exempla Sanctorum proposui tibi, ut lachrymæ per compunctionem suaves sint tibi. Bona compunctio (m) thesaurus est desiderabilis, & innarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Vir fortis non est minùs laudabilis in luctu, quàm in bello. Quia ergo post Baptismum inquinavimus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam nostram. Ubi lachrymæ fuerint, ibi accenditur spiritualis ignis, qui illuminat secreta mentis. Lachrymæ pænitentiam pro Baptismate reputantur apud Deum. Compunctio cordis, sanitas est animæ. Compunctio mentis, illuminatio est animæ: quia tunc anima illuminatur, quando ad lachrymas compungitur. Compunctio lachrymarum, remissio est peccatorum: quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lachrymis in memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum Sanctum reducit ad se: quia cum à Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua deplorat. Sed ô Domine (n) quomodò comperiemus quando hæc facis, & quod signum adventus tui? Numquid hujus consolationis & lætitiæ testes & nuncii sunt suspiria & lachrymæ? Si ita est,

nova

nova est antiphrasis ista, & significatio inusitata. Quæ enim conventio consolationis ad suspiria, laticræ ad lachrymas? Si tamen istæ dicendæ sunt lachrymæ, & non potius roris interioris desuper infusi superfluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut sicut in Baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur, & figuratur interior animæ ablutio: ita hîc è contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lachrymæ, per quas maculæ interiores purgantur: per quas peccatorum incendia extinguuntur! Beati qui legetis, quia ridebitis. In his lachrymis agnosce ô anima Sponsum tuum: amplectere desideratum. Nunc torrente te voluptatis inebria: fuge ab ubere consolationis ejus lac & mel. Hæc sunt miranda munuscula & solatia, quæ dedit tibi Sponsus tuus: gemtus scilicet & lachrymæ. Adducit tibi potum in his lachrymis in mensura. Hæ lachrymæ sînt tibi panes die ac nocte, panes utique confirmantes cor hominis, & dulciores super mel & fauum. O Domine Jesu! si adeo sunt dulces istæ lachrymæ, quæ ex memoria & desiderio tui excitantur, quàm dulce erit gaudium, quod ex manifesta tui visione capiatur! Si adeo dulce est flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te! Sed quid hujusmodi secreta colloquia proferimus in publicum? Cur ineffabiles & inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? Inexpertis talia non intelligunt, nisi ea expressiùs legant in libro experientiæ, quos ipsa docet unctio. Aliter autem litera exterior non prodest quidquam legenti. Modicum sapida est lectio exterioris literæ, nisi glossa & interiorum sensum sumat ex corde.

C A P U T X.

*De insidiis & conviciis, quæ Christus pertulit
in colloquendò ab ingratis Judæis.*

Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt: & qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. *Psal. 37.*

1. *Christus passus est insidias & dolos à Judæis ingratis, dum mulierem in adulterio deprehensam accusabant.* 2. *Dum tentabant Jesum super censu reddendo Cæsari.* 3. *Monemur ad imitandum patientiam & tolerantiam Christi, qui innumera opprobria & calumnias sustinuit pro salute nostra.*

§. I.

Passionem Christi (a) non illum diem unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martirium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longius immoremur. Tibi enim ô homo (b) tentatus est, non sibi: propter te opprobriis & contumeliis saturatus est: & propter te omnes passiones tuas, quas oportuit & decuit, accepit. Ille (c) cui famulatur omnis gloria cælorum, imò ipse qui solus vera gloria est, quasi abiicit gloriam. Servili circumdatus indu-

a *Traët. de vite myst. cap. 5. n. 22.* b *Traët. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 12.* c *Traët. de vite myst. cap. 2. n. 3.*

dumento sustinet ignominias, confusionibus operitur, ut te à confusionibus redimeret, & ad gloriam pristinam reuocaret. Ille cujus potenti nutui omnia inferna, terrestria, & supercælestia sunt subiecta, sic fit abjectus, ut reputaretur omnium virorum novissimus. Ipse qui natus est ex Virgine (d) imò factus ex muliere, sed benedicta in mulieribus, & nihilominus multis repletus est miseriis, appetitus insidiis, interogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, conviciis laceratus. Judæi enim (e) non immemores odii quo oderant Patrem, exercebant illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum*. Nec solùm ingrati (f) gratuitis beneficiis Christi extiterunt, sed contumeliis affecerunt eum, & fecerunt ei quæcunque voverunt. Christo enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? *Non est hic homo à Deo, in principe demoniorum eiicit demonia, demonium habet, seducit turbas, vorax est, potator vini, & amicus publicanorum & peccatorum*. Denique quid fecerunt impii (g) quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est, inquit, hæres: venite, occidamus eum*. Ut quid vos Judæi (h) ut quid suspicamini montes coagulatos, montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo? *In Belzebug, inquit, principe demoniorum eiicit demonia*. Execranda suspicio, & blasphemia reprehensibilis. Princeps est Christus, & magnus Princeps, cujus ne ipsi quidem dæmones possunt effugere principatum. At illorum

d Ser. in fer. 4. heb. san. n. 6. e Ser. 3. in Circum. Dom. n. 4. f Ser. de Pass. Dom. n. 6. g Ser. 3. in Circumcis. Dom. n. 4. h Ser. 33. int. diu. n. 7. & 8.

regnum in seipsis divisum desolabitur. Christi autem regnum integrum atque perfectum est, & regni ejus non erit finis. Distat ergo inter Principem, & principes, nec ulla comparatio inter Montem coagulatum et pinguem, & montes tantum coagulatos. Vester iste Belzebab est mons coagulatus, sed non pinguis, magis autem sterilitate perpetua maledictus. Mons, quia elatus est: coagulatus, quia squama squamæ conjungitur, & coagulatum est sicut lac cor eorum. Christus Dominus mons est, mons coagulatus, & mons pinguis. Mons est sublimitate coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Ipse discurrens per civitates & castella (i) prædicans & annuncians regnum Dei, elementis & dæmonibus imperabat, infirmos sanabat, & mortuos suscitabat. Et cum talia faceret, sustinebat insidias, sustinebat calumnias, sustinebat blasphemias, quas principes Sacerdotum, Scribæ & Pharisei, & omnis populus contra ejus innocentiam invehebant: sed cum eorum perfida & perversa nequitia unicus Filii Dei bonitatem superexcellentem sustinere non posset, ipsum auferere de terra nefarie cogitarunt. Circumsoditur Vitis Christus. (k) Fossio hæc insidiantium fraus intelligitur. Quasi enim foveam fodit, qui dolo machinatur aliquem decipere. Unde Dominus conquerens dicit: *Foderunt ante faciam meam foveam*. Non enim poterat illi aliquis dolus abscondi, qui oculatus est antè & retrò, & qui præterita & futura tanquam præsentia intuetur. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus. Ostendamus

i Ser. de lamen. Virg. Mariæ n. 15. som. 6. pag. 1064. K Tract. de vice myst. cap. 3. n. 5.

mus autem per exemplum aliquam fraudem istarum fossionum. *Adducunt*, (inquit Evangelium) *Domino Jesu mulierem adulteram, dicentes quòd Moyses in lege præcepit hujusmodi lapidare: Tu autem quid dicis?* Vide foveam, quâ beatam Vitam nostram circumfoderunt illi pessimi agricolæ, non ut facerent eam germinare, sed magis arefcere. Verumtamen in contrarium cessit eorum intentio, & circumfossa vitis magis fertilis facta est, & humorem misericordiæ distillans. Foveas verò videamus. Dixerunt apud se: Si secundùm legem dixerit mulierem lapidandam, foveam incidet crudelitatis, qui de se dicit: *Mitis sum, & humilis corde*. Et iterum: *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Si verò dixerit absolvendam, foveam prævaricationis non evadet, & jure condemnabitur ut legis transgressor. Sic captant in animam Justi, & observant peccatores Justum, & strident: nescientes quòd frustra jactur rete ante oculos pennatorum, & quòd qui fodit foveam, incidit in eam. *In lege (1) Moyses mandavit hujusmodi lapidare*, ajunt de peccatrice peccatores, de adultera Pharisæi. Sed ad duritiam lapidei cordis vestri ille locutus est. *Jesus autem inclinavit se*. Domine inclina cælos tuos & descende. Incligans se & ad misericordiam flexus (neque enim Judaici cordis erat) *digito scribebat*, non jam in lapide, *sed in terra*. Neque hoc tantùm semel, sed hîc quoque duplex Scriptura, sicut apud Moysen tabulæ duæ. Et fortè veritatem & gratiam scribens, & iterum scribens terræ impressisse videtur, secundùm quod Joannes Apostolus ait: *Lex per Moysen data est,*

T 2

gra-

1 Ser. 3. in Annunt. B. M. n. 2.

gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Considera denique an videri possit de tabula veritatis legisse, unde refelleret Phariseos: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Quasi dicat: (m) Legi meæ non contradico, pietatem meam non desero. Ista quidem mulier meruit lapidari, sed non lapidabitur, quia qui lapidem justè possit in eam mittere non habetur. Quàm leviter transilivit has foveas noster Jesus, ipsosquè fossores dejecit in illas. Ait enim: *Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in eam lapidem.* Verbum quidem abbreviatum (n) sed vivum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilis. Quàm graviter enim ad verbum hoc faxea corda transossa, quàm vehementer hoc uno lapillo contritæ sint lapideæ frontes, rubor ipse confusionis & claudestinus probavit abcessus. Meruit quidem adultera lapidari, sed is punire gestiatur, qui dignus non est etiam ipse puniri. Is præsumat à peccatrice exigere ultionem, qui eandem excipere non meretur. Alioquin ipse sibi vicinior, à se incipiat, in se priùs sententiam ferat, exercentquè vindictam. Hæc Veritas. Cæterùm (o) adhuc minus est. Etsi accusatores refellit hæc Veritas; sed ream necdum absolvit: scribat iterum, scribat gratiam, legat & audiamus. *Nemo te condemnavit mulier? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: uade, & amplius noli peccare.* O vox misericordiæ! ô auditus letitiæ salutaris! Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locum: nec oleum
mise-

in Tract. de vite myst. cap. 8. num. 5. n. Ser. 3. in Annunt. B. M. M. 2.
o Ibid. n. 3.

misericiordiæ nisi in vase fiducia ponis. Hæc est vera hominis fiducia à se deficientis & innitentis Domino suo. Hæc est, inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Propheta attestante: *Quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Nec parva itaque suppetit in nobis, in nobis quidem timoris; in ipso autem causa fiducia. Snavis & mitis est & copiosæ misericordiæ, præstabilis super malitia, multus ad ignoscendum. Credamus sanè vel inimicis, qui in eo nihil aliud unde occasionem struendæ calumniæ caperent, invenerunt. Compatietur (ajunt) peccatrici, nec sibi oblatam ullatenus occidi patietur. Tenebitur itaque manifestus adversarius legis, cum absolverit lege damnatam. In vestrum, ô Pharisei, caput tota vestræ malignitatis adinuentio retorquetur. Diffiditis causæ, qui judicium subterfugitis. Nam illa quidem sine injuria legis absolvi-tur, quæ sine accusatore relinquitur.

S. I I.

Visne adhuc (p) aliquas foveas videre? *Licet* (inquiunt Judæi) *census dare Cæsari, an non?* Dixerunt enim apud se: Si dixerit, *licet*, tenebitur reus tanquam libertatis nostræ destructor. Solutio enim census, servitii signum est. Si dixerit, *non licet*, reus erit læsæ Majestatis. O stultos! Solet stultus alios secundum se æstimare, & quod ipse ignorat, sapientes quoque credit similiter ignorare. Sed quid ait Sapiaentia? Libertati non derogo, majestatem non offendo, foveas vestras non incido. *Reddite quæ*

T 3

sunt

sunt Cæsaris, Cæsari; & qua sunt Dei, Deo. Non enim offenditur Deus iustus, qui vult unicuique reddi quod suum est, si reddatis Cæsari quod Cæsaris est. Non offenditur Cæsar, si Deo reddideritis quæ creavit iustè, quod iustum est faciatis. Reddite ergo Cæsari denarium, Cæsaris habentem imaginem. Reddite Deo animam, quam ad imaginem & similitudinem suam creavit: & ecce iusti fueritis. Christus iussit, (q) & gessit. *Reddite, ait, qua sunt Cæsaris, Cæsari; & qua sunt Dei, Deo.* Quod ore locutus est, mox opere complere curavit. Conditor Cæsaris, Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis. Longum esset nimis omnes foveas (r) quas veræ Viti nostræ (*Christo*) maligni Judæi foderunt, ediffere: quia omnia illius & verba & facta calumniari nitebantur. At si jucundum ducis (s) insidias Scribarum & Phariseorum toties deprehensas, callidas eorum objectiones responsionum Christi prudentiâ confutatas oculata mente perspicere, Sapientiæ ejus lucem clariùs emicare persenties. Triginta & tribus annis super terram visus (t) & cum hominibus conversatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens ubi caput suum reclinaret. Quare hoc? Quia Verbum à sua subtilitate descenderat, & grossius acceperat indumentum. Nam caro factum fuerat, & ideo grossiori & morosiori opere utebatur. Hoc autem Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi

q Tract. de mor. & off. Epif. ap. 8. n. 30. r Tract. de vite myst. cap. 3. n. 6. s Ser. de Iesu puer. duodecim. n. 26. tom. 6. pag. 644. t Ser. infer. 4. in bel. sanct. n. 13.

sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui: tum quia Sapientia & Justitia erat: tum quia nullam habebat prorsùs legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ. Sed dicit aliquis: (u) Non valuit opus suum reparare Creator absque ista difficultate? valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitude occasionem ultrà reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretquè gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minùs esse devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo Auctoris gravamine vel labore. Siquidem dixit, & factus sum: quemadmodùm & universa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitude materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat, idquè ad excusandas excusationes in peccatis. Sed [x] obstructum est os loquentium iniqua. Luce clariùs pater, quantum pro te, ô homo, dispendium fecit: de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, de Dei Filio filius hominis fieri non despexit. Meritò jam te etfi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta tres annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens carnis necessitates, hostis tentationes. Tibi enim, ô homo (y)

T 4 ten-

u Ser. 11. in Cant. n. 7. x Ibidem n. 8. y Tract. de 3. princip. myst. cap. 6. n. 12.

tentatus est, non sibi: propter te opprobriis & contumeliis saturatus est: & propter te omnes passiones suas, quas oportuit & decuit, suscepit. Nihil tuorum defectuum præter peccatum à se exclusit omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset tua doctrina. Quid fles (z) quid suspiras ð homo, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta adversus Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Sed hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquoties ipsum lapidibus impetentes, Jesus bonus patienter sustinuit, & factus est coram eis sicut homo non audiens, & in ore non habens redargutiones. Quod cum ita fit (a) pulchrè sponsa Ecclesia convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non inodè formosam, sed & nigram esse se glorians. Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse & in Sponso Jesu: cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi portare opprobrium. Undè vox illa prorsus exultationis & salutis: *Abstine mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.* Libens & ego excipio in me (b) detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa: *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam?* Gloria mihi est, consortem fieri Christi, cujus illa vox est: *Opprobria*

ex-

z. Ser. de pass. Dom. n. 6. a. Ser. 25. in Cant. n. 8. b. Lib. 2. de consil. cap. 1. n. 4.

exprobrantium tibi ceciderunt super me. Grata ignominia crucis ei, (c) qui Crucifixo ingratus non est, Nigredo est, sed forma & similitudo Domini. Vade ad sanctum Esaiam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Quem namque alium dicit *Virum doloris, & scientem infirmitatem, & quia non erat ei species neque decor?* Ecce unde niger? Junge & illud Sancti David: *Speciosus forma præ filiis hominum, & habes totum in sponso Jesu, quod sponsa de se hoc in loco testata est.* Num tibi (d) rectè & ipse videtur, secundum ea quæ dicta sunt, æmulis posse respondere Judæis: *Niger sum, sed formosus, filii Jerusalem? Niger planè, cui non erat species neque decor. Niger, quia vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Demique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear?* Facta est igitur (e) res mira & obstupenda. *Infirmata est Virtus summa, & (ut ita dicam si dici liceat, quod tamen reverenter dico) quasi infatuata est Sapientia. Veruntamen hæc virtus abscondenda erat, & in humilitate perficienda, ut omnium implerentur oracula Prophetarum.*

§. III.

Porro (f) Salvator noster pati voluit, ut compati sciret: miseri fieri, ut misereri disceret: ut quomodo de ipso scriptum est: *Didicit ex his quæ passus est obedientiam:* ita & misericordiam disceret. Non quod ante misereri nesciret, cujus misericordia ab æterno, & usque in æternum: sed quod naturâ sciebat

c Ser. 25. in Cânt. n. 9. d Ibidem n. 9. e Ser. 57. int. dit. n. 1. & 2. f tract. de grad. humil. cap. 3. n. 6.

bat ab æterno, temporali didicit experimento. Sed fortè durum tibi videtur, (g) quòd dixi Dei Sapien-
 tiam Christum didicisse misericordiam, quasi is per-
 quem omnia facta sunt, aliquid aliquando ignoras-
 set ex iis quæ sunt, maximè cum illud quod ex Epi-
 stola ad Hebræos ad id comprobandum commemo-
 ravi, alio sensu (qui non adeo videatur absurdus)
 possit intelligi: ut hoc quod dictum est, *didicit*, non
 ad ipsum Caput referatur in sui persona, sed ad cor-
 pus ejus, quod est Ecclesia: ut sit ita sensus. *Et didicit
 ex iis quæ passus est obedientiam*: hoc est, obedien-
 tiam didicit in suo corpore ex iis, quæ passus est in Ca-
 pite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, sputa,
 flagella (quæ omnia Caput nostrum pertranlivit)
 quid aliud corpori ejus, id est, nobis, quàm præcla-
 ra obedientiæ documenta fuerunt? *Christus enim*
 (ait Apostolus) *factus est obediens usque ad mortem,*
mortem autem crucis. Qua necessitate? Respon-
 deat Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis,*
vobis relinquens exemplum, ut sequamini, inquit,
vestigia ejus: id est, ut imitemini obedientiam
 ejus. Passionem autem (h) non illum diem appel-
 lamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius.
 Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium.
 Ex his ergo quæ passus est, (i) discimus quanta nos
 qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia
 perpeti: pro qua is qui & Deus erat non dubitaverit
 etiam mori. Et hoc modo, inquis, non inconve-
 niens erit, si dicatur Christus vel obedientiam, vel
 misericordiam, seu aliquid aliud in suo corpore di-
 didic-

g. *Ibidem* n. 7. h. *Tractat. de Vite myst. cap. 5. n. 22.* i. *Tract. de grad. humil. cap. 3. n. 7.*

dicisse, dum tamen sibi in sua persona nil quod se ante latuerit, credatur ex tempore potuisse accedere. Sicquè ipse sit qui misereri doceat aut obedire; ipse qui discat quia caput & corpus unus est Christus. Non nego hunc intellectum (k) quin rectus sit. Sed ex alio loco ipsius Epistolæ, superior interpretatio videtur approbari, ubi dicitur: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit; unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.* Puto quòd hæc verba sic ad Caput referenda sunt, ut corpori penitus aptari non possint. De Verbo utique Dei dictum est, quòd non Angelos apprehendit, hoc est non in unam sibi personam assumpsit, sed semen Abrahamæ apprehendit. Neque enim legitur, Verbum Angelus factum est, sed Verbum caro factum est, & caro de carne Abrahamæ, juxta promissionem, quæ illi primùm facta est unde, id est ex qua feminis assumptione, debuit per omnia fratribus similari: id est, oportuit ac necesse fuit, ut similis nobis possibilis, nostrarum omnia (excepto peccato) genera miseriarum percurreret. Si quæris qua necessitate? *Ut misericors (inquit Paulus) fieret.* Et hoc, ais, cur non rectè ad corpus referri potest? Sed audi quòd paulò post sequitur: *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* In quibus verbis quid melius intelligi possit, non video: nisi quòd ideo pati ac tentari, omnibusquè absque peccato humanis voluit communicare miseriis (quòd est per omnia fratribus similari) ut similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento [1]

non

k Ibidem 11.8. l Ibidem 11.9.

non dico ut sapientior efficeretur, sed ut propinquior videretur: quatenus infirmi filii Adam, quos suos fieri & appellari fratres non dedignatus est, suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas & posset ut Deus, & vellet ut proximus, & cognosceret ut eadem passus. Unde Esaias *virum eum appellat dolorum, & scientem infirmitatem*. Et Apostolus: *Non enim habemus (inquit) Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Unde autem possit indicans adjungit: *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Beatus quippè Deus, beatus Dei Filius in ea forma, quâ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri, proculdubio impassibilis: priusquam se exinanisset formam servi accipiens, sicut miseriam & subjectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non noverat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At ubi minoratus est non solum à seipso, sed etiam paulominus ab Angelis (qui & ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam) usque ad illam formam in qua pati & subiici posset, quod utique (sicut dictum est) in sua non posset, & in passione expertus est misericordiam, & in subiectione obedientiam. Per quam tamen experientiam non illi (ut dixi) scientia, sed nobis fiducia crevit, dum ex hoc misero genere cognitionis, is à quo longè erraveramus, factus est propior nobis. Quando enim illi appropinquare auderemus in sua impassibilitate manenti? Nunc autem Apostolo suadente, monemur, cum fiducia adire thronum gratiæ ipsius, quem nimirum (sicut alibi scriptum est) languores nostros tulif-

tulisse, & dolores nostros portasse cognoscimus: & in eo quod passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus. Omnia ergo [m] quæcunque passus est Dominus Jesus in diebus carnis suæ, ad ruborem utique passionis pertinent rosæ passionis, quamvis effusionibus crebris: sacratissimi sanguinis ipsius specialiter non fuerit rubricata. Unde Sponsa ait: (n) *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. *Fasciculus myrrhæ* [o] *dilectus meus mihi*, scilicet Christus secundum carnem. Benè fasciculus [p] quia parvulus natus est nobis. *Fasciculus myrræ* [q] Christus in passione. *Fasciculus myrrhæ*, grando & tonitrua Judaicæ tempestatis. *Fasciculus myrrhæ*, multitudo afflictionum. Propterea quoque non fascem [r] sed fasciculum dilectum dicit sponsa, quoddam leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris imminuat & doloris. Quia verò inter adversa & prospera versans, novit utrobique pericula non deesse, medium hujusmodi vberum suorum vult habere dilectum, cujus adversus utraque continua protectione munitam nec læta extollant, nec tristitia dejiciant. Tu quoque si sapias, imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli: amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revoluens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,*
inter

m *Tract. de vite Myst. cap. 35. n Ser. 45. in Cant. n. 3. o Ser. 2. in cana Dom. n. 8. p Ser. 42. in Cant. n. 1. q Ser. 2. in Cena Dom. n. 8. r Ser. 43. in Cant. n. 1. & 2.*

inter ubera mea commorabitur. Et ego, Fratres [s] ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, horumquæ similium, quæ in salutem nostri generis sylva Evangelica copiosissimè noscitur protulisse. Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retrò in humeris, sed antè præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Hæc meditamini [t] in his versamini. Talibus odorem refovete viscera vestra, quæ diu torsit odor molestior peccatorum: ut abundetis his unguentis non minùs suavibus, quàm salutaribus. Gaudet Sponsus cælestis talibus odorem, [u] & cordis thalamum frequenter libenterquæ ingreditur, quod istiusmodi refertum fructibus floribusquæ respersum invenerit. Ubi suæ videlicet Passionis gratiam sedula inspicit cogitatione versari, ibi profectò adest sedulus, adest libens. O sancta anima [x] reverentiam habet, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & fortassè non osculandus, sed adorandus cum Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PHI-

s *Ibidem*. n. 3. & 5. t *Ser.* 11. in *Cant.* n. 8. u *Tract.* de *diligent.* Deo cap. 3. n. 8. x *Ser.* 8. in *Cant.* num. 9.

303

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Secunda .

De gestis in ultima Cena Domini : præsertim de institutione Sacramenti Eucharistiæ .

CAPUT I.

De gestis in Cena apud Bethaniam habita ante sex dies Paschæ: & de occasione venditionis Christi .

Cùm autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi , accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi , & effudit super Caput ipsius recumbentis . *Matt. 26.*

1. Ostenditur quod Christus licet unctus à Deo Patre suo, desideravit tamen ungi Caput suum à nobis, uti etiam voluit ut super Caput ejus effunderetur unguentum preciosum à Maria Magdalena. 2. Demonstratur tria esse genera unguentorum, contritionis, devotionis, pietatis. Primum unguentum docemur effundere super pedes Christi, alterum super Caput ejus, tertium super corpus ejus, quo designatur Ecclesia sua. 3. Agitur de apostasia & avaritia Judæ Iscariothis, qui indignè ferens effusionem unguen-

unguenti preciosi, statim abiit ad Judæos, eisquæ vendidit Christum pro triginta argenteis.

[S. I.]

Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Cum autem esset in Bethania in domo Simonis leprosi, fecerunt ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum Jesu. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi: & accessit habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ipsius recumbentis. Joan. 12. Matt. 26. Mar. 14.



UIS nos [a] separabit à charitate Christi? Ipsa enim est, per quam omne corpus per nexus & juncturas crescit. Hoc glutinum est bonum, cujus meminit Esaias. Hoc unguentum est, quod descendit à capite in barbam, à capite descendit & in oram vestimenti, ut ne minima quidem fimbria careat unctione. In Capite siquidem est plenitudo gratiarum, de qua accepimus omnes: in Capite universitas miserationis: in Capite inexhaustus fons pietatis divinæ. In capite est affluentia tota spiritualis unguenti, sicut scriptum est: *Unxit] re Deus, Deus tuus, oleo latitiæ præ participibus.*

S. Bernar. d. Abb. iuxta eius libror. edit. auctore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis an. 1667. 2. Ser. 1. in Quadrage. n. 2.

pibus tuis. Complacet sibi Pater in Filio [b] & dum vox sonat in æthere, descendit Spiritus in columba. Putatis Fratres, quia Christi baptismo Chrisma defuerit? Manet Domini Spiritus super ipsum, & unctum ab eo quis dubitet? Cæli namque [c] aperti sunt super eum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in illum, & vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Hæc planè [d] spiritualis unguenti fragrantia est. Unxit Pater Filium præ participibus suis, in quo præ cæteris singulariter complacet sibi. Pater enim diligit Filium, affectu utique divino, & inexperto omni creaturæ. Mihi videtur [e] ineffabile quoddam atque inexpertum omni creaturæ osculum designasse, qui ait. *Nemo novit Filium, nisi Pater: & nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit revelare Filius*. Pater enim diligit Filium, & singulari dilectione amplectitur summus æqualem, æternus coæternum, Unus unicum. Sed enim non minori ipse à Filio affectione astringitur: quippe pro cuius amore & moritur. Illa itaque mutua gignentis genitiquè cognitio pariter & dilectio, quid nisi osculum est suavissimum, sed secretissimum? Ego pro certo ad tantum & tam sanctum divini amoris arcanum ne ipsam quidem Angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim, Paulo hoc ipsum sapiente, pax illa exuperat omnem etiam Angelicum sensum. Intendite: [f] Sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur: osculum verò quòd pariter

V ter

b *Ibidem num. 3.* c *Ser. 3. in Epiph. Dom. num. 7.* d *Ser. 1. in Quadrag. num. 3.* e *Ser. 8. in Cant. num. 1.* f *Ser. 2. Cant. n. 2.*

ter ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex utroque compacta mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Hac ergo ratione Sanctorum nemo dicere præsumebat: Osculetur me ore suo, sed tantum osculo oris sui: ipsi sanè servantes prærogativam istam, cui singulariter semelquè os Verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo omnis Divinitatis indulsit. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini ungitur. Proinde non venit vacuè (g) quia non venit vacuus. Nam quomodo vacuus, in quo habitavit plenitudo? Neque enim ei datus est ad mensuram Spiritus, Denique & venit in plenitudine temporis, plenum proinde venire se indicans. Benè plenum, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ confortibus suis. Unxit & misit plenum gratiæ & veritatis: unxit, ut ungeret. Omnes ab eo uncti sunt, qui de plenitudine ejus meruerunt accipere. Unxit, inquam (h) præ participibus suis, accumulans super eum universa charismata benignitatis, mansuetudinis, & suavitatis, abundantius eum replens visceribus misericordiæ & miserationis. Unctum denique misit ad nos, quem nobis exhibuit plenum gratiæ & miserationis. Sic unctum à Patre est Caput nostrum Christus, & nihilominus ungi postulat & à nobis: *Cum jejunaveris*, inquit, *unge caput tuum*. Mira dignatio! Spiritus Domini super eum, eò quod unxit eum, & nihilominus tamen evangelizans pauperibus ait: *Unge Caput tuum*. Itane aquam petit à rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis.

Ad

Ad fontem enim unde exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant. Non verò ut minus habens (i) quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cæperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superveniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat vertitur in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Unge igitur Caput tuum, refundens in eum qui supra te est, quidquid in te est devotionis, quicquid delectationis, quidquid affectionis. Unge, inquam, Caput tuum, ut si qua in te est gratia referatur ad ipsum: nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. Ungit enim Christum, qui bonus ejus odor est in omni loco. Porro (k) tantæ excellentiæ unguentum illud, quo Caput Christi ungitur, inventum est, ut vix quælibet ei divitiæ non dico præferri, sed nec saltem conferri posse videantur. Si enim in Christo (l) caput ad Divinitatem referendum est, dicente Paulo: *Caput Christi Deus*: proculdubio Caput ungit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit non hominem, Non quia non sit homo qui Deus est, siquidem Deus & homo unus est Christus: sed quia omne bonum à Deo, non ab homine est, etiam ipsum quod per hominem ministratur. In Capite utique (m) est affluentia tota spiritualis unguenti, sicut scriptum est: *Unxit te Deus tuus, oleo latitiæ præ participibus tuis.* Ipsum tamen quod tam copiosè

i *Ibidem* n. 4. k *serm.* 90. diu. n. 4. l *serm.* 10. in *Cant.* nu. 8. m *ser.* 1. in *Quadrages.* num. 2.

Pater unxerat Caput, Maria quoque ungere non veretur. Calumniatur quidem discipulus, sed respondet veritas pro ea, quòd bonum opus sit operata.

§. I I.

Erant autem quidam indignè ferentes inter semetipsos: & fremebant in eam. Dixit ergo unus ex discipulis JESU, Judas Iscariotes qui eum erat traditurus: Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis? ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim vendari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Sinite eam, quid molesti estis? Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Quod habuit, hæc fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. Mar. 14. Joan. 12. Matt. 26.

Dicit sponsa ad Sponsum suum: (n) *Meliora sunt ubera tua vino*. Hoc est, pinguedo gratiæ quæ de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est ad spiritualement profectum, quàm mordax increpatio prælatorum. Nec solùm meliora vino, *Sed & fragrantia unguentis optimis*. Innuit hîc (o), quòd aliqua sunt unguenta bona, aliqua meliora, quibus omnibus super-

n Ser.9. in Cant. n.6. o Ser.87. int. diut. n.6.

superferantur hæc *optima*. Dicamus ergo tria genera esse unguentorum. Est pono (p) diuersas species unguentorū. Est unguentum *contritionis*, & est unguentum *devotionis*, & est unguentum *pietatis*. Primum pungituum, dolorem faciens: secundum temperativum, dolorē leniens: tertium sanatiuum, etiam morbum expellens. Nunc de singulis latiùs differamus. Est utique unguentum *bonum*, (q) quod Maria pedibus Salvatoris infudit: est & *melius*, quod eadem super Caput recumbentis effudit: est & *optimum*, quod & ipsa præparavit toti Corpori Christi. *Primum quidem unguentum* (r) fuit de recordatione peccatorum, cū pro ipsis compungimur, & veniam petimus: & hoc unguentum *bonum* est, quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Effunditur autem ad pedes Domini, ibiquè remunerationem accipit, scilicet remissionem peccatorum, cū Dominus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multam*: Primum itaque unguentum contritionis est (s) de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc unguento infunduntur pedes illius, qui ambulat super pennas ventorum: hīc adorat Maria in loco ubi steterunt pedes eius. Steterunt, inquam, quia validissima amoris manu pedem utrumque retinuit, donec utrumque perungeret, & audiret criminum remissionem & dimissionem in pace. *Remittuntur*, inquit, *tibi peccata, & vade in pace*. Magnam prorsus miseriam, magna misericordia diluit & abstergit: & hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo con-

junguntur & lachrymæ peccatricis, & misericordia
 Salvatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur,
 ut & de præteritis sit sollicita, & secunda de futuro.
 Non tibi (t) ô quæcunque es anima, non tibi ille
 locus vilis aut despicibilis videatur, ubi sancta pec-
 catrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi
 Æthiopissa mutavit pellem, & in novum est restituta
 candorem, jam tunc fiducialiter veraciterquè re-
 spondebat exprobrantibus sibi verbum: *Nigra sum,
 sed formosa filii Jerusalem*. Miraris quam id arte
 potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis ac-
 cipe. Flevit amarè, & de intimis visceribus longa
 suspiria trahens, salutaribus intra se succussa singul-
 tibus felleos humores evomit. Cælestis medicus
 celerrimè subvenit: quia velociter currit sermo
 ejus. Numquid non potio est sermo Dei? Est utique
 fortis & vehemens, & scrutans corda & renes. De-
 nique sermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior
 omni gladio ancipiti, perstringens usque ad divisio-
 nem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac me-
 dullarum, & discretor cogitationum. Hujus ergo
 beatæ Pœnitentis exemplo prosternere & tu, ô mise-
 ra anima, ut desinas esse misera: prosternere & tu
 in terram, amplectere pedes, placa osculis, riga la-
 crymis: quibus tamen non illum laves, sed te, &
 fias una de grege tonstrarum quæ ascendunt de lava-
 cro. Est denique unguentum [u] quod sibi conficit
 anima multis irretita criminibus, si cum incipit co-
 gitare vias suas, colligat, congerat, conteratquè in
 mortariolo conscientiæ multas ac varias species pec-
 catorum suorum, & intra æstuantis pectoris ollam
 simul

t Ser. 3. in Cant. n. 2. u Ser. 10. in Cant. n. 5.

tur, quia virtutes non nisi ad Deum à quo sunt, referuntur. Hoc autem unguentum jam charius est, quia de hoc scriptum est: *Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus.* Sed hanc perditionem approbat Dominus, cum dicit: *Sinite eam. Quid illi molesti estis? Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Non solum approbat, sed etiam remunerat, cum dicit: *Amen dico vobis: ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Est autem unguentum istud (y) tantò primo profectò preciosius, quantò de melioribus compositum speciebus. Siquidem secundi hujus unguenti aromata terra nostra nequaquam profert, sed procul & de ultimis finibus ea nobis conquirimus. Nempè *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Fit enim unguentum istud de Divinis collatis humano generi beneficiis. Felix qui ipsa sibi studiosè colligere, & ante mentis suæ oculos digna cum gratiarum actione reducere curat. Profectò cum fuerint in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis contusa atque contrita, deindequè igne sancti desiderii simul decocta omnia, & demùm impinguata oleo lætitiæ: erit unctio longè preciosior, excellentiorquè priore. Sufficit ad probandum ejus testimonium qui ait: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Nec dubium quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio. Hoc itaque [z] secundum unguentum est *devotionis* de recordatione

tione beneficiorum Dei . Prorsus dignissima hujus unguenti compositio: & in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda . Ejus enim species de cœlesti paradiso allatæ sunt , & in terra filiorum hominum nequeunt inveniri . Virtutes enim divinitus collatæ , & in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis contritæ , & exultationis oleo superfusæ (suffuso igne justitiæ) & in humilitatis ahenodecotæ , faciunt unguentum & odore & virtute mirabile ; quod solum super Caput Domini recumbentis possit effundi , & exhiberi reverentiæ Majestatis . Nec reputo [a] perditionem unguenti hujus effusionem , in quo & mulieris devotio designatur , & Domini præfiguratur sepultura . Huc accedit quòd tam latè suam fragrantiam circumquaque diffundit , quare ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium , dici etiam habeat quòd & hæc fecit in ejus commemorationem . Caput igitur unguimus Salvatoris , [b] cùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus . De hoc enim unguento [c] quod appellatur devotionis , & conficitur ex memoria beneficiorum divinorum , quo & ungitur caput Domini , dicitur : *Sacrificium laudis honorificabit me* . Caput ex eo ungis , cùm de suis donis Deo gratias agis . Siquidem caput Christi . Deus . Deitas ergo in Christo tangitur , quoties ad laudem ipsius ejus beneficia memoramus . *Tertium unguentum est pietatis* : (d) quod est super omnia aromata morbis omnibus & periculis salutare , quòdquè nulli unquam pesti inveniatur inefficax . De ipso namque sic legitur : *Maria Magdalene , &*
Ma-

a Ser. goudizier. 113. b Ser. de S. M. Mag. 114. c Ser. g. d. 117. num. 1. d Ser. de. Mar. Mag. 115.

*Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Sed [e] hujusmodi tertii unguenti non fit aliqua effusio vel perditio: quia noluit Dominus illud super Corpus suum mortuum effundi, sed servari vivo corpori suo, id est Ecclesiæ Sanctæ. Hoc itaque unguentum tam salubre [f] tamquæ mirificum, in mortuo suo Corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat. Duo enim habet corpora Christus: unum, quod suscepit ex Virgine: alterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis. Poterimusne tam salubrem conficere confectionem? Universæ miseriæ tam animarum quàm corporum oculo pietatis inspectæ, species ejus sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, & delinitæ charitatis oleo (succenso compassionis igne) & in ahenò perseverantiæ despumata, unguentum faciunt etiam Angelis admirandum. Proinde hoc unguentum [g] appellaverim *pietatis*, ed quòd fiat de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristitium, de culpis delinquentium, & postremò de omnibus quorumlibet miserrorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. Despiciabiles videntur species istæ, sed est super omnia aromata unguentum quod ex eis conficitur. Sanatum est. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Igitur multæ miseriæ collectæ atque oculo pietatis inspectæ, ipsæ sunt species ex quibus unguenta optima cõponuntur, sponsæ digna vberibus, Sponsi sensibus grata. Felix mens quæ talium col-*

e Ser. 87. diu. n. 6. f Ser. de S. Mar. Magd. Sum. 9. g Ser. 12. in Cant. 12. 1.

collectione aromatum sese ditare & impinguare curavit, infundens ea oleo misericordiae, & ardore decoquens charitatis. Quis putas est jucundus homo qui miseretur & commodat, pronus compati, subvenire promptus, dare quam accipere beatius judicans: ignoscere facilis, irasci difficilis, ulcisci penitus non acquiescens, & per omnia proximorum æquè ut proprias respiciens necessitates? O quæcunque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiae, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, ut cæteris præstò ubique semper occurras atque succurras, sic denique mortua tibi ut vivas omnibus: tu planè tertium optimumquè unguentum felix possides, & manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. Non exsiccabitur in tempore malo, nec fervor persecutionis ebibet illum: sed semper Deus memor erit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiet. Liqueat itaque [h] quoddam duo illa unguenta tantò hoc tertium unguentum præcellit, quantò Christus hoc suum corpus, id est Ecclesiam cui exhibetur, illo quod ex eo ungi voluit, quod & propter hujus redemptionem tradi voluit, constat esse amabilius.

§. III.

Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unus de duodecim. Tunc abiit ad principes Sacerdotum: & locutus est cum principibus Sacerdotum & magistratibus, quemadmodum Jesum traderet illis. Et ait illis: Quid vultis

traditum triginta argenteis appreciati sunt, ut præcipitarent Animam tuam in mortem sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cæna ablutionis etiam coram ipso genuflexus procumbens, maledictos pedes ejus veloces ad effundendum Sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis atrectare, lavare, & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo ambulas, ô terra, & cinis? Adhuc te superbia elevat? Adhuc te impatientia exagitat? Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum Jesum, universæ creaturæ Factorem, tremendum Judicem vivorum & mortuorum, ante pedes hominis & traditoris sua genua incurvantem. Disce, quia mitis est & humilis corde: & confundere in superbia tua, & erubescere in impatientia tua. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ Domine, quoddam perfidum illum in cætu fratrum detegere, & palam confundere nolvisti: leviter admodum accelerare jussisti quod parabat. In omnibus his non est aversus furor ejus à te, sed egressus foras satagebat circa frequens malefium. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuisti, civium cæli socius, & Verbi Divini conviva, quomodo reputatus es inter filios tenebrarum? Qui nutriebaris in croceis, cur amplexatus es stercora? O Juda infelix! [n] ô discipule pessime, mercator nequam! Tibi cæna parabatur, & à tè dator cænæ tradebatur. O miser Juda! O male confessor! O desperate pænitens, dixisti: *Peccavi tradens Sanguinem justum*, & laqueo desperationis te miser soffocasti! Diabolus miserat

in

in cor per suggestionem, ut traderet Christum, non credens illum esse Deum. Nonne contremiscis Christiane, recogitans quid dictum est de discipulo Christi: *Diabolus misit in cor ejus*, ut traderet Vitam; & tradens Vitam, per laqueum desperationis se & vitam perdidit? Si lupus non timuit intrare in gregem Domini, & unam de duodecim tam pauculo numero mactare & perdere: quid facturus est de grege commisso pastori? Unusquisque vestrum, fratres charissimi, videat ne sit sicut Judas, Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, cauti contra callidi hostis insidias. Misit in cor Judæ, ut traderet Dominum. Quid est tradere Dominum? Vendere Dominum. Quid est vendere? Alienare, Dominum vendit, qui à se Dominum elienat. Dominum alienas à te, si depellis eum à te. O discipule Christi, audi me, audi consilium meum. Te diabolus querit eyellere, & extrahere de grege Domini: vide ne consentias ei, vide ne credas ei. Mendax est, & pater ejus. Te vult occidere, te vult mactare, te vult perdere & trahere secum in gehennam. Quid denique (o) vobis ultra pavendum est? Unum utique, idquè gravissimum, peccatum Judæ, peccatum apostasiæ. Benè enim factum est, ut pennas acciperetis sicut columbæ, & volaretis ad requiescendum: nam in terra non erat requies, sed labor & dolor & afflictio spiritus. Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne fortè cadaver vel simile aliquid in terra videat; cujus desiderio tractus videatur à venatoribus illis pessimis, & præparatis laqueis capiatur, & sint

sint novissima hominis illius pejora prioribus? Hoc inquam omninò timendum est, ne quis aut corde solo, aut etiam corpore ad vomitum revertatur. O discipule Christi (p) cave te à oculis, cave te à marsupiis. Foveæ diaboli sunt. Heu quot in illis perdidit, quot in illis interfecit. Dicitur de Juda, *quia fur erat, & oculos habens, &c.* Ille dum sitit lucrum, tendit ad laqueum: dum perdit vitam, lucratur mortem. Hinc suam mentem (q) exerceant optimi quique, & ad exemplum lilii timore & humilitate coacti inclinabuntur ad terram, cum habuerint in mente, quòd nesciunt utrum amore an odio sint digni. Et verè nesciunt & ignorant, quid superventura pariat dies, imò nec hora: quòd minùs sciunt, qualis eorum finis futurus sit, vel eorum qui modò mali sunt? Si Judam proditorem vidisses, cum adhuc erat discipulus, & inter summos, eiicientem in nomine benignissimi Jesu dæmonia: vidissesquè Latronem postea cum Christo crucifixum, qui eatenùs institisset latrociniis & homicidiis, non dubito quin Latroni discipulum prætulisses: & tamen omnes scimus quòd alteri alter in fine prælatus sit. Tu ergo si etiam ad tantam jam vitæ perfectionem pervenisti, ut miracula opereris: time, ne ad extremum cum ipso Juda deprehendaris reprobis. Si verò alium quemquam pessimis operibus videas insudantem: ne te illi præferas, quia nescis utrum exemplo Latronis ad ultimum convertatur, sicut scriptum est: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod de illis communiter accipitur, qui post scelera sua ad Do-

mi-

minum à Domino convertuntur , qui considerat qualis quis moriatur . Nullum ergo & tu judicare præsumas , nec te licet optimum cuiquam alteri quamvis pessimo præferas : quia tuus & illius qualis futurus sit exitus , ignoras . Ad terram igitur cum liliï flore inclinare , idest , considera fragilitatem tuam , quam habes in te , quia terra & cinis es . Et quantò major es , humilia te in omnibus , carnis munditiam virtute humilitatis inclinans . Apostoluserat Judas (r) & licet avarus & sceleratus , electus à Domino . An tu de illius Apostolatu dubitas , quem Dominus elegit ? *Nonne ego* , inquit , *vos duodecim elegi , & unus ex vobis diabolus est ?* Denique etiam ipse dixit (s) vt impleatur scriptura : *Qui manducat panem meum , levabit contra me calcaneum suum .* O Juda infelix , dominicum panem manducas , & contra Dominum calcaneum levas ? Heu quanti Judæ , qui panem Domini manducant , & Dominum in operibus suis calce percutiunt . Quanti de Altari vivunt , qui Altari non serviunt , imò Dominum Altaris pro nihilo ducunt . Quanti (t) secùs affectos se ostendunt hodie , de his dico , qui animas regere susceperunt , quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est . Christi opprobria , sputa , flagella , clavos , lanceam , Crucem , & mortem , hæc omnia in fornace avaritiæ conflant , & profligant in acquisitionem turpis quæstus , & precium universitatis suis marsupiis includere festinant : hoc solo sanè à Juda Iscariothis differentes , quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit ,
 isti

r Ser. 66. in Cant. n. 11. s Ser. 2. in ult. Cena num. 15. t Ser. 20. in cant. n. 3.

isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His infatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent, & cum amittunt, dolent. Harum in amore quiescunt, quantum duntaxat liberum eis est à servandi vel augendi cura: animarum nec reputatur casus, nec salus. Non sunt profectò matres, qui cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. Quis mihi det antequam moriar (u) videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? Longè dissimiles experimur. (x) Non omnes sunt amici Sponsi, quos hodie sponsæ Ecclesiæ hinc inde assistere cernis, & qui (ut vulgò ajunt) eam quasi addextrare videntur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis ejus. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Unde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis Sponsæ? Inde est, quòd illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare Sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituire, sed prostituere: non est pascere gregem, sed macta-

X

re

re & devorare, dicente de illis Domino : *Qui devorant plebem meam ut cibum panis; & quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt.* Et in alio Propheta : *Peccata populi mei comedent.* Quasi dicat : Peccatorum precia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plùs vigelet subditorum vacuandis marsupiis, quàm vitiiis extirpandis? Ubi, qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? Leviora loquimur, graviora gravius manet judicium. Heu (y) quod magis dolendum est, quanti Sacerdotes, sed falsi Sacerdotes qui panē Christi, Corpus scilicet Christi sumūt ore, & Christum conculcant pede, putridi fætoze luxuriæ, infecti veneno nequitix. Isti sunt Judas Iscariot, qui nisi se in melius commutaverint, utinam pati non essent.

C A P U T I I.

De lotionè pedum, quam Christus fecit suis Apostolis, post cœnam habitam pridie quàm pateretur.

Postquam Jesus lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubisset iterum dixit eis: Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.

Joan. 13.

1. *Christus factâ cœnâ illâ, in qua manducavit Agnum legalem cum suis Discipulis, surgens à cœna exivit se*

† Ser. 2. in ult. cœna n. 15.

se vestimentis, & præcinctus linteo misit aquam in pelvum, & lavit pedes discipulorum. Hac nomina, scilicet vestimenta, linteum, aqua, pelvis lotio pedum, denotant mysticum intellectum.

2. Recusantem sibi lavari pedes Petrum Christus induxit salutaribus argumentis, ut permetteret sibi lavari pedes. 3. Ostenditur Sacramentum esse lotionem pedum, qua denotat remissionem peccatorum venialium.

§. I.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cenâ factâ, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit: surgit à cenâ, & ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvum, & capit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Joan. 13.

Verbum Patris Filius Dei (a) quod pro salute generis humani Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, cupiens instruere & informare ad exempla humilitatis sequenda Discipulos, & per illos omnes credentes in eum, cum appropinquasset hora illa piissima, quâ Caro (quam de intemerata sumpterat Maria) tam triste esset perpeffura supplicium: ab illo nobili suæ temporalitatis extremo

X 2 con-

a Ser. I. in ult. cena m. I. tom. 6. pag. 65.]

convivio surrexit, vestimenta deposuit, aquam in pelvim misit, & pedes discipulorum lavit. Et hoc est quod Joannes Evangelista ait: *Ante diem festum Paschæ, &c.* Talis erat mos & consuetudo Judæorum, ut illum diem haberent solemnem, quando illis Dominus Mare rubrum divisit in duas partes, & deduxit eos per medium ejus, & excussit Pharaonem & virtutem ejus in eodem mari. Hic est ille dies festus Paschæ, de quo dictum est: *Ante diem festum Paschæ.* Nam *Pascha* interpretatur transitus. Nam appropinquabat illud piissimum Pascha, quo verus Moyses (*Christus*) per Mare rubrum debebat transire: & non post quadraginta annos, sed tantum post quadraginta dies in terram promissionis intrare. Ille dies Judæorum festus erat umbra, quo Patres eorum transierunt de Ægypto: sed ille fuit veritas, quo Christus transivit de hoc mundo. Et sic nos fecit transire devitiis ad virtutes, de morte ad vitam, de mundo ad cælum, pro nobis victima factus & sacrificium, & seipsum Deo Patri in Ara Crucis offerens holocaustum. *Ante diem festum Paschæ, &c.* Quid ergo est, ô Sancte Joannes, quod dicis *festum*? Nonne dies festus, dies est gaudii & lætitiæ? Putasne dies ille est lætitiæ & jucunditatis, quo Agnus in Crucem levatur immolandus stipite, opproprium hominum factus, & abjectio plebis? quo præ dolore Sol obscuratur, petra scinduntur, & tota contremiscit orbita mundi? Ubi Mater sic plorat, & ejus dilectus Joannes? Potius ille dies fuit luctus, quàm risus & lætitia Sanctis & Electis: sed Judæis lætitia, tibi & Apostolis tristitia. Judæorum lætitia vertetur in luctum: & tristitia Apostolorum est versa in gaudium.

Sequi-

Sequitur. (b) *Sciens Jesus quòd venit ejus hora , ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Hanc horam præscivit , hanc horam elegit , ut in ea per mortem de hoc mundo transiret ad Patrem secundùm humanitatem , à quo nunquam recessit secundùm Divinitatem . Redemptor noster (c) Dominus noster Iesus , quem Pater ad salutarem victimam misit in mundum , cùm tempus instaret quando moreretur , præsentem exhibere se voluit in loco ubi moreretur . Sicut autem venit ut moreretur , sic prævidit & ubi , & quando , & quo mortis genere moreretur , præscriptum coram se habens ab æterno mortis suæ genus , locum , & tempus . Hæc autem tria erant , Hierosolyma , Pascha , & Crux . Nam si de loco quæris ? in Hierosolyma mortuus est : si de genere ? morte Crucis : si verò de tempore ? instante tempore Paschalis solemnitatis . Ut autem vos satis legendò & audiendo didicistis : iniqui eum Judæi aliquando , & alibi , & antea , perimere voverunt . Nam quando eum duxerunt ut præcipitarent , ubi & transiens per medium illorum ibat , neq; ad Hierusalem venerunt , nec Pascha expectaverunt , nec Crucem quæsierunt : sed in perimendo eum nequaquam vel modum vel locum mutare , nequaquam tempus præoccupare seu differre valverunt . Venit itaque Hierosolymam ante quinque videlicet dies Paschæ , illo se insinuans Agno præfigurato , qui decima quarta die mensis verni ad vesperam immolandus , decima quidem ejusdem mensis die tolli , & usque ad prædictum terminum jubebatur servari . Porro illa hora (d) est finis ille , de quo dicitur : *Cùm dilexisset*

b *Ibid. n. 2.* c *Ser. in Dom. Palm. n. 1.* d *Ser. in Olt. cen. n. 2.*

*suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Cùm dilexisset suos pro eis homo factus, intantum eos dilexit, quousque ad mortem dilectio eum perduxit. O homo, te dilexit in morte, ut tu dilectione ejus possis transire de mundo ad Patrem. Te dilexit in finem, ut tu in ejus dilectione usque in finem permanes: quod quidem si feceris, proculdubio ad Patrem transibis. In cujus dilectione qui usque in finem non permanserit, in veritate dico, in æternum peribit. In ejus dilectione modus amoris nullus esse debet. Sine modo te dilexit, sine modo eum diligere debes. Modum dilectionis excessit te diligendo, pro te moriendo: tu quantum eum diligere debes, non potes. Dilige eum ex toto corde, ex tota mente, & omni anima, & ex omnibus viribus tuis. Hoc tantum quærit, ultra non quærit. Hoc fac & vives. Sicut auris non potest satiari auditu (e) nec oculus visu: sic nos nunquam satiari debemus enarrandis piis operibus Christi. Nam mihi dulcia sunt super mel & fauam, & cariora super millia auri & argenti: & his saturari non possum. Amplificet mihi Dominus desiderium meum, & lætificet me in jucunditate vultus sui, cùm omnibus diligentibus eum. De quo in consequentibus dicitur: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit & ad Deum vadit, surgit à cena, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvum, & cepit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & bona & mala: mala in usum, & bona in effectum. De malo pro-**

ditio-

ditionis Judæ fecit bonum redemptionis nostræ. Vel sciens, *quia omnia dedit ei Pater in manus*: quare omnia subjecit sub pedibus ejus, oves & boves, insuper & pecora campi. *Et sciens quia à Deo exiit, non eum deserens: & ad Deum vadit*, non nos derelinquens. *A Deo exiit*, quia de sinu Patris in uterum Beatæ Virginis venit. *A Deo quoque exiit*, cum talem se hominibus præbuit, qui posset videri & tangi: imò (quod sine magno gemitu cordis, & fluvio lachrymarum stylo commendare deberem) ligari, colaphizari, flagellari, conspui, & ad ultimum occidi: & hoc est, quod dicitur: *A Deo exiit*. Sed noli flere ô homo, quia sequitur, *Ad Deum vadit*. Ad Deum vadit, quia resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ad cælos ascendit, sedet ad dexteram Patris, constitutus à Deo judex vivorum & mortuorum. Et hoc est quod dicitur, *Surgit à Cæna*: nam à cæna surrexit, quia de sinu Patris, ubi cænabat cum Angelis, ad homines venit, trabeam nostræ mortalitatis assumens. *Vestimenta* (f) quodammodò *deposuit*, cum semetipsum exinanivit. Sibi vniendo humanam naturam, *linteum accepit*, & *præcinxit se*: quia naturam humanam se induens, in ea se virtute præcinxit, & de hoste superbo gloriosè triumphans Rex gloriæ est factus, & Dominus virtutum. *Aquam misit in pelvini, & pedes discipulorum lavit*. Quid est aqua? Quid est pelvis? Ille Jesus est aqua illa benedicta, quæ sordes mentium lavat, leprosos mundat, cæcos illuminat, sanat ægrotos, justificat impios, resuscitat mortuos. Ad hanc aquam Dominus meus Jesus

invitat sitientes, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*. Aqua ista Spiritus Sanctus est. Ipse de se sic inebriet mentes nostras, ut præter eum nihil aliud diligamus. *Pelvis* illa, in qua Dominus Spiritum Sanctum posuit, est Ecclesia fidelium, in qua per lavacrum regenerationis Spiritus Sanctus sordes credentium lavat. *Quod dicitur, Pedes Apostolorum lavit*, audi immunditias eorum vestigia sequentium. Vel possumus dicere, quòd *pelvis*, sive receptaculum Spiritus Sancti, corda Apostolorum fuerunt, quibus Dominus Spiritum Sanctum infudit, & eorum pedes lavit: quia in fide Catholica, quæ fideles vehit ad cælos, quam pulvere infidelitatis fuscata tenebant, penitus expulsa rubigine per Spiritum Sanctum confirmavit. *Et lavit pedes Apostolorum*, idest vestigia credentium mundavit, quæ sordida erant peccatis. *Et exersit linteo quo erat præcinctus*, humana scilicet carne, quâ erat indutus: quia ejus Passio peccatorum nostrorum est vera purgatio.

§. I I.

Venit Jesus ad Simonem Petrum. (g) Et dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Quando Dominus Iesus pedes discipulorum lavare cepit, prius ad primum Discipulorum venit. Et idem Petrus expavescit, quòd Deus lavit pedes homini. Nam pavore perterritus, non potuit sustinere Dominum ad pedes suos humiliatum. Videbat eum aquam in pelvim mittere, se linteo accingere; & mirabatur fortè, quid vellet facere. Sed postquam

2 Ibidem n.9.

quam vidit illum ante pedes suos vas cum aqua portare, genua flectere, & ad lavandum se præparare: multoquæ quàm dici potest miratus, expavit. Et magno timore percussus, ingemuit, & exclamavit dicens: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Creator creaturæ, Deus homini, Dominus servo, Magister discipulo: imò illi qui factus est ex limo, ille qui fecit omnia ex nihilo? Surge Domine. Surge Deus meus. Quid vis facere? Non possum sustinere, non possum ferre. Oculi mei te videre refugiunt sic proclivem, sic prostratum ante pedes meos. Surge Creator. Surge Deus meus. Surge lux mundi, vita mea, gloria mea. Noli facere, quod te video facere velle. Sciebat nimirum Petrus (h) quoddam alibi quoque Jesus hominum de se opinionem à Discipulis inquirens: *Quem dicunt*, inquit, *homines esse*, non me, sed *filium hominis*? Rursus eosdem interrogans, quid de se ipsi quoque sentirent: *Vos autem*, non quem filium hominis, sed *quem me*, ait, *esse dicitis*? Carnalis videlicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod propriè est *filii hominis*, posuit: spirituales verò Discipulos de sua Divinitate interrogans, non filium hominis, sed signanter, *me*, dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc quod dixerat, *me*, requisiti fuissent: sua responsione aperuit: *Tu es* (inquirens) non Jesus filius Virginis, sed *Christus Filius Dei*. Quod utique si respondisset, nihilominus veritatem dixisset: sed in verbis interrogationis sensum interrogantis prudenter advertens, competenter propriequæ ad interrogata respondit dicens:

Tu

Tu es Christus Filius Dei. Propter hoc ergo (i) Petrus Dominum à se repellebat, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Et: *Domine, tu mihi lavas pedes?* At (k) Jesus ait: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Ac si dicat: Noli timere, noli expavescere. Revera Petre magna sunt hæc humilitatis indicia, sed citò majora videbis. Sine modò, quia sic oportet fieri, licet nunc ignoras hujus rei mysterium: scies postea. Mysterium est, exemplum est, quod iturus ad Patrem tibi relinquo. Ideo noli prohibere quod facere volo. Dicit ei Petrus: *Domine, non lavabis mihi pedes in æternum.* Absit à me Domine, ut mihi laves pedes in æternum, in aliquo tempore. Respondit Jesus: *Si non laverò te, non habebis partem mecum.* Quod dicit, *te, & non pedes,* Synecdoche ibi est, quando quod est partis, toti attribuitur. Ego sum aqua lavans, ego sum aqua sanctificans: *nisi te laverò, non habebis partem mecum.* Petrus audiens, *non habebis partem mecum,* totus intremuit, nihil jam contradicens Magistro: non tantùm pedes, sed totum se offert ad abluendum, dicens: *Domine, non tantùm pedes meos, sed manus & caput.* Quid est quod dices, *Non habebis partem mecum?* O quàm amarum est quod dices, non habebis partem tecum: nonne tu vita mea, dulcedo mea, tota spes mea, salus mea, & omne desiderium meum? Ecce me fac quidquid vis facere de me, lava pedes, & non solum pedes, sed & manus & caput. O beatos pedes! (l) O pedes felices, qui talem ac tantum meruerunt habere lavatorem! De
pedi-

i Ser. 2. super. missus num. 14. k Ser. 2. in ult. cena n. 9. l Ibiem n. 12.

pedibus Electorum dico , de Judæ traditoris pedibus non dico . O beate Petre , ô felices Apostoli , ante pedes quorum afficit humilis Creator Angelorum ! O beata purgatio ! O beata lavatio ! quæ mundat leprosos , curat ægrotos , vulnera sanat , cicatrices solidat , lumen donat cæcis , gressum claudis , pulchritudinem sædis , divitias egenis , mæstis lætitiâ , pænitentibus veniam , mortuis vitam . O grande gaudium & immensa læticia ! O mira (m) & exquisita pietas ! O inæstimabilis bonitas ! O nova & inaudita humilitas ! Christus Dei Filius de pura & intemerata Virgine natus , Rex Regum & Dominus dominantium surgit à Cæna , vestimenta deponit , se linteo cingit , aquam in pelvim mittit , ante discipulos reverenda genua flectit , humilis & proclivis pedes discipulorum lavit . O quis unquam talia audivit ? O quàm stupenda pietas ! O mira Dei clementia ! Lavit pedes discipulorum , qui de nihilo cuncta creavit . Surgens à cæna (n) linteo præinctus , misit aquam in pelvim , & se Rex Angelorum deposuit ante pedes humilium servorum suorum , mundissimis manibus tangere , tergere , & abluere non dedignatus est immunditias pedum ipsorum , quæ eis de luto platearum adhæserant . Et idem exemplum reliquit tibi ô homo , dicens : *Si ego lavi pedes vestros , Dominus & magister vester : & vos debetis alter alterius lavare pedes .* Unde igitur superbis terra & cinis , putredo & vermis ? Quid putridum membrum erigis te super Caput ipsis Angelicis sublimitatibus tremendum ? Quid tibi videtur quis

cum-

m Ibidem n. 6. n. Tract. de p. p. r. p. n. p. p. l. cap. 6. n. 12.

cunque es homo (o) quem ira accendit, superbia consumit, ira perturbat, superbia devastat, promptus ad iram, festinus ad superbiam? O superbe! O germen diaboli! O apostata Christiane! O serve nequam! Quid tibi videtur de Creatore tuo, de Deo tuo? Pronus lavit pedes discipulis: & tu dedignaris humiliari fratribus offensis. O serve male, lemen Chananæi & non Juda, qui es per auctorem superbiæ deceptus! cur non consideras quis est ille, quem per superbiam sequeris? & quis est ille, quem per humilitatem imitari contemnis? O quàm malus est ille quem sequeris: & quàm bonus est ille à quo devias? Ille est diabolus: Iste verò Deus. Elige quem imitari sic meliùs, ô superbe, nonne frons tua erubescit? Erubescere vas stercorum, ulteriùs habere superbiam. An ignoras, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam? Exve veterem hominem, & indue nouum, videlicet Dominum Jesum, & reformabit corpus humilitatis tuæ configuratum corpori claritatis suæ. Sed ô Domine Jesu. (p) Cùm hoc sit verum, quòd nullus possit partem habere tecum, nisi priùs laveris eum? miserere mei, miserere mei. Ego sum ille tuus peccator, totus immundus, totus fordidus, qui partem tecum habere cupio, tecum partem habere desidero. Ne despicias me Deus salutaris meus. Propitius esto mihi peccatori. Lava fordidum, lava inquinatum, lava pedes, lava manus, lava caput, imò totum corpus. Lava mentem, lava animam, lava me interiùs & exteriùs: lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Si laveris me, super
ni-

nivem dealbabor. Dixisti Petro: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*. Ego non sum Petrus lotus, totus lavari indigeo. Me tibi committo, fac de me quidquid vis. Tu autem Domine, in æternum benedictus permanes. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*. Hic innuitur Apostolos esse baptizatos: sed non legimus ubi. *Qui lotus est* Baptismo, totus est mundus. Sed quia iterum terrenæ inhabitationis pulvere inquinatur, iterum opus est pedes lavare. Quos lavat Dominus interpellans pro nobis, & nos ipsi orando, in contritione cordis & compunctione lachrymarum.

§. III.

Sacramentum dicitur sacrum signum (q) five sacrum secretum. Multa siquidem sunt propter se tantum: alia verò sunt propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans Passioni Dominus Jesus, de gratia sua investire curavit suos discipulos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio. Ad hoc denique ille Baptismus initium sacramentorum omnium institutum est, in quo complantamur similitudini mortis ejus: unde & trina mer-

sio,

q Ser. I. in cena Dom. m. 2. tom. 2. par. 1. pag. 290.

fio, tridui, quod ante Pascham celebratur, formam
 gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa,
 ut capto immemoremur exemplo, sic variae sunt in-
 vestiturae secundum ea de quibus investimur. Ver-
 bi gratia. Investitur Canonicus per librum, Abbas
 per baculum, Episcopus per baculum & anulum
 simul. Sicut, inquam, in hujusmodi rebus est, sic
 & divisiones gratiarum diversis sunt traditae Sacra-
 mentis. Quae est gratia unde per Baptismum inve-
 stimur? Utrique purgatio delictorum. Quis enim
 potest facere mundum de immundo conceptum se-
 mine, nisi qui solus est mundus, & in quem pecca-
 tum non cadit, Deus? Hujus quidem gratia Sacra-
 mentum prius erat Circumcisio, ut originalis rubi-
 nem culpae, quae manaverat à parentibus primis,
 cultellus eraderet: sed veniente Domino, qui Agnus
 est totus suavis & mitis, cujus jugum suave est &
 onus leve, optimè satis mutatum est, ut invetera-
 tam rubiginem cum unctioe Sancti Spiritus aqua
 dilueret, & acerbitas illa cessaret. Sed fortè quærat
 aliquis (r) & dicat: Si deletum est in Baptismo pec-
 catum quod contraximus à parentibus, cur adhuc
 manet cupiditatis fomes, & velut incentivum quod-
 dam peccati? Neque enim dubium quin à primis
 parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Om-
 nes siquidem in peccatrice voluptate generamur:
 propterea, licet inviti, illicitos quosdam motus
 concupiscentiarum, & tanquam bestiales sentimus.
 Dixi vobis sapiùs, nec mente excidere debet, quo-
 niam in casu primi hominis cecidimus omnes. Ce-
 cidimus autem super aceruum lapidum, & in luto:

unde

r *Ibidem* n. 3.

unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: & gratia hæc nobis conferitur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod priùs inde manabat. Sed quis poterit (dicitis) tam efferos motus frangere? quis pruritus ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Domini Corporis & Sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim istud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrùm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi: gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: & gaudeat quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem. Sed tamen quid agimus (s) quòd in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato? Numquid desperabimus? Absit. *Si dixerimus (ait Beatus Joannes) quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Nam ut de remissione quotidianorum peccatorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramen-

mentum, pedum ablutionem. Quæris fortè unde sciã quòd Sacramentũ sit hujus remissionis, maxime cùm ipse Dominus promiserit Petro dicens: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea*: nihil autem de Sacramento locutus est, sed tantùm, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut & vos ita faciatis?* Verùm multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto voluit eos anxios & suspectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est: *Si non laverò te, non habebis partem mecum*. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cùm respondit: *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput*. Et unde scimus quia ad dilvenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quòd offerenti manus & caput pariter ad abluendum responsum est: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus *caput*, id est intentio, & *manus*, id est operatio & conversatio munda est: Sed *pedes* (qui sunt animæ affectiones) dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quàm oportet cedat animus vel ad horam. *In multis enim*

offen-

offendimus omnes . Verumtamen (t) nemo contempnat aut parvipendat . Impossibile est enim cum eis salvari , impossibile est ea dilui , nisi per Christum Jesum , & à Christo . Nemo , inquam , perniciofa securitate dormitet , declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis , quoniam (ut audivit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus , non habebimus partem cum eo . Proinde non solum gravia (u) sed & levia cavenda sunt peccata . Multa enim levia unum grande efficiunt : sicut solent de parvis & minimis guttis immensa flumina crescere . Nemo vestrum (x) dicat in corde suo : Levia sunt ista , non curo corrigere : non est magnum , si in his maneam venialibus minimisque peccatis . Hæc est enim , dilectissimi , impenitentia , hæc blasphemia in Spiritum Sanctum , blasphemia irremissibilis . Nec ideo tamen (y) pro eis necesse est nimis esse sollicitos : ignoscet facilè , imò & libenter , si tantummodò nos agnoscamus . In hujusmodi namque quasi inevitabilibus , & negligentia culpabilis est , & timor immoderatus . Hinc est quodd in oratione , quam ipse Dominus constituit , quotidie pro peccatis illis voluit nos orare . Cæterum hæc venialia peccata (z) Sponsa in Canticis Canticorum se vitare velle demonstrat , ubi eam Sponso exhortanti ad prædicationem sic inquit ait : *Expoliavi me tunicâ meâ , quomodo induar illâ ?* Id est , deservi secularia , quomodo repetam illa ? *Removi me à prædicatione , quomodo reincipiam ?* Item ait : *Lavi*

Y

pe-

t. *Ibidem* nu. 5. u. *Tract. de inter. domo. cap. cap. 35. nu. 57. tom. 5. pag. 431.* x. *Ser. 1. in convers. S. Pauli n. 5.* y. *Ser. 1. in cena Domini n. 5.* z. *Ser. 2. in ult. Cena n. 21.*

pedes meos, quomodo inquinabo illos? Ac si dicat: Lavi cogitationes & affectiones, quomodo inquinabor sordibus mundi? Sed hos pedes discipulis lavat Dominus per sponsonem suæ orationis, ubi dicitur: Et dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. De cætero quoniam in multis offendimus omnes: & inter homines sæculifrequenter positi multum de pulvere mundi contrahimus, vestris orationibus me commendo, ut in fonte misericordiæ suæ nos lavare & emaculare dignetur ipse fons pietatis Jesus Christus, qui dixit Petro: Nisi lavero te, non habebis partem mecum.

C A P U T I I I.

De sermone Christi, quem habuit ad suos Discipulos statim ac lavit pedes eorum.

1. *Christus postquam lavit pedes Discipulorum, exhortatur eos ad condonandam injuriam lædentibus se.*
2. *Exhortatur eos ad imitandam humilitatem suam, docendo non esse servum majorem Domino suo, nec discipulum Magistro.*
3. *Christus exhortatur quemque Christianum ad excubendam charitatem & hospitalitatem pauperibus, afirmando quod ipse & ejus Pater recipitur in illis, qui pro illius amore recipiuntur, & liberaliter reficiuntur.*

§. I.

Postquam Jesus lavit pedes discipulorum, & accepit vestimenta sua, cum recubisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister

ster & Domine: & benè dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vōstros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Joan. 13.

Christus postquam lavit, [a] vestimenta sua accepit: post mortem carnis, gloriam habuit resurrectionis. Post Sanguinis effusionem, accepit corporis immortalitatem. Deinde recubuit, deinde requievit, cælos ascendit, ubi sedet benedictus in dextera Dei Patris. De illo accubitu Discipulis intonat, instruit, docet per Spiritum Sanctum, & per ipsos intonat Gentibus cunctis. Et quid dicit? *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine: benè dicitis: sum etenim.* Hoc est quod promiserat Petro, dicens: *scies autem potea.* Hic invitat ad sciendum, quod prius nesciebant. Quod dicit, *Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim,* non est de arrogantia, sed de veritate. Qui enim necessitate cogente, vera de se loquitur, tantò magis veriùs humilitati jungitur, quantò & veritati associatur. *Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis: Sum etenim.* Ego sum Magister, ego sum Dominus. Ego sum Magister sine errore: ego sum Magister sine falsitate. Ego sum Magister bonitatis: ego sum Magister sanctitatis. Qui sequitur me benè vadit, ambulare malè non poterit. Ego sum Dominus vitæ, Dominus mortis, Dominus Cæli, Dominus terræ. Creator cunctorum, & Dominus omnium. *Si ergo ego lavi pedes*

des vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Sicut prius exemplo, sic nunc eos verbo instruit Magister veritatis. Hic enim sumitur argumentum habendæ humilitatis. Ac si dicat: Si ego qui sum Dominus & Magister, lavi pedes vestros: & vos qui non estis magistri, nec domini, debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis. Et est sensus: Si ego lavi pedes vestros, idest, Si ego dimisi peccata, qui sum Dominus Deus potens omnia, & Magister sciens omnia antequam fiant: vos qui estis servi & discipuli, debetis in vos peccantibus dimittere, & pro eis orare. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Non eritis boni servi, si non fueritis secuti Dominum: nec veraces discipuli, si deviaveritis à doctrina Magistri. Quid deinde auctor & dator virtutum Christus, (b) in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, in quo omnis quoque plenitudo Divinitatis habitat corporaliter: nonne tamen & ipse de humilitate tanquam summa suæ doctrinæ suarumquè virtutum gloriatus est? Discite, ait, à me non quod sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi: sed quia mitis sum & humilis corde. A me, inquit, discite. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem quam habeo apud Patrem, Angelus & Fæmina: ille potentiæ, illa scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me. quia mitis

^b *Tract. de mor. & off. Episc. cap. 5. n. 18.*

tis sum & humilis corde. Commodum reor indagare aliquid & de superbia [c] quatenus ex opposito sibi vitio virtutis decor manifestior appareat. Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in duas species dividitur, in *cæcam*, & *vanam* superbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari possunt *contumacia*, & *vanitas*: quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, & ex ista voluntatis malæ appetitus afficitur. Quod melius ex singularum definitionibus demonstrabimus. *Cæca* superbia seu contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel à se esse quod est, in se non in Domino gloriatur. *Vana* superbia seu vanitas est vitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm Dei laudibus delectatur. His itaque præmissis, aptemus jam contraria humilitati, singula singulis opponentes. Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duabus quoque superbiæ speciebus, duæ nihilominus humilitatis opponuntur. Contra *cæcam*, ut quis de se noverit sentire humiliter. Contra *vanam*, nec consentire aliter sentientibus. Nempè qui de seipso sentire humiliter novit, in neutro ipsius de se iudicium falli potest: videlicet ut aut majus aliquid putet se esse, quàm sit: aut à se esse quod sit. Et idè patienter carens quod sibi novit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se, sed in Domino gloriatur.

Amen amen dico vobis Non : est servus major Domino suo : neque Apostolus major est eo , qui misit illum . Si hæc scitis , beati eritis si feceritis ea . Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim : sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem , lavabit contra me calcaneum suum . Amodò dico vobis , priusquam fiat : ut cum factum fuerit , credatis quia ego sum . Joan. 13 .

Valdè ignominiosum servo [d] si sit sicut dominus ejus : aut discipulo , si sit sicut magister ejus , Christo reclamante ac dicente : *Non est servus major Domino suo : neque Apostolus major est eo , qui misit eum .* Quod non dedignatus est magister & Dominus , talisque & magister & Dominus , indignum sibi judicabit servus bonus devotusquè discipulis ? Nec dedignandum servo [e] quod præcessit in Domino . Si quidem non est servus major Domino suo . Ille enim cum jam crevisset ætate , sapientiâ , & gratiâ apud Deum & homines : cum jam duodecim annorum esset , & remansisset in Hierusalem , inventus à Beata Virgine , & Joseph , cujus filius putabatur , in medio Doctorum audiens illos & interrogans , tamen descendit cum illis , & erat subditus illis . Et tu ergo subditus est propter illum . Quàm pulchrè locutus est beatus ille Centurio [f] cujus fidei nulla par inventa est in Jsraël . Et ego , inquit , *homo sum sub potestate , habens sub me milites .* Non jaçtabat potestatem , quam nec solam protulit nec priorem . Diciturus quippè habens sub me milites , præmisit : ho-

mo

d Ibidem cap. 8. num. 31. e Ser. 3. in Circuncis. Dom. num. 7.
f. Tract. de mor. & off. Episc. cap. 8. num. 32.

mo sum sub potestate. Prius se agnovit hominem, quàm potentem. Agnovit, inquam, se hominem homo gentilis, ut in se jam impleri ostenderet, quod longè ante dixerat David: *Sciant gentes quoniam homines sunt. Homo* (inquit Centurio) *sum, & homo sub potestate*. Jam quidquid subinferas, suspectam non habemus jactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis insigne præcesserit. Agnoscis infirmitatem, confiteris subjectionem: jam & te sub te habere milites profiteri securus. Revera quia non confusus est de subiectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, & idèd dignus qui haberet & sub se milites. Ex abundantia cordis os loquebatur: juxta quod intus ordinatas habuit affectiones, foris quoque verba decenter composuit. Dedit prius honorem Præpositis, ut jam à subditis justè reciperet: sciens se à Superioribus accipere, quod impèderet inferioribus, & quia meliùs propriæ subiectionis disceret experimento sua ipse moderari imperia. Fortè non ignorabat, quòd subjecto sibi homini Deus omnia subjecerit sub pedibus: offendenti se, insensa reddiderit: & is quem humilem constituerat super opera manuum suarum, superbiæ merito comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Porro ait Dominus: [g] *Si hac scitis quæ feci & doxui, beati eritis si feceritis ea: non de omnibus dico. Ego scio quos elegerim*. Non de omnibus dicebat: quia Judas apostata erat. Elegerat duodecim; sed unus diabolus erat Judas Iscarioth, qui contra Do-

minum levavit calcaneum, de quo ipse Jesus dixit, ut impleatur Scriptura: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*. O Judæ infelix, dominicum panem manducas, & contra Dominum calcaneum levas? *Melius [h] ei fuerat,* (inquit Dominus) *si natus non fuisset homo ille*. Non utique si natus non fuisset omnino, sed si natus non fuisset homo, sed verbi gratiâ, aut pecus, aut quæpiam creatura, quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium. *Amodò dico vobis [i] priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum*. Et est sensus. Usque huc toleravi & tacui, sed jam noto proditorem antequam fiat, quod mox est faciendum, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum ille, de quo Scriptura illa prædixit. Vos ergo fratres mei, discipuli Christi, cogitate quid Iscarioth fecit, & videte ne consimilia faciatis. Judas contra Christum levavit calcaneum: vos ante illum prosternite corpus & animam. Judas ab illo recessit: vos autem sequimini illum. Judas vendidit illum Judæis: vos autem vendite quæ habetis, ut possitis comparare eum. Non solum autem quæ habetis, sed etiam vosmetipsos pro amore tantæ pulchritudinis margaritæ pro nihilo reputetis, & illi soli placere quantum potestis contendite.

S. III.

Amen amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Joan. 13.

Post-

Postquam Dominus Jesus [k] & Salvator noster suo exemplo docuerat Discipulos humilitatem, supponit honorem, ut eos consoletur, affirmans quod ipse & Pater ejus in illis recipitur, qui pro illius amore recipiuntur. Hic est notandum, quod in misso, non missi, sed mittentis auctoritas commendatur. Qui ergo accipit nuncium Christi, Christum accipit. Et si Christum accipit, & Patrem Christi accipit. Quid audis ô Christiane? [1] Veritas loquitur: Veritas mentiri non potest. Ait enim: *Qui accipit si quem misero, me accipit.* Quem mittit? Quis est enim nuncius? Venit pauper, venit mendicus: advena est est & peregrinus, non habet quod vestiatur, non habet quod manducet, non habet ubi caput reclinet. Venit ad januam tuam, ad domum tuam, non tanquam frater ad fratrem, non tanquam consors ad consortem, sed tanquam servus ad Dominum venit: petit panem, postulat vestem, apud te quærit hospitari pro amore Christi. Quid tibi videtur? Quis est ille mendicus, iste peregrinus, qui apud te pro amore Christi tam humiliter, & tam suppliciter orat hospitari? Missus Christi est, nuncius Christi est: non est solus, cum illo est Christus: Gaudens suscipe. gratanter refice, serui devotè, cum timore & reverentia magna, Christum suscipis, Christum reficis. Gaude & lætare, quod talem meruisti habere convivam. Felix mensa, beata mensa, in qua Christus convivatur, in qua Deus reficitur: infelix mensa, cui deest talis conviva. O quàm misera mensa, imò quàm miser dominus mensæ, qui pauperem pellit à mensa, qui pauperi claudit misericordiæ viscera. O
serve

k. *Seq. 4. in ultim. Cæna num. 27. l. Ibidem num. 28.*

serve nequam, cujus viscera negligunt aperire marsupium pietatis. Nonne oportuit te misereri conservo tuo? Quis tibi donavit quod habes? Nonne pauperis Dominus? nonne pauperis & tui Creator? Nonne natura vos creavit æquales? & unâ eademque conditione estis exituri? Cur non te tangunt confinia fortis? Suscipe miserum, recollige mendicum & peregrinum: refice famelicum, vesti nudum, & operibus misericordiæ incumbere prout potes. Cum pauper petierit, manum aperire non differas: nam elemosynam tuam cum paupere fratre suscipit Christus. Tu autem, mi Lector, ne pauperem quæso abhorreas, sed tam citò cum illum videris, adorare non negligas: licet sit scabiosus, sive leprosus, veste sordidus, anhelitu fætibus, tamen brachijs charitatis astringe, & quod à te petierit, charitatiuè impende. In veritate donas Christo, accipit Christus, ipse met testis, ipse mentiri non potest, & in die iudicii tibi redditurus est mercedem æternam. Denique habete diligentiam hospitalitati [m] quia per hanc multi placuerunt Deo. Abraham Pater vester pro studio sancto, quod in suscipiendis peregrinis habere solitus erat, Angelos hospites suscipere meruit. Similiter & Loth nepos ejus, pro simili devotione & pia consuetudine, de eorum susceptione exultavit. Et vos itaque simili forma, non Angelos, sed Dominum Angelorum suscipite in peregrinis, pascite in egenis, operite in nudis, visitate in languentibus, redimite in captivis. Talibus hostijs promeretur Deus, qui in iudicio dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Sed quid dicimus de his [n] qui pro-

m *Epist. 241. num. 2.* n *Tract. de vite myst. cap. 30. n. 133.*

propter defectum terrenæ substantiæ hoc operibus misericordiæ implete non possunt, sive adhuc in seculo commorentur, sive renunciantes seculo & omnibus quæ possidebant, nudum Christum nudi secuti sunt. Numquid hi omnes reprobi erunt, qui Christo in operibus misericordiæ ministrare non possunt? Absit. Non enim impotentes, sed nolentes condemnabuntur. Nam viscera, idest compassionem suam non claudit à proximo suo indigentiam patienti, qui si posset, vellet subvenire: sufficitquè Domino cor intuenti, si sola voluntas adsit: nam & ipsam pro facto reputat voluntatem. Nullus ergo se poterit excusare, quin omni petenti se tribuat, vel opere, vel voluntate. Non igitur se excusent qui dare non possunt. Tam enim afflicti quàm voluntaria paupertate coacti voluntatem dare tenentur. Examinet autem se quilibet, si hanc habeat voluntatem. Cùm enim vides pauperem, vel infirmum, vel peregrinum, & nulla compassione permotus tales pertransis, nec orationem, nec gemitum pro illo effundis, numquid dandi habes voluntatem? Nequaquam. Si enim non dividis affectum charitatis cum proximo indigente, perinde est ac si non compatereris patienti. Si enim non condoles cum dolente, quomodo substantiam externam divideres? Si non das compassionis affectum, qui quò plus datur, plus abundat: quomodo terrenam substantiam dares, quæ divisa minuitur? Quoties ergo videmus aliquem indigentem, agnoscamus Christum in illo: quia & ipse indigens, membrum Christi est. Non claudamus viscera compassionis nostræ ab illo, & pro hoc sciemus, quia charitas Christi manet in nobis. Tu autem, mi lector,

ausculta diligenter [o] & quid tibi loquatur Christus observa. Ipse est, qui ait discipulis suis: *Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: & qui me accipit, accipit eum qui me misit.*

C A P U T I V.

De alio Sermone Christi, in quo indicavit Discipulis traditorem Judam, porrigendo ei panem intinctum.

1. *Christus postquam monstravit se esse turbatum spiritu, indicavit quidem suis Discipulis traditorem suum, sed non statim designavit ejus personam, nisi interrogatus esset à Joanne, qui recubuit super pectus Jesu.* 2. *Christus soli Joanni specialiter indicavit traditorem suum, porrigendo Judæ panem intinctum, quo significatur ejus fictio.* 3. *Quæritur quoniam sensu Christus statim ac Judas exivit de Canaculo, dixerit de se: Nunc clarificatus est filius hominis.*

S. I.

Jesus turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amen amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. Joan. 13.

Turbatur Jesus ex nostra infirmitate (a) non ex sua potestate: nostra infirmitas in eo turbata est, non sua potestas, sicut & verè passa. Voluntariè

Ser. 3 in ultim. Cana n. 17. a Ibidem num. 29.

riè accipit turbationem, ne desperet servus necessitate turbatus. Qui turbatur spiritu, significat perturbandos spirituales ex charitate, cum urgens causa zizania à tritico ante messem cogit leparare, id est, ante diem iudicii cogit excommunicare. Sed notandum est, quod sunt duæ perturbationes, scilicet turbatio carnis, & turbatio spiritus. Turbatio carnis est passio carnis: turbatio spiritus est timor, anxietas, & similia. Non carne, sed spiritu turbatur Dominus cum diciturus esset: *Unus est vobis tradet me*: non quod tunc primum subito cognoverit, & repentinum malum eum turbaverit: sed quia iam Judam fuerat expressurus, ut non lateret: & ille erat exiturus, & Judæos adducturus; turbavit eum proximum periculum proditoris. Turbatus est Dominus Jesus spiritu, & protestatus est quod occultum fuerat & dixit: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*. Ac si diceret: *Unus ex vobis exiturus est, & tradet me*: unus ex vobis, sed non vinculo charitatis unitus, est me traditurus. Aspiciebant ergo Discipuli adinvicem, hæsitantes de quo diceret. Non minima turbatio, timor & anxietas, Apostolorum mentem vexabat, Putas quomodo Petrus & Sancti Apostoli latebras mentis intrabant, ut si in Auctorem vitæ saltem in cogitatione aliquid sinisterum putassent? Non parum erant turbati, nam pallor qui erat in facie, declarabat dolorem qui vigeat in mente. At nil doloris gerebat, qui astutam rabido portabat sub pectore vulpem: non erat dolens, cui ingens dolor inesse debebat. O bonitas Redemptoris! (b) ô pietas Creatoris! nemi-

nem

b *Ibidem* n. 20.

nem vult perire, sed omnes fieri salvos: specialiter non designat traditorem suum; ne fieret impudentior vel inverecundior manifestè deprehensus, Manifestat ergo crimen, & dat locum penitentiae: ut proditor videns se latere non posse, agat penitentiam. Sed vir ille perditionis, nullius penitentiae lamenta suscipiens, talis, vel peior remansit, qualis fuerat priùs, transiens in affectum cordis. Illi verò, quorum ingens procella doloris corda turbabat, adinvicem aspiciebant, dubitantes de quo diceret. Quia etsi nota fuit cuique conscientia sua, alterius tamen erat ignota. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Felix inquam discipulus ille, cui sic erat familiaris Author vitæ quæ nunc est & futuræ: nimis honoratus est discipulus ille, qui sui capitis habuit reclinatorium tam venerabile pectus scilicet Jesu, Jesu Christi Creatoris cunctorum. Jesus autem valdè eum diligebat, quem tanto honore sublimabat. O quàm bene quiescebat, qui supra pectus Christi quiescebat. O beate Apostole Dei, discipule Jesu Christi, Joannes beate! utinam mererer illius dulcissimos pedes osculando lachrymis rigare, in cujus pectore tu meruisti dormire: utinam faciem illius à longe saltem possem contemplari, in cujus pectore tam dulciter dormire meruisti. Hic enim de se quasi de alio dicit, ut rerum gestarum scriptor, non sui videatur prædicator esse. Per sinum siue pectus significabatur illud secretum, de quo bibit, Divinitatis Sacramentum. Profectò Unigenitus (c) qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Enarravit, dixerim,

non

non mihi misero & indigno, sed planè Joanni Evangelistæ, utiq; Discipulo quem diligebat Jesus. Placita enim fuit Deo anima illius, digna prorsùs nomine & dote sponsæ, digna Sponsi amplexibus, digna denique quæ recumberet super pectus Domini. Hausit Joannes de sinu Unigeniti, quod de paterno hauserat ille. Quid Joannis ructu fragrantius, (d) qui Verbi mei redolet aternitatem, generationem, divinitatem? Hunc diligebat Joannem non plùs omnibus (e) sed familiarìus, ut per pacem exiret de vita, non per passionem. Huic innuit Simon Petrus & dixit: *Quis est, de quo dicit?* Sciebat autem Petrus, quòd Christus quodam privilegio amoris Joannem diligebat, nec ei celaret suæ Divinitatis secretum. Innuit idèd ei Petrus, ut interrogaret eam, *Quis est?* Itaque cùm recubisset ille supra pectus Jesu, dixit ei: *Domine quis est?* Et meritò de proditore suo Magistrum interrogare non timuit, cui jam in sinu Divinitatis, veritatis Magister rimari secreta polorum monstravit. Et dicit: *Domine quis est?* *Quis est ille infelix? Quis est ille nequam? Quis est ille maledictus? Quis est traditor tuus?* Illùm mihi rogo ne celes, cui tuæ Divinitatis secreta es dignatus revelare. Cui respondit Jesus: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis.*

S. I I.

Panis intinctio (f) significat fictionem Judæ, qui fictus amicus venit ad cœnam. Quæ enim tinguntur,

d Ser. 67. in Cant. n. 7. e Ser. 3. in ult. Cœna n. 20. f Ibidem num. 20. & 21.

tur, non mundant, sed inficiunt. Sed quis panis iste fuerit, quem Judas accepit intinctum? Si Dominus dederit, lectorem meum si audire dignabitur, non relinquam suspensum. Sed primum sciendum est, quod panis multipliciter accipitur in Sacra Scriptura. Per panem aliquando intelligitur Dominus, aliquando *gratia spiritualis*, aliquando *eruditio divinae doctrinae*, aliquando *haereticorum praedicatio*, aliquando *jucunditas humanae delectationis*. Dominus dicitur panis, sicut ipse ait: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*. Si volumus dicere quod Dominus fuit ille panis, quem traditor accepit intinctum, non relinquimus tramitem veritatis. Judas igitur panem intinctum accepit, quia Dominum Jesum tantum hominem, & non Deum putavit. Buccellam intinctam, vel panem subcinericium intinctum comedit, quia & si Dominum moriturum, tamen resurrecturum non credidit. Hunc & Judaei, qui per Judam significantur, panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purum hominem fuisse credunt: & mortem illius concedunt, sed resurrectionem adhuc non admittunt. Panem intinctum rodit, qui Filium Virginis ante omnia saecula fuisse contradicit. Ab illo panis intinctus roditur, qui a fidei soliditate deviat: nec hunc panem solidum dignè poterit manducare, qui fidem Catholicam voverit infirmare. Dicitur panis *gratia spiritualis*, ut est illud Propheticum: *Qui obdurat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aqua ejus fideles sunt*. Hunc igitur Judas panem,

sci-

scilicet gratiam quam illi dederat Dominus, intinctum accepit, quia in Jesum consummatorem virtutum, non amorem sed rancorem exercuit. Huic debebatur panis intinctus, cujus sanctitatem vultus palliabat sophisticus. Nam religionem simulabat in facie, quam non habebat in mente: sanctitatem prætendebat in veste, quam alienabat in corde: foris agnus in publico, intus lupus in occulto: foris discipulus Christi, intus discipulus diaboli. Multi etiam hunc panem comedunt, qui religionem quam prætendunt in verbo, non ostendunt in facto. *Et post buccellam introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.* Quidam enim putant (g) quod tunc Judas Corpus Christi accepit: sed sciendum est, quod jam omnibus distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, inter quos & Judas fuit: Deinde per buccellam intinctam exprimitur traditor. Sequitur enim: *Tunc introivit in eum Satanas*, ut plenius possideret, in quem jam intraverat. Tunc introivit ut deciperet, & à consortio Apostolorum extraheret, ut eum jam non in occulto, sed manifestè utens libera potestate, in baratro perditionis maderet & perderet. Quod autem dicitur, *Quod facis, fac citius*: non præcipit, sed præcidit Judæ malum, nobis bonum: quia hoc vult citius fieri, non tam festinando in illius pœnam, quàm in salutem fidelium. O amor interminabilis, (h) ô charitas inæstimabilis, ô dilectio inscrutabilis! *Quod facis, fac citius.* Illud cupio, illud desidero, illud quæro, ad hoc veni in mundum. *Quod facis, fac citius, Vis me vendere Judæis? Volovendi.*

Z

Vis

Vis tradere? Volo tradi. Vis ut crucifigat? Volo crucifigi. Vis ut occidar? Volo occidi. Hoc amo, hoc affecto. *Quod facis, fac citius*. Sed Jesu, vita mea, totum desiderium meum, dulcedo non fallax, dulcedo delectabilis, dulcedo gloriosa, decus Angelorum, splendor & gloria Sanctorum, quantum eos diligebas, pro quibus mori cupiebas: nobis vitam, tibi mortem affectabas. O dilectissimi Fratres animadvertite, sedula cogitatione pensate, quantum est amandus, quantum diligendus, qui pro nobis est talia & tanta opprobria passus: qui se tradentem ad mortem sic hortabatur dicens: *Quod facis, fac citius*. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat, quod diceret ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. Loculos enim habebat, in quibus oblata servabantur suorum necessitatibus, & aliis indigentibus. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo*. *Erat autem nox*, quando exiit filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum.

S. I I I.

Cum ergo Judas exiisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis. Exeunte Juda (i) pro quo dixerat, *Non estis mundi omnes*: remanserunt soli mundi cum suo mundatore, in quo signatur clarificatio Christi, in qua separatis malis manebit in æternitate cum Sanctis. Ita est. Sed aliam expositionem hic amor Christi requirit: nec debet scribi sine lachrymis, nec sine lachrymis legi. Christus de

i *Ibidem num. 25. & 26.*

de proxima passione, imò de proxima morte, quam pro salute mundi exolvere disposuerat, gaudet & tripudiat, lætatur & exultat & ait: *Nunc clarificatus est filius hominis*, O Domine Jesu, fili hominis, fili Mariæ Virginis charissime, dulcissime, speciosissime, vita Sanctorum, & dulcetudo Angelorum, quomodo clarificaris? Nonne tibi adhuc imminent vincula, verbera carnicum, opprobria hominum, & abjectio plebis: sputa, clavi, colaphi, spinea corona, arundo pro sceptro, Crux, lancea? An vinciri manibus à tergo, & vinctum ad judicem adduci, & tanquã latronem ad ludibrium poni, est clarificatio tua? An ascendere crucis patibulum, & tam triste ferre supplicium, estne lætitia tua? estne gaudium tuum mori, scilicet pro salute generis humani? Quid ad hæc dicemus? quid respondimus, Fratres mei? Hic vox debet flere, lachrymæ dicere: hic sermo debet tacere, & fletus clamare. Christus Deus noster pro nihilo, imò pro gaudio mortem ducebat, per quam nos à morte perpetua liberat. Et licet tam citò moriturus, tamen seipsum clarificatum dicebat: quia tunc sic patiendo, imò sic moriendo, membra sua scilicet fideles suos clarificabat. *Nunc clarificatus est filius hominis.* (k)

Et benè filius hominis, & non hominum, quia sine virili semine de pura & intemerata Virgine natus, de Patre sine matre in Cælis est genitus. Cujus mater est Virgo, cujus Pater fæminam nescit. Iste inquam filius hominis valde clarificatus est, quia quidquid Filius Dei habuit per naturam, filius hominis habet per gratiam. Tu isto filio hominis, Ma-

riæ scilicet Virginis, clarificatus est Deus. In quo est clarificatus? In salute languidorum, in illuminatione cæcorum, in resuscitatione mortuorum: & in omnibus operibus suis, Patris sui semper faciens voluntatem. Et Deus clarificavit eum in semetipso, quia unus Deus cum Patre, una Divinitas, una Majestas: & hæc clarificatio est ab æterno. Hanc clarificationem morti appropinquas secundum quod homo, à Deo Patre sibi dari postulabat, cum dicebat: *Pater, clarifica me apud te metipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* Claritatem namque quam habebat secundum quod Deus, volebat habere secundum quod homo: ut humana natura Verbo unita, quæ tunc erat passibilis & mortalitatis, citò fieret impassibilis & immortalis. Quod tamen eum petiisse senserim (1) non ut supplicem, sed ut præscium. Liberè petitur, quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria Filii petitio est, non necessaria: quippe donantis cum Patre quidquid à Patre acceperit. Vbi & hoc dicendum est, quia non solum Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem: ne quis dicat Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cum & ipse clarificet Patrem, dicente Filio: *Pater, clarifica filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Sed fortè adhuc submittendū putes Filiū, quod quasi inglorius videatur à Patre recipere claritatem, quam demùm Patri refundat. Audi quia non est ita. *Clarifica me* (inquit) *Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Si ergo claritas Filii posterior non est, utpote quæ ab æterno est, ex æquo se clarificant Pater & Filius. Et

1 Ser. 76. in Cant. 11. 3. & 4.

si ita est, ubi Patris primatus? Æqualitas profectò est, ubi coæternitas. Et usque adedò æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sunt. Unde mihi videtur dicendo rursum: *Pater, clarifica nomen tuum*, non sanè aliud petere quàm se clarificari, in quo & per quem nomen Patris proculdubio clarificaretur. Et responsum accepit à Patre: *Et clarificavi, & iterùm clarificabo*. Quæ quidem ipsa responsio non parva Filii glorificatio fuit. Superest ergo, [m] ut juxta promissum Patris semel adhuc clarificetur, eaquè erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non est (ut sponsa suspicata est) in plateis vel vicis, nisi fortè in illis de quibus dicitur: *Platea tua Hierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos alleluia cantabitur*. In his revera illam recepit à Patre Filius claritatem, cui non poterit similis inveniri, ne in cælestibus quidem. Cui enim aliquando Angelorum dictum est: *Sede à dextris meis?*

C A P U T V.

De institutione Sacramenti Eucharistiæ, facta à Christo in memoriam Passionis suæ.

1. *Præmittitur doctrina de excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in qua Christus Carnem suam & Sanguinem dedit nobis in cibum & potum, ne deficiamus in via.* 2. *Agitur de materia Eucharistiæ, quæ est panis & vinum, eorumquè conversione in Corpus & Sanguinem Christi: nec non de forma,*

Z 3 quâ

quâ conficitur Eucharistia. 3. Expenduntur verba Christi, in quibus mandavit celebrare Sacrificium Eucharistiæ pro salute animarum nostrarum: meritoquæ exigit à nobis, ut pro tam singulari amore suo diligamus Deum.

§. I.

Sedisti ad mensam divitis: diligenter attende quæ apponuntur tibi, & scito quoniam talia oportet te preparare. Prov. 23. juxta version. 70.

IN verbis istis (a) loquitur Spiritus cõsiliï voce suavi, sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus: vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia, reiicientibus intentantur supplicia. Vivent qui recipiunt, damnabuntur qui reiiciunt. *Sedisti*, inquit. Ecce principium hujusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne! Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent, & de sensuum ubertate mentem impinguant. Quæ autem sequuntur, id est, *Scito quoniam talia oportet te preparare*: dum intellectum quod plûs exercent, plûs terrent, de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. *Dives* itaque & potentissimus ille, Dominus est virutum, & ipse Rex gloriæ, cui dicitur per Prophetam David: *Ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*. Ipse est qui auferit spiritum principum, terribilis apud reges terræ. *Mensa*, ad quam resident Fideles epulaturi cum eo, Incarnatio ipsius est. *Parasti* (inquit Propheta) in

con-

^a Ser. 2. in Cena Domini. 1.

conſpectu meo menſam, id eſt, Incarnationis tuæ remedium, quod ſemper attendo & recogito adverſus eos qui tribulant me: ne more antiquo prævaleant, qui miſero & exuli inſultare conſueverunt. O ſtupenda (b) miſeratio Dei! Verbum carne, Deus cinerem, figulus lutum, Vita morticinium induit, ut jumenta manducarent panem Angelorum. Homines jumenta erant. *Homo enim cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Ea propter cibus cæleſtis mutavit ſe in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis enim Angelorum factus eſt fœnum, vnicus Patris filius hominis. *Verbum quippe Caro factum eſt*. Et juxta alium Prophetam: *Omnis caro fœnum*. Comedunt igitur Angeli Verbum de Deo natum: comedunt homines Verbum fœnum factum, Pane ſuo vivunt Angeli in cælis, & beati ſunt: fœno ſuo vivunt homines in terris, & ſancti ſunt. Fœnum quippe iſtud de prato virginalis uteri collectum, factum eſt refeſtio jumentorum. Propter vitium (c) omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam ſos fœni. *Exſiccatum eſt* (inquit Iſaias) *fœnum, & cecidit ſos*: ſed non ille ſos qui de virga & radice Jeſſe aſcendit, ed quod requievit ſuper eum Spiritus Domini: nec illud fœnum quod Verbum factum eſt, pro eo quod ſequitur in Propheta: *Verbum autem Domini manet in æternam*. Si enim fœnum Verbum, & Verbum in æternum manet, fœnum quoque neceſſe eſt maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam prebet æternam, ſi ipſum minimè manet in

b Ser. de excellent. SS. Sacram. n. 1. & 2. tom. 6 pag. 732. c Ser. 35. in ant. n. 4.

æternum? Ait enim: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et quem panem dicat, aperit cum subjungit: *Et panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*. Ut autem panem Angelorum manducaret homo, (d) susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis, Panis Angelorum factus est homo. Porro quia homo suum (e) in quo factus est honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fœnum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitus diffuevit; quousque homo per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursus conversus in hominem, cum Paulo dicere possit: *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*. Quod sanè non arbitror quempiam dicere posse veraciter, nisi qui prius cum Petro ex ore Veritatis illud item audierit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: caro autem non prodest quidquam*. Christus in semetipso (f) in cælo Sanctos Angelos pascit: Christus etiam in semetipso in terra omnes Fideles reficit. Christus per rem Sanctos Angelos fatiat in patria: Christus nos pascit per fidem in terra, ne deficiamus in via. Christus Angelos & homines reficit ex semetipso, tamen integrè remanet in suo. Quàm bonus panis & quàm mirabilis, de quo in cælo Angeli saturantur, & in terra homines reficiuntur! Quem manducat Angelus pleno ore in patria,

ipsum

d Ser. de Jesu puer. duoden. n. 12. e Tract. de exhort. admil. temp. cap. 6. f Tract. de modo bene vivendi. cap. 28. n. 87.

ipsum comedit peregrinus homo pro modulo suo, ne lassetur in via. Christus panis vivus qui est refectio Angelorum, ipse est redemptio & medicina hominum. Habeo & ego Verbum (g) sed in Carne: & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis fursure, literæ paleâ, velamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritûs quatumcunque accipiant condimentum. Prorsus mors mihi in olla, nisi ex Prophetæ farinula dulcoretur. Denique absque spiritu & Sacramento ad iudicium sumitur, & caro non prodest quidquam, & litera occidit, & fides mortua est: sed spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis. At quantâlibet sanè abundantia spiritûs pinquescant ista, non pari omnind jucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma servi. Nempe in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Numquid verò par sapor intellectui fideiquè, cum sit in meritum ista, ille in præmium? Felix mulier (h) benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus, superveniente igne Sancti Spiritus, coctus est panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Est utique panis sanctissimus (i) continens omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. Panis iste quem dedit Jesus discipulis suis in cæna, scilicet

cor-

g Ser. 33. in cantic. n. 3. h Ser. 2. in nat. Dom. n. 4. i Soliloq. S. Bern. n. 16. tom. 6. pag. 1022.

corpusculum suum, licet ab impiorum manibus fuit miserè contrectatum: quis tamen panem hunc vilem poterit existimare, cum etiã eo pascatur multitudo Spirituum beatorum? O verè beata terra, quæ nobis hunc panem protulisti! Laudarem te libenter, sed quibus te laudibus efferam, nescio. Tu sola hunc panem gremio contulisti, quem cæli & terra capere non poterant: sit nomen tuum laudabile in secula seculorum. Denique (k) Paschalibus dapibus esuriens satiari quicumque requiris, mensula nostra posita est, quæ nulli vetatur edenti. Ibi refici poteris ex micis, quæ remanserunt de mensa Domini. Nam ille dulcissimus panis, qui de seipso ait: *Ego sum panis vivus qui de celo descendi*, dum esset in mundo, satiavit non mediocriter filios suos. Illos videlicet, quibus ascensurus ad Patrem ait: *Filioli adhuc modico tempore vobiscum sum*. Sed ascendens in Cælum dimisit reliquias suas paruulis suis: quas, dum illum beatissimum panem Angelorum, Dominum meum Jesum quærerem gemens & plorans, quæque preciosa mundi pro illo ineffabili cibo dare deliberans, Evangelista Joannē in voluntate Domini propinante accepi. Sed quicumque ad hanc mensulam servuli Christi sedere voverit, non sine lachrymis quæso accedat, & si accesserit, saltem sine gemitu non recedat. Nam in ea invenies cibum non ventris, sed mentis: non holocausta medullata, nec boves cum hircis, sed illum Agnum de Virgine natum, qui coram percutientibus se obmutuit, & non aperuit os suum. Tu itaque (l) qui sedes ad

men-

k *Protog. ant. Ser. 1. n. 1 in ult. cena tom. 6. pag. 649. l Ser. 2. in cena Dom. n. 6.*

mensam diuitis , teipsum subiiciens & humilians
 Incarnationis Dominicæ Sacramento , non negli-
 genter, sed *diligenter attende quæ apponuntur tibi:*
& scito quoniam talia oportet te præparare. Nota,
quoniam, compatiendo, commoriendo, & conse-
 peliendo teipsum. Dignum est enim & tibi mul-
 tum expedit, compati, commori, consepeliri passo,
 mortuo, & sepulto Christo. Ad hoc enim facta sunt
 hujusmodi, ut his omnibus configuretur vita Chri-
 stiani.

§. I I.

*Canantibus autem eis, accepit Jesus panem, & gra-
 tias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis
 suis, dicens: Accipite & comedite: Hoc est Corpus
 meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in
 meam commemorationem. Similiter accepto cali-
 ce postquam canavit, gratias agens, dedit illis,
 dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis
 meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro
 multis effundetur in remissionem peccatorum.*
 Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Sedens (m) Jesus in cæna cum beatis Apostolis
 suis, pridie quàm pateretur, Carnem suam dedit ad
 manducandum, & Sanguinem suum ad bibendum.
 Totus utique nobis datus, (n) & totus in nostros ex-
 pensus est usus. Sed (o) vnde hoc nobis piissime Jesu,
 ut nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos
 inquam qui pulvis & cinis sumus, te præsentem ha-
 bere

m Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 12. n Ser. 2. in Circumcis. 4.
 o Ser. de excell. ent. Sanctiss. Sacrament. n. 3. et 4.

bere mereamur præ manibus , præ oculis , qui totus & integer sedes ad dexteram Patris? Qui etiam unus horæ momento ab ortu Solis usque ad occasum , ab Aquilone usque ad Austrum præstò es omnibus , unus in multis , idem in diversis locis . Unde hoc inquam? Certè non ex debito , vel ex debito nostro , sed ex voluntate tua , & dulcedinis tuæ beneplacito . *Parasti enim in dulcedine tua pauperi Deus .* Pauper est genus humanum , cui bonum istud cælitùs indultum est . Hæc est verè indulgentia cælestis , hæc est verè cumulata gratia , hæc est verè superexcellens gloria , Sacerdotem Deum suum tenere , & aliis dando porrigere . O novam & divinam potestatem , cujus ministerio panis Angelorum & vitæ , mortalibus quotidie præparatur . Panis iste per excellentiam dicitur *Eucharistia* , idest , bona gratia . In hoc enim Sacramento non solum quælibet gratia , sed ille à quo est omnis gratia , sumitur . Christus enim pro salute mundi semel factus est Hostia salutaris , reconciliatio generalis , omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequenter virtutem dedit & efficaciam , ut tanta & tali Hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam . Unde legitur : *Quia Agnus occisus est ab initio sæculi* , his videlicet qui fuerunt ab initio : ita ut per hoc quod dicitur , *ab initio* , determines non tempus occisionis , sed salutis . Priùs enim mors ejus profuit , quàm fuit : priùs promissio , ac deinde exhibitio . Ab initio ergo sæculi occisus est . Inde est (p) quòd etiam quodammodò immolatur adhuc quotidie , donec mortem
ejus

ejus annunciamus . Benignissime Jesu (q) nobilissimum sponsæ tuæ Ecclesiæ dotalitium indulxisti , ut vel sic teneret columba tua dulcissimum memoriale dilecti sui . Christus enim pridie quàm pateretur , discipulis suis hujus Sacramenti formam præscripsit , efficaciam exhibuit , idest , fieri præcepit . Formæ præscriptio in pane & vino . Notate ordinem . Cùm adhuc cænaretur , à cæna surrexit , discipulorum pedes Dominus universorum lavit : dehinc ad mensam regressus ordinat Sacrificium Corporis & Sanguinis sui , seorsùm panem , seorsùm tradens & vinum . De pane ita dicens : *Accipite & comedite : Hoc est Corpus meum* . De vino etiam sic : *Bibite ex hoc omnes . Hic est enim Sanguis meus , qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* . *Effundetur* , dictum est , quia passim & uiliter : quem utique Sanguinem puncturæ veprium , fossio manuum & pedum cum clavis , lateris apertio cum lancea militari fortiùs exprimentes , ad modum torrentis fuderunt extrinsecùs . Profecùd non gutta (r) sed unda Sanguinis largiter per quinque partes Corporis emanavit . Eratquè (s) ille Sanguis preciosior cariorquè balsamo , per quem sordium nostrarum facta est mundatio . Porro Christus in cæna illa erat munerans & munus , cibans & cibus , conviva & convivium , offerens & oblatio . Cùm omnes juxta Pauli sententiam (t) administratorii Spiritus sint , missi in ministerium propter eos qui *hereditatem capiunt salutis* : Christus Dominus qui erat super illos , factus est inter illos tanquam unus ex illis , dissimulans

q Ser. de excellent. SS. Sacrament. n. 4. r Ser. 22. in Cant. nu. 7.
s Ser. de excellent. SS. Sacrament. n. 4. t Ser. 54. in Cant. n. 1.

lans injuriam, & accumulans gratiam. Sed audi ipsum. *Non veni, inquit, ministrari, sed ministrare, & animam meam dare pro multis.* Quod quidem cæterorum nemo fecisse inventus est, ut omnes quotquot ministrasse visi sunt, ipse devotis transferit fidelibusquè obsequiis. Bonus minister, qui Carnem suam in cibum, Sanguinem in potum, Animam ministravit in precium. Testatur Paulus Apostolus (u) qui raptus usque ad tertium cælum, beatæ illi Curiæ meruit interesse atque nosse ejus secreta: *Quoniam omnes administratorii sunt Spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Neque id cuiquam incredibile videatur, quando quidem ipse quoque Creator & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & Animam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate & felicitate ministrant? Si & hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit: *Millia, inquit, millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Alius quoque Propheta ad Patrem de Filio loquens, ait: *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Sic planè sic decet ut vincat & humilitate, qui sublimitate vincebat: sitquè tantò minor Angelis, quantò inferiori sese ministerio mancipavit; qui tantò excellentior est, quantò differentius præ eis nomen hæreditavit. Sed quæras fortassè in quoniam minoratus videatur ab Angelis, cum ministrare venit, quando quidem (ut supra meminimus) in ministerium mittuntur & illi? In eo utique, quòd non-
modò

u Ser. I. de S. Mich. Archang. 12. 1. 2. & 3.

modò ministravit, sed ministratus est: eratquè unus & idem qui ministrabat, & qui ministrabatur. Meritò proinde sponsa in Canticis Cantorum: *Ecce, inquit, venit is saliens in montibus, transfiliens colles.* Ministrans enim salit inter Angelos, sed & ipsos transfiliit ministratus. Ministrant enim Angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera non sua, sed nostra, ac nobis ejus gratiam referentes. Unde & Scriptura dicens: *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli, sollicitè præmisit data ei fuisse incensa multa.* Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lachrymas offerunt Deo; nobis quoque ejus munera referunt, & non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior universis, qui semetipsum obtulit Sacrificium laudis, qui Patri offerens Animam suam, nobis ministrat usque hodie Carnem suam. *Bonus pastor [x] qui animam suam dat pro ovibus suis.* Animam pro illis, Carnem illis. Illam in precium, istam in cibum. Res mira: ipse pastor, ipse pasqua est, ipse redemptio.

§. III.

Expositis igitur & materiâ & formâ Sacramenti, (y) restat dicendum quibus in verbis mandaverit Christus illud celebrandum. *Hoc facite, inquit, in meam commemorationem.* O verba nimis affectuosa! O verba pungitiva & penetrativa usque ad animam! *Hoc facite, inquit, in meam commemorationem.* Propheta etiam in Psalmo dicit: *Memoriam abundantie suavitatis tuæ eructabunt.* O summè
pia

x Sor. 31. in Cant. n. 11. y Ser. de excellent. SS. Sacram. n. 6.

pia & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Mors Christi opus sine exemplo, humilitas sine modo, donum sine precio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum, cujus livore sanati sumus. Quid facis homo indigne? Quid facis homo ingratus? Adora devotiùs, & recole frequentiùs in Sacramento Altaris Salutem mundi pro te passam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatire Capiti tuo. Si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem preciosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. Cæterum ut ampliùs movearis, imò ut magis incalendas in amorem tui Redemptoris: Christus voluit ut jugiter recoleretur per mysterium, quod semel offerebatur in precium: & illa perennis Victima viveret in memoria, & præsens esset semper in gratia. O homo (z) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Solus utique amor est (a) quem à nobis Deus exigit, quia quidquid divina lege indicitur vel interdicitur, ad solum amorem reducit. Solve tributum amoris, & Domino noveris satisfactum. Quid igitur (inquit aliquis) nobis prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigiliis & disciplinis jugis austeritas? Paucis accipe.

Quæ-

z. *Traité de 3. de præcip. myst. cap. 6. n. 17. a Lib. 3. de amor Dei c. 3. n. 15. & 16.*

Quædam sunt charitatis obsequia placentia & placantia, si in charitate fiant: at sine charitate nihil profunt. Hæc est enim virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur. *Non predicatio*: etsi linguis fiat Angelorum. *Non fides*: etiamsi montes transferat. *Non eleemosyna*: etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat. *Non corporis afflictio*: etsi tradatur corpus ita ut ardeat. *Non Missarum solemnia*: quia ante fratris reconciliationem munus offerri prohibetur. Ipse enim amor hominum Deus est, cui omnis creatura merito confitetur & dicit: *Bonorum meorum non eges*: sed hoc solum requirit ab omni homine, quod nulli constat esse difficile. Solus enim amor est, qui nomen difficultatis ignorat. Qui cum multa amico impenderit, pauca vel nulla se judicat impendisse. Hinc est quod annorum multitudo videbantur Jacob dies pauci præ amoris magnitudine. Verus enim amans quidquid pro amico patitur, vix sentit, dum sic totus amori intendat, ut præter dilectum nil planè cogitare sinatur, quem sicut signaculum gerit super cor, & super brachium suum. Et ideo (b) si amas animam tuam, propter Christum perdere debes eam, sive ponendo ut martyr, si necessitas exegerit, sive affligendo districtius ut pœnitens: quantum & genus martyrii sit, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, diuturnitate autem molestius. Sed respondent homines sæculares (c) cum eis suademus agere pœnitentiam, & dicunt: *Durus est hic sermo*. Nempe hoc est quod in Evangelio legi-

A a

mus

b Ser. 2. in Cena Domini. 9. c Ser. 3. super Psal. 90. vs. 3.

mus. Loquebatur de pænitentia ipse Dominus, sed in figura, tanquam his quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei. Cùm audirent dicentem, *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem*, dixerunt: *Durus est hic sermo, & abierunt retrorsùm*. Quid autem est manducare ejus Carnem & bibere Sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & eam conversationem imitari, quam gessit in Carne? Unde & hoc designat illibatam illud Altaris Sacramentum, ubi Dominicum Corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cùm enim justitia ingreditur, ille ingreditur qui factus est nobis à Deo Patre justitia. Sed & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sed tamen adhuc multi nobis dicunt: *Durus est hic sermo*. Ergone durum est momentaneum hoc & leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo & leuissimo labore cruciatus illos & tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur cùm dicitur: *Agite pænitentiam*? Erratis, sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum*. O verbum asperum! (d) o sermo durus! *Ite maledicti in ignem æternum*. Durior planè atque asperior illo, qui quotiè nobis de memoria Passionis in Ecclesia replicatur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit Sanguinem*

nenz

d Tract. de dilig. Deo. cap. 4. num. 11. & 12.

nem meum, habet vitam æternam. Hoc est: qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam. Hoc est, si compatimini, & conregnabitis. Et tamen plerique ab hac voce resilientes & abeuntes retrorsum, hodiequè respondent non verbo sed factò: *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Itaque generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus, sed magis sperans in incerto divitiarum, verbum modò crucis audire gravatur, ac memoriam Passionis sibi judicat onerosam. Verùm qualiter verbi illius pondus in præsentia sustinebit, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus?* At vero generatio rectorum benedicetur, qui utique cum Apostolo sive absentes sive præsentés contendunt placere Deo. Denique audient: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Tunc illa generatio quæ non direxit cor suum, serò quidem experietur, quàm in illius comparatione doloris jugum Christi suave & onus leve fuerit, cui tanquam gravi & aspero duram cervicem superbè subduxit. Non potestis, ô miseri, servire mammonæ simul & gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi, & sperare in pecuniæ thesauris: post aurum abire, & probare quàm suavis est Dominus. Proinde quem suavem in memoria non sentitis, asperum proculdubio in præsentia sentietis. Cæterùm fidelis anima & suspirat præsentiam Domini inhianter, & in memoria Passionis ejus requiescit suaviter: & donec idonea sit revelata facie speculari gloriam Dei, crucis ignominiâ interim gloriatur.

Habeamus ergo eorum [e] quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indefinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Unde Propheta David, *Delectare in Domino* inquit, ut spretâ mundi vitiorum omnium jucunditare, suavior ejus recordatio sit: & *dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis. Cui enim [f] Christus incipit dulciscere, profectò necesse est amarescere mundum. Est siquidem panis qui de cælo descendit, habens omne delectamentum & suavitatem saporis. Sapor est Patris per illam æternam & ineffabilem naturam. Sapor est Angelorum per gratiam. Sapor est noster per misericordiam.

CAPUT VI.

De triplici manducatione Corporis Christi Domini.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Joan. 6.

1. *Manducatio Corporis Christi est Sacramentalis simul & Spiritualis, quæ sanctificat utroque modo manducantem Corpus Dominicum: ac proinde ministri Altaris incontinentes tanguntur, & ad puritatem vitæ commonentur.* 2. *Manducatio Sacramenti Eucharistiæ est tantum Spiritualis, quæ gratiam confert, virtutesquæ augeat. Et ostenditur, quòd*

o Ser. 2. in Cena Domini, m. 9. f Ser. de verb. sap. m. 2. tom. 6.

quod dum Christus pascit nos Corpore suo, etiam ipse vicissim pascatur spirituali profectu nostro, penitentiâ scilicet nostrâ, & salute nostra. 3. Manducatio Sanctæ Eucharistiæ est tantum Sacramentalis, quæ indignè sumētibus magis præstat damnationem quàm salutem. Et ostenditur Sacramentum Eucharistiæ datum esse in pignus futuræ gloriæ nostræ.

S. I.

HVjus sacratissimi Panis [a] & venerandi Calicis, idest vivifici Corporis Domini & Sanguinis, triplicem esse sumptionem discretus Sacerdos ignorare non debet. *Prima est sumptio Sacramentalis & spiritualis*: & hæc vera, sancta & sanctificans, beata & beatificans, vitalis & vivificans. *Sacramentaliter & spiritualiter* sumit sanctam Eucharistiam quilibet religiosus Sacerdos, veste nuptiali, idest charitate decenter ornatus, & nulli mortali culpæ obnoxius, ad Altare Dei introjens, & Sacrum Mysterium ritè celebrans: eodem modo, & eodem merito sumit quisque fidelis, qui de manu Sacerdotis ipsum Sacramentum suscipit. Ipse tamen Sacerdos singulari prærogativa præ aliis insignitur, qui quotidie, dum non impediatur aliqua culpa vel infirmitas, habet potestatem Eucharistiam conficere & sumere: aliis verò permittitur tantum certis temporibus de manu Sacerdotis communicare. De hac prima sumptione, quæ est *Sacramentalis & spiritualis*, Dominus dicit: *Qui manducat meam Carnem, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & ego in*

A a 3

illo

a Tract. 3. de præcip. myst. cap. 12. n. 34. et 35.

illo. Et rursum: Qui manducat me, vivet propter me. Quid autem est manducare ejus Carnem [b] & bibere ejus Sanguinem, nisi communicare passionibus Christi, & eam conversationem imitari, quam gessit in carne? Unde & hoc designat illibatam illud Altaris Sacramentum, ubi Dominicum Corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. O genus Ecclesiasticum [c] regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis! Virtutes annunciate ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum, & ineffabile Mysterium suum. Vos estis lux mundi: vos estis sal terræ. Levitis dicitur: Mundamini qui fertis vasa Domini. Vobis autem dicendum est: Mundamini qui estis vasa Domini: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. In vobis sepelitur illud Corpus gloriosum & glorificatum, quod olim in Hierosolymis est sepultum exanime & defunctum. Certè Sanctus ille Joseph noluit illud sepelire nisi in sepulcro novo, in quo nondum quisquam positus fuerat: & studuit illud involvere in syndone munda. Væ tibi, si non posueris illud in sepulchro novo, vel saltem innovato, idest, in corpore à peccatis penitens mundo, vel, si peccasti, per pænitentiam & satisfactionem mundato. Væ tibi, si non posueris illud in syndone munda, idest, conscientia ab omni immunditia penitens defæcata & absoluta. Non sit in corpore

b Ser. 2. pag. 768. Super Psal. 90. m. 3. c tract. de 3. princip. m. 57. c. 1. p. 9. n. 28.

pore tuo conventio Christi ad Belial, non sit confessus Dei cum Idolis, non sit societas luci ad tenebras: peccatum non regnet in mortali corpore tuo; & sic dedicabis venerabile sepulchrum Christo, templum Spiritui Sancto. *Templum* (inquit Apostolus) *Domini sanctum est, quod estis vos*. Et iterum: *An nescitis quia corpora vestra templum sunt Domini, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Si hoc verè dicitur de quolibet claritatem habente, multò amplius dici debet de Sacerdote Deo placente. Perpende etiam [d] & attende devote Sacerdos, quantà diligentia, quantà vigilantia Sancti Angeli conservarunt locum Sepulchri, Corpore Dominico jam sublato, redivivo & glorificato: in quanta claritate, in quanta vultus & vestium venustate apparuerunt sanctis mulieribus sepulchrum visitantibus, & Corpus requirrentibus. Proculdubio scire debes, quòd si tu idem Dominicum Corpus, imò supra modum gloriosum & in Cælis regnans, & ad dexteram Patris honorificatum dignè tractaveris, mundum & novum sepulchrum tui corporis præparaveris: ipsa Angelorum non deerit tibi frequens custodia, animam tuam servabunt, corpus gubernabunt, in omnibus viis tuis te protegent, & dicent tibi tuisquè similibus: *Vos sancti Domini vocabimini ministri Dei nostri*. Vide ergo ne tangas illud Sacrificium, nisi innocens manibus & mundo corde. Alioquin ipse dicet tibi: *Noli me tangere*, quia tactus tuus contagium est. Nam qui fornicatur [e] in corpus suum peccat, magno illud privans honore, & pavendo addicens pudendoquè dedecori, tollens mem-

A a 4 brum

brum Christi, & faciens membra meretricis. Terribilis sermo [f] & qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Multi puritatis Auctori (g) impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare Angelum Domini, qui secet medios & disperdat: sed omnino audent Agni immaculati sacras contingere Carnes, & intingere in Sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulò ante carnes (proh dolor!) meretricias attrectârunt. Ingressiuntur cum hac macula (h) tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula, templum sanctum Domini polluentes, iudicium multiplex accepturi, quòd & tam gravissimas conscientias gerunt, & philominus sese ingerunt in Sanctuarium Dei. Tales enim nonmodò non placant Deum, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: *Non requireret.* Irritant planè & infensum reddunt sibi, vereor ne in his quibus eum repropitiare debuerant. Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia quasi homines qui iustitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ illis, qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt. Nemo tamen indignetur nobis (i), aut molestè accipiat quæ dicuntur. Si sanctus est, & minimè sibi conscius horum,

f Ser. 76. in Cant. n. 8. g Tract. de vit. et mor. Cleric. cap. 4. n. 13.
 h Tract. de convers. ad cleric. cap. 20. n. 37. et cap. 19. n. 33.
 i Tract. de vit. et mor. Cleric. cap. 4. n. 13.

congratulamur ei: doleat & ipse nobiscum in pluribus hæc inveniri. Nec enim revelamus nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, ut abominatio major appareat: nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum, quamvis & hæc in multis & multipliciter regnet. Sed nec eorum sacrilegia recensemus, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, vendunt Sacramenta, justitiam produnt: quorum guttur necdum traxit ad laqueum, necdum præfocavit fauces verbum blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Videmus hæc omnia, sed quodammodò non videntes, quippè quibus nec flagellum est, nec ille comedens zelus. Manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescant. Non autem accusamus universitatem, (K) sed nec universitatē possumus excusare. Reliquit sibi Dominus multa millia. Alioquin nisi eorum nos excusaret justitia, & illud nobis semen sanctum Dominus Sabaoth reliquisset, olim jam sicut Sodoma subversi essemus, & sicut Gomorrha similiter periissemus. Obsecramus per Sanguinem illum (l) qui pro animabus fusus est, ne tanti emptarum parvipendatur periculum. Quid enim turpius (m) quàm membra Christi Sanguine consecrata & conssepulta in Baptismate, libidinosis ardoribus maculare, nec attendere reverentiam præsentis Dei, minantis pænam, gloriam promittentis? Absit, ut aliquis nostrum huic idolo substernatur, ut Filium Virginis in Veneris templo suscipiat: ut Arcam Dei juxta Dagon collocet: ut nutritus in croceis stercora amplectetur.

Quid

k *Tract. de consuev. ad Cleric. cap. 20. nu. 35. l Epist. 79. nu. 1. m Ser. 3. de Nat. Dom. n. 7. tom. 6. pag. 623.*

Quid Petro cum Mago? quid Christo cum Antichristo? quid virgini & libidini? quid puritati & corruptioni? Absit, ut quisque vestrum ambulet in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum: qui Corpus Christi aut consecratis, aut Christi corpori ministratis. Electi servite Imperatori, ut cum Imperatore sedeatis, cum sederit in sede Majestatis suæ.

§. I I,

Altera sumptio (n) est tantum *spiritualis*: & hæc nihilominus gratiam confert, auget virtutes, meritum cumulat. *Spiritualiter* tantum sumit sanctam Eucharistiam quisque Fidelis, qui est de membris Ecclesiæ, perseverans in charitate: quia licet Sacramentum ore non contingat, virtutem Sacramenti tamen; idest, remissionem peccatorum & spiritualis gratiæ infusionem, per fidem & unionem Ecclesiæ sibi comparat. De hac secunda sumptione, quæ est tantum *spiritualis*, ipse Dominus loquitur: *Caro nihil prodest, spiritus est qui vivificat*. Ac si diceret: Si intelligis tantum carnalem sumptionem absque gratia, nihil tibi prodest, imò nocet: spiritualis verò absque carnali te vivificat. Novit autem quicumque rectè sapit (o) quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat, Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem in memoria: quod est *spiritualiter* manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui cre-

n *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 12. n. 34. & 35.* o *Ser. 2. in Cena Domini n. 9.*

credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. In quo etiam quàm impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palàm est omnibus: cùm amici morientis, vel peregrè proficiscentis commendatam sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem hujus reverendæ commemorationis mysterium, suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum est mysterium. Rem verò mysterii omni tempore, & in omni loco dominationis Dei modo quo traditum est, id est, debitæ pietatis affectu, & sanctæ imitationis effectu agere, tractare & sumere in salutem cunctis Fidelibus in promptu est. Nam & Sacramentum sicut accipit ad vitam dignus, sic ad iudicium & mortem propriam indignus. Sacramentum enim sine re Sacramenti, mors est sumentis. Res verò Sacramenti etiam præter Sacramentum, vita æterna est accipienti. Quoties in commemorationem eius qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, Corpore ejus manducas, & Sanguinem ejus bibis: & quamdiu in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ & sanctitatis operationem, in ejus Corpore & in membris ejus computaberis. Tunc enim nos Jesu Christo (p) & Jesus Christus nobis in unitate fæderatur inenarrabili, sicut ipse dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Et fortassis hoc est (q) quod dicitur *pasci inter lilia*, candore & odore virtutum delectari. Et quidem pascebatur olim corporaliter apud Mariam

&

& Martham, & recumbens etiam Corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant) nihilominus spiritum refocillabat devotione & virtutibus mulierum. Quod si illâ horâ intrasset Propheta, aut Angelus, seu alius quivis spiritualis vir, tantum non ignorans quæ Majestas recumberet, nonne stupens dignationem & familiaritatem (quam illi esse conspiceret cum puris animis pudicisque, corporibus tamen terrenis & sexus infirmioris) meritò testaretur, quia vidi illum nonmodò commorantem, sed & pascentem inter lilia? Puto autem quòd & ipse vicissim pasceret, sed in spiritu. Hoc ipso quo pascebatur, quomodò pascebat? Quomodo inquam confortabat timiditatem fæminarum, jucundabat humilitatem, impinguabat devotionem? Sed si vidiſti quòd pasci illi sit pascere, vide etiam nunc ne fortè & è converso pascere sit ei pasci. *Domine, qui pascis me à juventute mea*, ait sanctus Patriarcha Jacob. Bonus paterfamilias, qui suorum domesticorum curam gerit, maximè in diebus malis, ut alat eos in fame, cibans illos pane vitæ & intellectus, & sic nutriens ad vitam æternam. At pascens ita puto nihilominus pascitur ipse, & quidem escis quibus libenter vescitur profectibus nostris. Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo (r) & cum pascit pascitur, & cum pascitur pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens. Cibus ejus pænitentia mea, & cibus ejus salus mea: cibus ejus ego ipse. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum, ut mander

r *Ibidem* num. 5.

ducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm in-
 stituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm
 transformor, unior cùm conformor. Nolite mi-
 rari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis,
 quo arctiùs illi astringamur. Non sanè aliàs perfectè
 unimur illi. Nam si manduco & non manducor,
 videbitur in me esse ille, sed nondùm in illo ego.
 Quodsi manducor quidem nec manduco, me in se
 habere ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec
 enim perfecta unitio in uno quovis horum. Si enim
 manducet me, ut habeat me in se: & à me vicissim
 manducetur ut sit in me, quatenùs integra firmaquè
 sit connexio, cùm ego in eo, & nihilominùs in me
 ipse erit. Et tamen ego licet pulvis & cinis (s) fre-
 tus quidem Scripturæ auctoritate minimè istud dice-
 re verear, quia unus cum Deo spiritus sum: si un-
 quam tamen certis fuero persuasus experimentis Deo
 me adhærere instar unius illorum qui in charitate
 manent, ac per hoc in Deo manent, & Deùs in eis,
 manducantes Deum, & manducati à Deo. Nam
 de tali adhæsiõne puto dictum: *Qui adhæret Deo,*
unus spiritus est. Unus utique spiritus dicitur & est
 cum Deo, adhærens Deo: nec præjudicat rerum plu-
 ralitas unitati huic, quam facit non confusio natura-
 rum, sed voluntatum consensio. Deus (t) licet
 ubique æqualiter est per suam simplicem substan-
 tiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quàm in
 cæteris, & ipsarum aliter in bonis quàm in malis est
 per efficaciam. Ita sanè est in irrationalibus creatu-
 ris, ut tamen non capiatur ab ipsis: A rationalibus
 autem omnibus quidem capi potest per cognitio-
 nam,

s *Ibidem num. 6. & 7. t Ser. 3. super. missus num. 4.*

nem, sed à bonis tantùm capitut etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, ut Deum non dedecet velle quod ipsi volunt: per hoc quòd ab eis voluntate non dissentiant, Deum sibi specialiter jungunt. Et hæc unio ipsis est communio voluntatum (u) & consensus in charitate. Felix unio si experiaris, nulla si comparaveris. Vox experti: *Mibi autem adhærere Deo, bonum est*, Bonum planè, si ex omni parte adhæseris. Quis est qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominùs in se traxit vicissim diligendo? Ergo cum undique adhærent sibi homo & Deus, inhærent autem undique intima mutuaquè dilectione inviscerati alterutrum sibi: per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse haud dubiè dixerim. Sed homo quidem ab æterno in Deo tanquam ab æterno dilectus, si tamen ex illis sit qui dicunt: *Quoniam dilexit & gratificavit nos in dilecto Filio suo ante mundi constitutionē.* Deus verò in homine, ex quo dilectus ab homine est. Et si ita est, homo quidem in Deo est, & quando in homine Deus non est: Deus autem in homine non est qui non sit in Deo. Manere enim in dilectione non potest etli forsitan ad tempus diligit non dilectus, potest autem nondum diligere etiam dilectus. Alioquin quomodo stabit: *Quoniam ipse prior dilexit nos?* Porro cum jam diligit qui ante diligebatur, & homo in Deo, & Deus in homine est. Qui autem nunquam dili-

diligit, constat quòd nunquam dilectus est: ac per hoc nec ipse in Deo, nec Deus in eo est.

§. III.

Tertia sumptio (x) est tantùm *Sacramentalis*. Et hæc damnabilis & condemnans, Deo adibilis, & ab eo separans, & nullo modo beatificans. *Sacramentaliter* tantùm percipit sanctam Eucharistiam, qui in culpa mortali perdurans communicare præsumit. Et is talis socius est traditoris Judæ: & meliùs fuerat si natus non fuisset homo ille, nisi resipiscat & dignè Deo satisfaciat. De hac tertia sumptione, quæ est tantùm *Sacramentalis*, dicit Apostolus: *Qui manducatur et bibit indignè, iudicium sibi manducatur & bibit, non dijudicans Corpus Domini*: quod est dicere, non discernens Corpus Domini ab aliis cibis. Hæc est salubris distinctio Corporis Dominici ab aliis cibis: quia cùm alios cibos sumimus, eos corpori nostro incorporamus: cùm verò Domini Corpus in escam suscipimus, si dignè agimus, Domino incorporamur, imò toti in Deum transimus: quia *qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*. Felix viator, qui tali viatico reficitur: quod securè reducit eum per viam, & traicit in patriam. De bonis (y) & dignè sumentibus hoc sentiendum est, non de flagitiosis & pessimis. Sanè in mensa una, in cæna Domini, de uno pane consecrato Petrus & Judas accepit: bonus in vitam, pessimus in pænam. Bonus in beneficium, pessimus in testimonium. Bonus in salutem, pessimus in mortem. Quod totum usque adhuc in Ecclesia

x *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 12. n. 34. & 35.* y *Ser. de excellent. SS. Sacramen. n. 5.*

clesia completur in Sacramento Altaris: bonis quidem in bonum sumentibus, canibus verò & immundis non sic. Canes sunt qui irreverenter accedunt, & ideo judicati abscedunt. Qui enim secundum carnem vivunt, & post carnalia evagantur, catenâ vitiorum compediti: cum Juda proditore venenum accipiunt, spiritualis suspendii laqueum incurrunt, gravissimè damnandi, tum pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti contemptu: quòd revera accipiunt, sed essentiâ, non salubri efficacia. An non discernet inter glebas, qui discernit & inter stellas? Examinabit certè argentum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Ecce audistis fructum & utilitatem bonorum, audistis etiam & expavistis (ut credo) ad perditionem malorum: audite modò, & obstupescentes admiramini. Nul-li Angelorum, nullis Spiritibus supernis, sed hominibus, nec tam omnibus, sed Ordini Sacerdotali tantùm mandatum esse legimus tanti Sacramenti celebrationem in Altari, quod Christus fecit manibus suis in Cæna Paschali. Ipsi ergo Sacerdotibus (z) ministerium suum digna officii executione honorantibus primâ sumptio congruit, & per eos tantùm aliis Fidelibus sumptionis dispensatio competit. Ipsi enim habent claves Sacramenti: ipsi sunt veri mediatores inter Deum & hominem. Ipsi sunt vox & organum Sanctæ Ecclesiæ: ipsi offerunt Deo plebis preces, & referunt propitiationes. O quàm fidelis promissor, quàm verax exhibitor, quàm munificus largitor! Dixisti enim Domine Jesu: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

Hæc

Hæc verè dixisti. *Propè est verbum* (ait Scriptura) *in ore tuo, & in corde tuo*. Verbum quod in principio erat apud Deum, in fine seculi dignatur esse hominem. Est in ore, est in corde. Quid propius, quid magis intrinsecum? Est in ore tuo: ergo *laus ejus semper in ore tuo sit*. Est in corde tuo: ergo *confitere ei in directione cordis, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Quas retributiones ejus? *Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Sanat omnes infirmitates tuas. Redimit de interitu vitam tuam. Coronat te in misericordia & miserationibus. Replet in bonis desiderium tuum*, dans seipsum tibi in viaticum: Ut jugiter recoleres per mysterium (a) quod semel offerebatur in precium: & illa perennis Victimæ viveret in memoria, & præsens esset semper in gratia. O summè pia & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Christe Jesu (b) mortis tuæ memoria est tanquam opus pigmentarii, quasi thus redolens in diebus, quasi regio aromatum quam purgat æstus solis, & quasi flores rosarum in diebus verni, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ. Gratulare sponsa Ecclesia, gaude incomparabiliter. Præsidentem habes & rectorem Sponsum Jesum in præsentis exilii militia. Pignus habes, arrham tennes, quibus feliciter Sponso uniaris in patria. Gloriosa & amabilis sponsa, in terra Sponsum habes in Sacramento, in cælis habitura es sine velamento. Et hîc & ibi veritas: sed hîc palliata, ibi manifesta. Hîc utique Sponsum habet Ecclesia suo ordine, nondum puritatis majestæte, vel æternitatis securitate. Hîc revera quasi dulce præludium, & jucunda de-

B b

spon-

a *Ser. de excellent. SS. Sac. n. 6.* b *Ibidem, n. 7.*

sponsatio : ibi nuptiale convivium , & beata fiet conjunctio : cum de fide ad speciem , de mensa ad mensam , de Sabbatho ad Sabbathum , de calore panum ad æternalis convivii calorem transibimus . Jam desponsata est Sponso suo Jesu (c) jam nuptiarum prandium celebratur ; nam cæna quidem in cælo & in aula æterna paratur . Verumtamen numquid ibi vinum deficiet ? Absit . Inebriabimur ibi ab ubertate domus Dei , & torrente voluptatis ejus potabimur . Paratum est profectò illis nuptiis flumen vini , vini inquam quod lætificat cor . Siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei . Nunc autem quoniam grandis nobis restat via , prandium quidem accipimus hîc , etsi non in tanta copia , quod plenitudo & satietas cænæ reservetur æternæ . Unde meritò suspirat sponsa [d] & dicit cum Moyse : *Ostende mihi teipsum* . Nec immeritò . Ipse enim Jesus , qui dulcis est in voce , dulcis in facie , dulcis in nomine , dulcis in opere : dulcior apparebit in Deitatis visione . Suspirat inquam præsentiam inhianter [e] & in memoria requiescit suaviter : & donec idonea sit revelata facie speculari gloriam Dei , interim crucis ignominiâ gloriatur . Sic profectò , sic sponsa & columba Christi pausat interim & dormit inter medios clericos , sortita jam impræsentiarû de memoria abundantia suavitatis tuæ Domine Jesu pennas deargentatas , innocentia videlicet pudicitiaquè candorem : & sperans insuper adimpleri lætitiâ cum vultu tuo , ubi etiam fiant posteriora dorsi ejus in pallore auri , quando in splendoribus

San-

c Ser. 2. in Dom. 1. post. oct. Epiph. 1. 2. d Ser. de excell. SS. Sacram. 7.
e Tract. de diligens. Deo cap. 4. 2. 2.

Sanctorum introducta cum gaudio, Sapientiæ plenius fuerit illustrata fulgoribus. Meritò denique jam nunc gloriatur & dicit: *Leva eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* In *leva* reputans recordationem illius charitatis, quâ nulla major est, quòd animam suam posuit pro amicis suis; in *dextera* verò beatam visionem, quam promisit amicis suis, & gaudium de præsentia majestatis. Dives est omnibus qui invocant eum [f] nec tamen habet quidquam seipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit captivarum. O homo (g) quid retribuies Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Solve ergo (h) tributum amoris, & Domino noveris satisfactum.

C A P U T V I I.

De vera & reali existentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ: & de ritu, & apparatu Sacrificii Missæ.

Panem Angelorum manducavit homo. *Psal. 77.*

1. Ostenditur quanta sit excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in qua verè & realiter existit Christus per suam divinam & humanam substantiam.
2. Ostenditur, Christum existere in Eucharistiæ cum eadem divinitate, in qua manet in calis, sedens ad

B b 2 dex-

f *Ibidem* cap. 7. num. 22. g *Tract. de 3 præcip. myst. cap. 6. num. 17.*

h *Lib. 3. de amore Dei cap. 3. n. 15.*

388 *Philosophiæ Christianæ*
dexteram Dei Patris . 3. Exponitur apparatus
& ritus Sacrificii Missæ : & quæritur cur sit insti-
tutum sub speciebus panis & vini .

§. I.

Non lateat vos reverendi Sacerdotes [a] seriem hanc vobis recitatam , verbis succinctam , sensuum spiritualium majestatem apprimè fore facundam . Vobis autem potissimum incumbit præ cæteris audire quod proponimus : nec solum audire , sed fidiùs reponere , & tanquam animalia munda propensius debetis ruminare . Beatus ille David Prophetarum eximius , Deo viventi charissimus , in spiritu ante sedentem in Thronis raptus , legerat in quodam promptuario mysteriorum , quæ & quanta Dominus naufraganti mundo per vestrum clementer erat exhibiturus ministerium , qui cælestis consilii sanctus interpres gratulando concinit : *Panem Angelorum manducavit homo* . Unde ad exprimendam rei tam fructuosæ certitudinem , dilucidè signavit præteritum pro futuro : *Panē*, inquit, *Angelorū manducavit homo* . Hoc autem (b) liberalioris excellentiæ donum contulit vobis primò Sacrosancta Verbi Patris Incarnatio : & vos secundariò de die in diem exhibenda ministratis ex collatæ potestatis officio . O præclara , ô reverenda potestas vestra ! Certè non est potestas post Deū , sicut potestas vestra . Et proinde vix potest esse (c) quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsentem , qui devotè
& li-

a Ser. de excell. SS. Sac. n. 1. b Ibidem. n. 3. c Opusculo , ad quid venisti. cap. 11.

& libenter ministrat ad Sacramentum illud tam salutare: quo nil melius, nil uè sanctius esse potest in cælo & in terra: & quodammodò divinæ dignationis est, & dilectionis ad homines. Quid enim majus facit Deus, quàm quotidie veniendo super Altare? Qui de cælo descendens formam assumpsit humanam, & ideo reliquit memoriale totius dilectionis in seipso, Incarnationis, redemptionis, glorificationis. Qui datus est nobis primò in redemptionis præcium [d] non cessat se nobis dare quotidie in viaticum. Primò passibilis & passionibus expositus, nunc impassibilis & gloriâ & honore coronatus: tunc homo mortalis, nunc homo victor mortis: tunc paulominus ab Angelis minoratus, nunc præ Angelis omnibus sublimatus. *Tantò melior* (ait Apostolus) *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*. Cui enim aliquando Angelorum dixit Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursùm: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. Et rursùm cùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. In hoc loco, dilecte Dei Sacerdos, videtur mihi maximè consistere summa desiderii tui, quòd cupis illustrari aliquatenus claritate illa, quam habuit Verbum Incarnatum post glorificationem humanitatis assumptæ. Cupio satisfacere voto tuo, & velle adjacet mihi, perficere autem ex me non invenio, nisi ille det, qui dat omnibus abundanter, & non impropert. Quod ergo dare dignabitur mihi quidem pigrum scribere non erit, tibi autem necessarium. Primò adverte [e] quod scriptum est:

Deus habitat lucem inaccessibilem. Et rursùm: *Deus noster ignis consumens*. Quod utrumque dictum est de divina essentia, in qua Pater unum est cum Filio & Spiritu Sancto: quia in illa Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus vel minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Unde & Filius ait: *Ego & Pater unum sumus*. Si ergo unum sunt, habitant eandem lucem inaccessibilem: sunt idem ignis consumens, & eadem claritas, eadem potentia, eadem sapientia, eadem majestas, eadem æternitas. Est itaque Filius à Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Est utique splendor paternæ gloriæ. Hinc & Apostolus ait: *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*, haud dubium quin Patris: splendet ergo æquè Filius ut Pater, imò idem splendor Filius qui Pater. Sufficiuntne ista tibi testimonia de claritate Filii? Aut fortasse dices te magis desiderare, te delectari claritate ejus, prout Deus est. & homo? Nec in hac parte ipsius opitulante gratia deerunt testimonia. Primò te monitum esse volo, ne æstimes offuscata Verbi claritatem, per assumptam in Deo humanitatem. Audi quid scriptum est: Deus assumpsit humana, non reliquit divina: assumpsit quod non erat, manens quod erat. Sicut autem (f) cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione, vel ante vocem, vel post vocem: sic Filius Dei assumpsit carnem, non commixtionem passus neque diminutionem, nec ante carnem, neque post carnem. Apud Patrem invisibilis, sed hîc manus nostræ tra-

Clave-

d *Tract. de 2. princip. myst. cap. 7. n. 18.* e *Ibidem n. 19. & 20.* f *Ser. in ser. 4. bebb. san. n. 13.*

Claverunt de Verbo vitæ : & quod erat ab initio , vi-
 dimus oculis nostris . Angelus (g) ad Mariam ait :
Spiritus Sanctus superveniet in te , & virtus Altissi-
mi obumbrabit tibi . Cujus dicti intelligentia hæc
 est : Spiritus Sanctus operabitur in te incarnationem
 Verbi incarnandi , separando à carne tua portiuncu-
 lam quæ animabitur , & Divinæ essentia in unitate
 personæ copulabitur . Verùm dicet aliquis : Quænam
 causa fuit obumbrationis Altissimi Virtutis ? Hæc
 nimirum præcipua fuit . Caro Virginis nisi qua-
 dam latente operatione obumbrata fuisset , splendo-
 rem tantæ majestatis sine sui consumptione nequa-
 quam ferre potuisset . Unde Dominus ad Moysen
 ait : *Non videbit me homo super terram , & vivet .*
 Ac si diceret : Tantæ sum in natura divina claritatis ,
 ut homo constitutus in mortali carne videre me ne-
 quaquam poterit absque sui consumptione . Inde
 est , quod cum Moyses in multa constantia Domino
 supplicaret , dicens : *Domine , ostende teipsum mihi :*
 Dominus ait , *Sta in foramine petra , & cum pertran-*
siero , videbis posteriora mea : faciem autem meam videre
non poteris . Hoc ait , per faciem designans divini-
 tatem , per posteriora humanitatem : quam tamen
 Moyses corporali intuitu non vidit , sed posteris vi-
 dendam reliquit . Exemplariter quidem cognosci-
 tur , quando gloriosa Caro Christi , quæ in Altari con-
 ficitur , & fidelibus in viaticum distribuitur , igne
 divini ardoris clarificatur . Sicut enim clarissima
 purpura candidissam lanam inficit , & totam in sui
 colorem transire cogit : & quemadmodum anima
 totum corpus animat , vegetat , & vivificat : & sicut

ignis ferrum transfuerberans ignitum reddit, candorem suum & calorem conferens, ipsum scintillare, flammescere, & urere contra naturam suam facit: Sic Deus hominem sibi unitum deificat, & supra omnem creaturam exaltatum puritatis omnipotentia & Deitatis prerogativa secum clarificat. Filius de seipso testimonium perhibet dicens: *Ego lux veni in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*. Et iterum ait: *Ego sum lux mundi*. Joannes idipsum expressè loquitur inquit *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ad Patrem quidem ante passionem orans, locutus est Filius dicens: *Clarifica me Pater apud te metipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret*. Cui Pater: *Et clarificavi, & clarificabo*. Quid clarius? quid manifestius? quid evidentius?

§. II.

Porro [h] ex Evangelio collige claritatem, quam nunc habet Deus homo secundum hominem clarificatus: qui appropinquante tempore, quo transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, assumpsit Petrum & Joannem & Jacobum, & ascendit super montem Thabor, & transfiguratus est ante eos, & splendida facta est facies ejus sicut Sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix: qualia fullo non potest facere super terram. Et apparentibus Moyse & Elia, cum intuerentur claritatem vultus ejus, ferre fulgorem non poterant, sed timentes valdè, & consternati animis, quasi exanimes lapsi sunt super terram. Si igitur tanti jubaris, tam radiosi splendoris, humanis obtu-

obtutibus tam importabilis claritas apparere dignatus est, Corpore adhuc mortalitati obnoxio, & membris nondum corruptionis exutis: quantam claritatem credere inesse debemus Filio Dei in forma hominis assumpti jam glorificati, jam super Cælos cælorum exaltati, jam habenti nomen quod est supra omne nomen, ita ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium, & terrestrium, & infernorum: jam constituto in die Virtutis suæ, in splendoribus Sanctorum? Ubi Pater jucunditatem & exultationem thesaurizans ait: *Ante luciferum genui te*. Ibi revera lucet in die Virtutis suæ, in die æternitatis suæ. Hanc nimirum diem nulla nox interpolat (i) nulla interrumpit obscuritas, nulla caligo sequestrat. Ibi circūdatur abyſſo luminis, ibi immēsum pelagus claritatis. Ibi ipse Christus tanquam Sol refulget in clypeos aureos, & resplendent montes ab eo: ibi illustrantur ab eo Sancti. Unde Propheta David ait: *Illuminans tu mirabiliter à montibus sanctis*. Et rursùm scriptum est: In circuitu tuo Domine lumen est, quod nunquam deficiet, ibi requiescunt Sanctorum animæ. Et iterum: Sanctum est verum lumen & admirabile ministrans lucem his, qui permanserunt in agone certaminis, recipiunt à Christo splendorem sempiternum, in quo assiduè felices lætantur. Ecce quàm vera, quàm consona testimonia de illa beata & ineffabili claritate, in qua Christus est, imò quæ Christus est, quæ nequit minui, augeri non potest: quia immensa, quia æterna est, quia superat omnem sensum, quia omnem cogitatum excedit, omnem æstimationem supergreditur. Et homo accedit

i *Ibidem* 10. 22.

cedit ad cor altum, & incomprehensibiliter in sua claritate exaltabitur Deus. Semper eadem manet claritas, in nullo accessu assumit augmentum, & in nullo decessu patitur detrimentum. Non decrevit per assumptum hominem: non magis excellit in Deo per glorificatum hominem. Et hoc manifestat Propheta David dicens: *Tu autem idem ipse es & anni tui non deficient.* Abacuc quoque Propheta intuens hanc lucem, ait: *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.* Apertè designans, quod etiam, cum manus ejus Cruci affixæ fuissent, licet ipse Sol radios suos obumbrasset ne Christum morientem in Cruce viderent, lux Deitatis non minùs in Christo enituit: unde præmisit, *Splendor ejus ut lux erit.* Manet igitur (k) claritas Verbi incarnati in homine glorificato: persistit in isto ad dexteram Patris collocato, non tempore decrescit, nec tempore minuitur, nullo eventu obscuratur: splendet æquè cum est in Altari, ut in sublimitate Cæli: non minùs radiat cum est in manibus Sacerdotis, quàm in sinu Dei Patris. Porro (l) potesne æstimare quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum, & Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc sunt verè festa Paschalia: hæc sunt gaudia & fercula vitalia justorum: hæc sunt spirituales deliciae justorum & sanctorum. Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis. Hic efficitur vna caro sponsa cum Sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo. Experiencia horum & similium, spiritus & vita est: nec
ani-

k *Ibidem* n. 23. l *Ser. de excell. SS. Sacr. n. 10.*

animalis homo horum sensu fruitur vel accessu. Amici Sponsi, id est, boni Episcopi, Abbates, & ceteri timorati & Religiosi viri gustaverunt, & plenissime experti sunt quod nos dicimus. Ideoque ad mensam Altaris frequentius accedunt, omni tempore candida facientes vestimenta sua (idest corpora) prout possunt melius, utpote Deum suum manu & ore contrectaturi, & colloquentem sibiipsis audituri. Ibi enim celebratur familiare colloquium inter Deum & Moysen amicum suum, idest bonum & fidelem ministrum. Magnum profectò (m) & valde necessarium est humilitatis exemplum, magnum & omni acceptione dignum charitatis exemplum: sed non habent fundamentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio. Volo totis visibus humilem sequi Jesum: cupio eum qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, quibusdam brachiis vicariæ dilectionis amplecti: sed oportet me & Agnum manducare Paschalem. Nisi enim manducavero Carnem ejus, & bibero ejus Sanguinem, non habebō vitam in memetipso. Aliud est sequi Jesum, aliud tenere, aliud & manducare. Sequi, salubre consilium: tenere & amplecti, solenne gaudium: manducare, vita beata. Caro enim ejus verè est cibus, & Sanguis ejus verè est potus. Panis est Dei, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Super omnia (n) Caro Domini verè est cibus, & cibus vitæ, panis de cælo vivus. Panis iste est Eucharistia: (o) quoniam panis, inquit, quem ego do, Caro mea

m Tract. de error. Abailar. cap. 9. num. 25. n Ser. 3. in Dom Pal. 11. 4. o Ser. 1. in Dom. 6. post. Pent. n. 4.

mea est pro mundi vita. Hostia quam vides (p) jam non est panis, sed Caro Christi, quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis. Virtus hoc facit, non usus: effectus est potentiae, non usus naturæ: dignatio est, non ratio: misericordia est, non miseria. Non commune, sed solùm Divinum est, non humanum: pietatis Sacramentum est, non Deitatis detrimentum. Hic pereat physicale nutrimentum. Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas hujus vitæ, quæ vapor est ad modicum parens: sed ad æternam vitam animæ conferendam. Iste est panis Angelorum, qui nescit putrescere, non vadit in secessum, nec tendit in excessum. Illuc reducit hominem, unde traxit imaginem. *Caro autem mea verè est cibus*. Similiter liquor iste quem vides, jam non est vinum, sed Sanguis meus, quem pro te fudi in precium: tibi reservans in Altari poculum, in peregrinatione tua præsidium, in exitu de Ægypto conductum, in cælo vitaticum. Ego botrus carnis, pro salute tua portatus sum ad torcular Crucis: inde liquatum mustum tuæ redemptionis. *Sanguis autem meus verè est potus*. Bethleem domum panis (q) Juda sonat confessionem. Tu ergo si Divini Verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterquè & si non dignâ certè quantâ potes devotione suscipias panem illum, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, Dominicum videlicet Corpus Jesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis Caro reficiat & sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatus
gluti-

p Ser. de excell. SS. Sacram. 11. q Ser. 1. in vignet. Dom. 11. 6.

glutino, valeat continere. Si denique ex fide vivas, & nequaquam gemere oporteat quia oblitus sis comedere panem tuum, Bethleem factus es dignus planè susceptione Dominica, si tamen Confessio non defuerit. Sit proinde Judæa sanctificatio tua: confessionem & decorem induere, quam maximè stolam in ministris suis Christus acceptat. Salubre est ei sæpè communicare (r) qui omni devotione & studio virtutum, & custodia sui non solum à magnis peccatis, sed etiam à levitate verborum & operum & cogitationum, se ad hoc studet aptare. Licet enim omni tempore debeamus esse solliciti ad spiritualia opera: convenit tamen maximè, ut ad susceptionem tanti Sacramenti nos præparemus, & susceptum reverenter custodiamus.

§. III.

Apparatus mensæ Dominicæ (s) non hominis est, sed fidei: non facinoris, sed mysterii: non temporalis alimenti, sed æterni. Qui est auctor muneris, ipse est testis veritatis. *Altare* cui assistis, *Crucem*, quam pro te Christus Instituit, repræsentat: & *Calix sepulchrum*, in quo mortuus quievit: *Paterna* lapidem superpositum: *Corporale* sudarium: *Substratoria* corporalis, linteamina quibus involutus fuit. *Hostia* quam vides, jam non est panis, sed caro illa quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Et quanquam panis mysteria habet, mutatur tamen in Carnem. Deus & homo est, qui testatur panem veraciter fieri Carnem suam. Vas electionis est, qui minatur judicium non dijudicandi tam sanctam Carnem.

r Cp:sc:ad quid venisti cap. 11. s Ser:de excell:SS: Sacram: 11. & 12.

nem . Idipsum , ô Christiane , de vino sentias , id honores in vino . Creator vini est , qui vinum provehit in Sanguinem Christi . Doctor Gentium est , cujus assertionem mortem bibit , bibens indignè Sanguinem Christi . Et sciendum est , (t) quod aqua mixta cum vino , notat unionem membrorum cum Capite suo . *Aqua enim multa , populi multi* . Tres autem portiones , quæ in Altari fiunt de Corpore Christi , mysticam significationem habent . Est enim Corpus Christi universa Ecclesia , Caput scilicet cum mèbris : & inveniuntur in Corpore isto quasi tres partes , ex quibus totum corpus constat . *Una* pars ipsi caput . Caput enim & caput est , & pars corporis similiter . Itaque caput ipsum pars corporis una est . Caput , inquam , quod jam immortale & impassibile resurrexit , non moriturum neque passurum amplius . *Alter* pars Corporis est in membris illis , quæ jam cum Capite suo quasi in sabbatho quiescunt in anima : immortalitatis unam stolam possidentes quantum ad Animas in caelo . De talibus dicitur : *Gaudent in caelis anima Sanctorum* . Sunt igitur duæ partes istæ simul , caput scilicet , id est Christus : & altera pars corporis , id est , boni defuncti , quorum corpora requiescunt in sepulchris , & animæ cum Christo sunt . Propterea in Altari duæ partes reservantur extra Calicem , quasi extra passionem : quia beati jam nullum sentiunt dolorem , quoniam hæc priora transierunt . *Tertia* portio , quam in Sanguinem ponimus , illam partem Ecclesiæ significat , quæ calicem Domini bibit , id est Christi passionem imitatur . Cui in Apostolis à Domino dictum est : *In me pacem habeatis ; in mundo*

1 Ibidem. 12.

do pressuram habebitis. Audi etiam (u) quid Sacerdos in consecratione corporis Christi dicat; *Rogamus*, inquit, *hanc oblationem fieri benedictam*, per quam nos benedicamur. *Adscriptam*, per quam nos omnes in cælo conscribamur. *Ratam*, per quam in visceribus Christi censeamur: *Rationabilem*, per quam à bestiali sensu exuamur. *Acceptabilemque facere digneris*, quatenus & nos per hoc quod in nobis displicemus, acceptabiles in ejus unico Filio Jesu Christo simus. Porrò mira sunt (x) quæ de hoc Sacramento Eucharistiæ dicuntur. Fides est necessaria; scientia rationis supervacua. Scientia ratione & intellectu colligitur; fides sola auctoritate inducitur. Augustinus contra Felicianum ait: Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Hæc sunt, Fratres, quæ fidem necessariò exigunt, rationem omninò non admittunt. Expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem. Et ideo credi oportet simpliciter, quod investigari non potest utiliter. Hic est ille torrens, quem tranfluere non potuit Helisæus. Nolite itaque nolite quærere quomodò fiat, nolite dubitare, utrum fiat. Nolite irreverenter accedere, ne vobis ad mortem fiat. Deus enim est: & quamquam panis mysteria habet, mutatur tamen in Carnem. Odor (y) species, sapor & pondus remanent ad mysterii ritum, & ad gustûs suffragium, ut horror penitùs tollatur, & meritum sortiatur. Etenim, ne humana infirmitas esum carnis & potum sanguinis

v Tract. de modo bene vivendi. cap. 28. n. 87. x Ser. de excellent. SS. Sacramenti n. 12. y Ibidem n. 14. & 15.

nis in sumptione horreret, Christus velari & palliari illa duo voluit speciebus panis & vini, quæ inter humani generis victualia quodammodò tenent principatum. Nam ad literam quidem præ cibus omnibus cor hominis confirmat panis, & vinum lætificat. Sic itaque Corpus & Sanguinem suum sumenda proposuit Christus, ut sensus in uno foveretur, in altero fides ædificaretur. Fovetur enim sensus in uno, dum solita tantùm & consueta prospicit: ædificatur fides in altero, dum oculo carnis vidente aliud exterius, oculus cordis aliud sentit & reveretur interius. Aliud enim latet, aliud patet. *Posuit enim tenebras latibulum suum*. Quemadmodùm enim species illic videntur, quarum res vel substantiæ ibi esse non creduntur: sic res veraciter & substantialiter creditur, cujus species non cernitur. Videntur quidem species panis & vini, sed substantia panis & vini non creditur. Creditur autem substantia Corporis & Sanguinis Christi: & tamen species non cernitur. Proponitur igitur species panis & vini, ut doceatur & perfecta esse refectio in sumptione Corporis & Sanguinis Christi, & plena refectio cibi & potus. Cibi utique & potus substantiæ principales sunt panis & vinum. Cùm autem unum sit Sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, scilicet species visibilis, veritas Corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Aliud est *species visibilis*, quæ visibiliter cernitur: aliud *veritas Corporis*, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur: atque aliud *gratia spiritualis*, quæ cum Corpore & Sanguine visibiliter & spiritualiter percipitur à solis dignè communicantibus. Tria quippe in Sacramento Altaris atten-

ten-

tendere debes : speciem panis , veritatem Carnis , virtutem gratiæ spiritualis . Usque ad speciem panis sensus pertingit exterior : ad veritatem Carnis fides interior : ad virtutem gratiæ spiritualis charitas superior . Speciem panis rodit aliquando forex parvissimus : Christianus recipit etiam pessimus : virtutem gratiæ spiritualis nonnisi prædestinatus recipit . Quod itaque videmus , species est panis & vini . Quod autem sub specie illa credimus , verum Corpus est & verus Christi Sanguis , quod pependit in Cruce , & qui fluxit de latere . Comestio itaque Sacramentalis quantum ad visibilem speciem , & quantum ad Corporis Christi veritatem , convenit bonis & malis communiter . Sed est alia comestio (sicut jam diximus) bonorum solummodò , quam per Dei gratiam & per fidem ex dilectione operantem vitæ meritum efficit , & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium , intercedente spirituali & subtiliori quadam unione Capitis & membrorum . Unde est illud in Canone Missæ : *Ut nobis fiat Corpus & Sanguis Filii tui* . Nobis , inquit , fiat . Fit enim proculdubio Corpus Domini in mensa Altaris semper , cùm solemne illud celebratur mysterium ritu debito : sed non semper eis fit , per quos fit . Unde illud item in Canone : *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacramentum Filii tui sumpserimus , omni benedictione caelesti & gratia repleamur* . Non enim omnes qui Corpus Domini sumunt , ex participatione Altaris spiritualiter illa benedictione caelesti & gratia replentur . Unde est illud : *Ut quod temporaliter gerimus , æternis gaudiis consequamur* . Item : *Ut quæ visibilibus*

bus mysteriis sumenda percipimus, invisibili consequamur effectu. Et multa in hunc modum. Ad Missam quoque libenter servias (z) quoniam hoc est officium Angelorum. Ipsi enim devotissimè Domino serviunt & ministrant. In hoc autem ministerio triplex est fructus. *Primò*, boni operis exercitium est. *Secundò*, opus est charitatis, quia proximum provocat in bono. *Tertiò*, opus est devotionis, quando altas ante mensam summi Regis, & cum eo loqueris in oratione, & in ministerio cum Angelis, quibus & familiarior eris ex ministerio. Ex hoc Sacerdos specialiter, & omnes circumstantes generaliter pro te orare debent, imò tota Ecclesia ubique in orbe terrarum: sed quòd vices omnium geras, qui Domino suo de cælo cum devotissima gratiarum actione vehementi ministrare deberent, si possent adesse. Et vix potest esse, quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsentem, qui devotè & libenter ministrat ad Sacramentum illud tam salutare: quo nil melius, nilquè sanctius esse potest in cælo & in terra, & quodammodò divinæ dignitatis est, & dilectionis ad homines.

CAPUT VIII.

*De dignitate Sacerdotis, & excellentia
Sacrificij Missæ*

Sacerdotes Domini incensum & panes offerunt
Deo; & ided sancti erunt Deo suo, & non
polluent nomen ejus. Levit. 21.

1. *Ostenditur quanta sit dignitas Sacerdotis, & excellentia Sacrificij Missæ, cui Sancta Trinitas cum sua curia Angelica assistere non dubitatur.*
2. *Ostenditur, potestatem Sacerdotis majorem esse, quàm sit dignitas Angelorum, juxta eorum novem ordines: quorum etiam vocabula exponuntur.*
3. *Ostenditur quanta debeat esse sanctitas Sacerdotis, qui intendens celebrare Missam, tenetur prius reconciliari non solum Deo, sed etiam proximo si quem offendit.*
4. *Agitur de dispositione sive preparatione Sacerdotis, ut valeat dignè accedere ad celebrandum Missæ Sacrificium.*

§. I.

GLoriare (a) sed in Domino Sacerdos Dei Altissimi: dignitatem tuam considera, intueri mortalibus oculis eminentiam, cogita prærogativam tuam, vide sortem tuam. Certè *funes ceciderunt tibi in præclaris*, si hæreditatem tuam præclaram non negligis? Attende quantum Deus tuus te

Cc 2

ex-

2 Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. n. 24.

extulit, quantum præ omnibus creaturis sublimavit. O præclara (b) ô reverenda potestas vestra! Certè non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Forsitan scire vultis, & audire delectat apertius, quænam sit ista tanta potestas, cui nihil in cælo vel in terra valeat comparari? Ad quod ego: Consecrare videlicet Corpus & Sanguinem Domini. Super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solemni dignitatis vestræ privilegio stupet Cælum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum Angelica celsitudo. Porro maximè considerate (c) qui in circuitu Domini estis, & in conspectu ejus offertis munera & offeritis, non corruptibilem auri & argenti, sed pretiosi Sanguinis & Corporis Agni immaculati: quantam dignitatem contulit vobis Deus? Quanta est prærogativa Ordinis vestri? Prætulit vos Deus Regibus, & Imperatoribus: prætulit Ordinem vestrum omnibus ordinibus, imò (ut altiùs loquar) prætulit vos Deus Angelis & Archangelis, Thronis & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahamæ apprehendit ad faciendam redemptionem: sic non Angelis, sed hominibus, solisque Sacerdotibus Dominici Corporis & Sanguinis commisit consecrationem. *Omnes quidem (sicut ait Apostolus) sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Sed longè excellentius est officium vestrum, quod admirabile est, & non solum in oculis vestris, sed etiam Angelorum. Nec dulciùs, nec amicabiliùs (d) sed nec arctiùs

b *Ser. de excell. Sanctissimi Sacram. n. 3.* c *Ser. ad Pastores in Synodo congregatos n. 1. tom. 6. pag. 319.* d *Epist. 243. n. 1.*

atque omnino Regnum Sacerdotiumque conjungi seu cōplantari in invicem potuerunt, quàm ut in persona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpote qui factus est nobis ex utraque Tribu secundum carnem Summus & Sacerdos & Rex. Non solum autem, sed & commiscuit ea nihilominus ac confœderavit in suo corpore, quod est populus Christianus. Ipse Caput illius, ita ut hoc genus hominum (Apostolica voce) *genus electum, regale Sacerdotium* appelletur. O genus Ecclesiasticum, regale Sacerdotium (e) gens sancta, populus acquisitionis, Virtutes annuntiate ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum, & ineffabile ministerium suum. *Vos estis lux mundi: vos estis sal terra. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. O novam (f) & divinam potestatem Sacerdotis! cujus ministerio panis Angelorum & vitæ, mortalibus præparatur. In cujus confectione (g) fidelis Minister invenit seipsum in medio Patris & Filii & Spiritus Sancti, astantibus etiam ex omni latere supernis Ordinibus Angelorum. Sacramentum prænobile, mysterium super-excellentis gloriæ affectat & requirit plurimum festivam celebritatem tam illustrium personarum. Quidquid de ascensu Sacerdotis in illa hora seu profectu cogitari potest vel dici, longè infra dignitatem veritatis est. Ibi deliciatur animus boni Sacerdotis seipso altior effectus, conatur, festinat, ascendit, crescit desiderio: & quantò magis sursùm tollitur, tantò amplius extenuat, ita ut omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam evaporans, totus spiritualis ho-*

in inem in homine exurat, & in abscondito faciei Domini gloriatur. Nec enim ab introitu propitiatorii in Sancta Sanctorum mens pia thurificans, & devotio sacrificans prohibetur. Sed rari sunt, quos ad profunditatis hujus cardines puritas admittat, quos hujusmodi culmen Sanctitatis integritas rapiendo sustolat. Videt itaque minister sanctus (h) & sentit *Deum Patrem* spiritualiter, qui Pater est omnium per-creationem, suum specialiùs Patrem esse per dignationem, quia ipse Pater est omnium pupillorum per gratiam: quibus videlicet mortuus est pater nequam, id est, mundus, & mortua est mater pessima, id est, carnalis concupiscentia. Videt quoque & sentit *Filium Dei*, Fratrem suum amantissimum esse, qui parvulus pro nobis factus, Frater revera est parvulorum, id est humilium. *Narrabo* (inquit) *nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*. Videt & sentit *Spiritum Sanctum* à Patre & Filio procedentem, domesticum sibi esse fautorem, suum: quia ipse consolator est verè pœnitentium, advocatus in se sperantium. Videt iterùm & sentit *Angelicis Spiritus* profectibus suis applaudentes, & ut concivis ipsorum adscribi mereatur, ardentius inhiantes. Omnia in figura contingebant antiquis, patribus (i) hîc veritas, ibi figura: ibi umbra, hîc lux: ibi nubes, hîc claritas: ibi agnus legalis, hîc Agnus innocens, qui tollit peccata mundi. Verus est enim *Filius Dei*, quem tu Sacerdos immolas, quem manibus tractas, quem ore sumis, quem in corpus tuum transmittis. Sed non sola ad te venit illa *Majestas*: venit ad te *Filius*, sed non sine *Patre*.

Qui

h *Ibidem* n. 9. i *Tract. de 3. princip. myst. cap. 8. n. 25.*

Qui me misit, inquit, *mecum est*, & *non me reliquit solam*. Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu Sancto. Quid enim ait Joannes: *Qui misit me baptizare in aqua*, ille mihi dixit: *Super quem videris ascendentem Spiritum, & manentem super eum, ipse est Christus*? Super alios descendit Spiritus Sanctus, sed non semper manet: super Christum verò semper mansurus descendit. Adest nihilominus totus supernorum exercitus Civium: *Millia* (inquit Scriptura) *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Semper enim Angeli licet sint administratorii Spiritus, & in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui majestatis, in quem desiderant prospicere, fruuntur nec fastidiunt, quò eo magis frui sitiunt. Quanta luce credis te circumfundì sancte Sacerdos, in præsentia tantæ Majestatis, in tam solemnì adventu & conventu Trinitatis, & totius militiæ Cælestis? Quantam æstimas claritatem ad esse & inesse toti Curiæ Cælesti? Tantam nimirum quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmitati ad ferendum obumbraret. Unde (k) Dominus ad Moysen ait: *Non videbit me homo super terram, & vivet*. Ac si diceret: Tantæ sum in natura Divina claritatis, ut homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione.

§. II.

Attende igitur, ut prædixi, (l) & semper in mente habe: jugi memoria retine gratiam tibi singulariter

Cc 4

à Deo

k Ibidem cap. 7. n. 29. l. ibidem cap. 9. n. 26.

à Deo collatam, quam nec Angelis præstitit, nec cæteris hominibus concessit. Panis enim in manibus tuis, in Corpus Vnigeniti Filij Dei transsubstantiatur: vinum in sanctissimum Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi tua benedictione convertitur. Multùm ardent *Seraphim* (m) Sanctæ Trinitati præcæteris cunctis Spiritibus loco & charitate conjuncti; unde & ardentis sive incendentes *Seraphim* interpretantur. Unusquisque enim ordo ejus rei censetur nomine, quam copiosius accepit in munere: non tamen hoc privilegio præminent, ut Corpus vel Sanguinem Redemptoris nostri in subjecta creatura sanctificent. *Cherubim*, quibus inest plenitudo scientiæ, quod etiam testantur nomine: quia familiaris omnibus cognoscunt, de Mysteriis cælestibus mirantur, quòd mirabilis facta est scientia & potentia Sacerdotalis, ex eis; & non possunt ad eam. *Throni*, qui tantæ dignitatis sunt, ut in eis Dominus sedeat, & per eos sua judicia decernat; non hoc prævalent, quo Sacerdotes præminent. *Dominationes*, licet dominium super cæteros à Domino acceperint: *Principatus*, quamvis principetur aliis sibi subjectis: *Potestates*, cùm potentatûs sublimitate præmineant: *Virtutes calorum*, cùm potestates aëreas virtute coerciant, ne omnem nequitiam suam in genus humanum exerçant: *Archangeli*, cùm summa mysteria Divinæ voluntatis inferioribus Spiritibus nunciare habeant, & eosdem inferiores Spiritus ex autoritate ad homines mittant: *Angeli*, licet semper videant faciem Patris qui in cælis est: Hi inquam omnes sancti beatorum Spirituum ordines, quam-

quamvis perfruantur beatitudine, ut nihil eis desit à summa felicitate: gloriam tamen Sacerdotis reverentur, admirantur dignitatem, cedunt privilegio, honorant potentiam. Proinde (n) attende Sacerdos Dei Altissimi, quantum Deus tuus te extulit, quantum præ omnibus creaturis te sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuæ in Cælo, cum ritè assistis sacris Altaribus, cum sanctissimum mysterium cælestis Sacrificij celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad verbum tuum vivificum, ad postulationem tuam salutarem, Summus Pater cujus nutu omnia subsistunt, quem indefinenter laudant Angeli, cui jubilant astra matutina, quem adorant dominationes, quem tremunt Potestates, qui respicit terram & facit eam tremere, qui fecit mirabilia magna solus: Ipse, inquam, tantus tam immensus, dulcissimum Filium suum deponit, & manibus tuis imponit; transmittit ab altissimis, & digitis tuis imponit. Ibi holocaustum tuum pingue sit, plus quàm in millibus agnorum & arietum pinguium. Ibi enim (o) celebratur familiare colloquium inter Deum & Moysen amicum suum, idest bonum & fidelem ministrum. Cæterùm sermo ille non est sonans, sed penetrans: non loquax, sed efficax: non obstrepens auribus, sed blandiens affectibus. Sermo ille non est popularis, sed angularis & privatus: non sonat in foro, non auditur in publico: secretum consilium secretum quærit amicum. Auditi proculdubio gaudium dabit et lætitiã, si sobria cordis aure percipitur. *Audi* (inquit Dominus) *Israël,*

✠

& tace. Respondit fidelis amicus & fidelis seruus piæ familiaritatis ausu, non tamen vocali plausu, sed suavi planctu, dicens cum Samuële: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*. Et cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Certè ibi loquitur Christus cum ministro suo. Proinde (p) ibi holocaustum tuum pingue sit, plus quàm in millibus agnorum & arietum pinguium. Multùm quidem acceptum fuit munus Abel, sed non ita. Multùm placuit sacrificium Abrahæ Patriarchæ, sed non aded. Multùm approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multominùs isto. Denique quid ait Propheta? *Sacrificium & oblationem noluisti: holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio*. Dixit ille, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introiit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Hoc itaque Sacramentùm (q) ab æterno repositum, diabolo celatum, Prophetis revelatum, sollicitudini vestræ Sacerdotali creditum, debita est gratiarum adione prosequendum. O sacrum, ô caeleste ministerium vestrum, laudabile desiderium, insigne spectaculum, solemne miraculum! Deus, qui mirabilis est in omnibus, seipso certè mirabilior quantùm ad vos ostenditur, dum mirabiliora per vos operatur. Quid plura? Sacerdotes Dei benedicite Domino, digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod dignè sumentibus provisum est ad medelam. Sacerdotes Dei non immeritò vos dixerim, si vixeritis sacerdotaliter in domo Domini. Non enim provenit dignitas

p Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. n. 24. & 25. q Ser. de excell. Sanctissimi Sacramen. n. 16.

gnitas ex hoc nomine, quod est *Sacerdos*. Non; inquam, ex nomine, sed ex virtute; conversatione, non officio; merito, non vocabulo; sanctitate, non ministerio. Unde Scriptura dicit: *Sacerdotales viros quarimus, qui plures habemus Sacerdotes*. Plures, inquam, numero, non merito; simulatione, non fide; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate. Sunt enim lotis manibus, tamen illotis operibus: cruentâ conscientiam ad divina accedunt Sacrificia. Comedunt sine timore & sine reverentia Carnes Agni, qui præsidet in cælo, sicut carnes quæ venduntur in foro. Nam sicut Sacerdotes assistunt in Altario, sic sunt carnifices in macello. Grave igitur pondus, grave est periculum istius honoris. Gradus quippe iste gradus casualis est, gradus judicialis est, nisi meritis illustretur dignitas unctionis, nobilitate morum, exercitatione virtutum, & instantiam bonorum operum. Etsi rectè sapiens hortatur (r) sapientiam scribi in ocio: cavendum & in ocio ocium est. Fugienda proinde ociositas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis, blaphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Magis interveniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum sanè in serium quid, quod non modò utiliter sed & libenter audiant, & supersedeant ociosis. Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam nugis os aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. *Labia Sacerdotis* (ait Propheta Malachias) *custodiunt scientiam, & legem requirunt*
de

r Lib. 2. de consid. ad Eug. PP. III. Cap. 17. n. 22.

de ore ejus: non nugas profectò, vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti urbanivè nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: procul & ab aure relegandum. Fædè ad cachinnos moveris, fædiùs moves. Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Fodite igitur charissimi (s) domesticos parietes, idest, ponite corda vestra super vias vestras: satagite quantum potestis redimere citò in quibus offendistis. Dies enim Domini sicut fur ita veniet. Sicut enim nihil certius morte, ita horâ mortis nihil incertius: quod ut dignum est pensate, & ad pensandum circumspiciùs invigilate. Deo quidem erit ad gloriam, Angelis ad læticiam, subditis vestris odor ad vitam, vobis autem ad coronâ. In quo Christus & Christos suos exaudire dignetur, ministrando auxilium gratiæ suæ.

§. I I I.

Denique meditare dilectæ Dei Sacerdos (t) & meditatio cordis tui semper sit, quòd Joannes Baptista præcursor Domini, amicus Sponsi, Paranympus sponsæ, Propheta, & plusquam Propheta in utero sanctificatus, in eremo justificatus: Hic tantus, tam præcipui meriti, tam singulariter sanctificatus contremiscit, & non audet tangere sanctum Dei verticem, sed clamat cum tremore: *Sanctifica me Salvator*. Meditare, quòd Petrus clavicularius regni cælorum, à Domino designatus Pastor ovium, trina dilectionis confessione constitutus, & Princeps Apostolorum præfiguratus, in periculo mor-

tis,

s Ser. de excellent. Sanctissimi Sacramenti. n. 16. t Tract. de 3. præcip. myst. cap. 10. n. 30.

tis, naufragio incumbente, positus penes Dominum approximare pertimuit: & se elongare ab eo præ formidine voluit, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Joannes ille electus & prædilectus discipulus, qui supra pectus Domini in cæna recubuit, cui adhuc in mortali carne constituto revelata sunt secreta cælestia: ipse supra modum gloriatus est de solo auditu & visu extrinseco, de tactu Domini corporis, dicens: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectaverunt de Verbo vitæ.* Si ergo isti gloriosi Principes terræ, curiæ cælestis Proceres eximii, tantùm reverebantur forinsecus tactum Domini Corporis, nondum in gloria ad cælos translati: quantâ reverentiâ, quanto timore & tremore, quanta corporis castitate, & animi puritate oportet Sacerdotẽ nunc illud gloriosum & in claritate paternæ gloriæ sublimatũ super omnia Corpus conficere, tangere, & in corpus proprium traicere. Quapropter (u) si offers munus tuum ad Altare quicumque sacerdos, si disponis illud venerabile & ineffabile Mysterium celebrare, & recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid adversum te: Ille magnus Frater, qui Filius Dei est per naturam, & nobis potestatem dedit filios Dei fieri, & fratres suos per gratiam: qui nos dignitatus est vocare fratres suos per Prophetam dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et rursùm post Resurrectionem: *Ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galileam, ibi me videbunt.* Si, inquam, ille Frater habet aliquid adversum te, si offendisti in illam Majestatem cogita-

tu,

a1 *ibidem* n. 31.

tu, dicto, vel facto: si candorem innocentiae tuæ aliquâ maculâ offuscasti, si conscientiam habes vel valdè ægram, vel minùs benè sanatam: relinque ibi munus tuum, differ Mysterium, & vade priùs reconciliari Fratri tuo, per devotam cordis contritionem, per puram oris Confessionem, per duram corporis in pænitentia attritionem, & condignam satisfactionem. Lava per singulas noctes lectum tuum, per singula peccata munda conscientiam tuam. Ascende tribunal conscientiae tuæ, sedeas in loco iudicis, teipsum condemna, & reum constitue. Accedat memoria peccati accusatrix, actio sit testis, consensus & delectatio aggrauet peccatum sive reatum. Omnia accusent, nihil te excuset, veniat timor carnifex & tortor reum cruciet, sanguinem cordis, scilicet lachrymas fundat: & sic per iudicium proprium evades divini iudicii supplicium, juxta illud Apostoli: *Quòd si nosmetipsos dijudicavimus, non utique à Domino judicavimus*. Et tunc veniens offeres munus tuum, & placebit Deo super vitulum cornua producentem & ungulas. Frustra quoque offert munus suum ad Altare (x) qui conscius est sibi, quòd frater suus habet aliquid adversum se. Denique non respexit Deus ad Cain munera, eò quòd non rectè ambularet cum fratre suo Abel. Teste Sancto Propheta Ezeja, etiam abominabatur Sabbatha & neomenias & sacrificia Judæorum, ita ut manifestè protestaretur odisse ea Animam suam, & dicebat: *Cum veneritis ante conspectum meum, quis quaesivit ea de manibus vestris?* Crede mihi [y] quia Deo

non

x Ser. 71. in cant. nu. 14. y Tract. de modo bene vivere. cap. 41. nu. 102.

non tantùm placent jejunia nostra , nostræ orationes , nostra sacrificia ; quantùm concordia . Ideò Dominus dicit in Evangelio: *Vade priùs reconciliari fratri tuo , & tunc veniens offeres munus tuum* . Magna est virtus concordiaè apud Deum , sine qua non placent Deo nostra sacrificia , quibus delentur peccata . Nunquam mihi contingat [z] turbatum ad pacis accedere Sacrificium , cum ira & disceptatione contingere Sacramentum , in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi . Certè non recipitur munus quodcunque meum quod defero ad Altare , nisi ante placato fratre quem me fortè læsisse meminerò : quantò minùs si meipsum non pacavero priùs . Si autem & tu recordatus fueris [a] quòd frater tuus habet aliquid adversùm te , sis humilis ad veniam petendam : si tu habes adversùm illum , sis facilis ad dandam , & omnia membra erunt in pace . Si enim ad duo ista charitatem & humilitatem erimus paratissimi , non poterimus dissensionem sentire . Studeamus itaque , fratres mei , [b] & humiles ad satisfaciendum his , qui aliquid habent adversùm nos ; & ad remittendum his qui offenderunt nos , faciles inveniri : quia non solùm mutuaè inter nos pacis conservatio constat in his duobus , sed ne ipsa quoque divina sine his propitiatio poterit obtineri ; quòd nec munus ab eo recipiat , qui non priùs jerit ut fratri reconcilietur , & dimissum etiam ab eo delictum strictiùs exigat , qui conservo suo debitum non remittit .

§. II.

z *Tract. de depræceptis dispensat. cap. 19. n. 57. a Ser. 19. diu. n. 5.*
 b *Ser. 18. diu. nu. 5.*

Rogo insuper [c] ut audias prudentiam serpentis. Serpens enim cum cæperit ire ad bibendum, antequam veniat ad fontem, evomit omne venenum. Imitare & tu hunc serpentem in hac parte, ut antequam venias ad fontem, idest, communionem Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem malam, & noxias cogitationes ex corde tuo. Dimitte etiam omnibus proximis tuis ea quæ in te peccavere, ut tibi dimittantur à Deo peccata tua, sicut ipse Dominus ait: *Dimitte, & dimittetur vobis*. Itaque si hæc omnia feceris sicut dixi, poteris accedere ad fontem vivum, idest ad Christum, qui est fons omnium bonorum. Ipse etiam ait de seipso: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. De hoc pane dicit David in Psalmo: *Panem Angelorum manducavit homo*. Alioquin esca illa licet de cælo venerit, & potus quia corporeus erat, Angelis non congruebat, sed utique ille panis & potus qui per hoc præfigabatur. Christus verò panis est Angelorum, & Sacramentum hoc verè Caroejus est, & verus Sanguis: quod Sacramentum spiritualiter manducat & bibit homo. Ac per hoc tunc vivunt Angeli in cælis, inde vivit homo in terris: quia totum spirituale est & divinum in eo quod percipit homo. Sed sicut Apostolus ait: *Quidam in deserto eandem escam spiritualem manducavere, & tamen mortui sunt*: Ita & nunc in Ecclesia quibusdam Corpus Domini est vita, quibusdam verò est pæna,

&

c *Lib. de modo bene vivendi. cap. 28. nu. 86. d Tract. de convers. ad Cleric. cap. 20. num. 35.*

& supplicium peccati. Corpus Domini sine dubio est vita illis, quibus Christus est Vita: illis verò est mors; qui per culpam & ignorantiam atque negligentiam membra sunt diaboli. Curritur passim ad Sacros Ordines [d] & reverenda ipsis quoque Spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni accipere cælestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia; sed & iniquitas, luxuria etiam principatur: in quibus & pessima fortè appareat intra parietes abominatio, si juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus, ut in domo Dei videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominia passionis & turpitudinis opera desunt. Utinam non fierent quæ usque adeo non conveniunt, ut nec Apostolum hæc scribere, nec nos dicere oporteret: ut nec dicentibus crederetur, quòd humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido. Numquid non olim civitates illæ [e] spurcitia hujus matres divino prædamnatæ judicio & incendio sunt deletæ? Numquid non gehennalis flamma moram non sustinens, execrabilem illam prævenit tollere nationem, quòd ipsius specialiter essent peccata manifesta præcedentia ad judicium? Numquid non & ipsam utpote consciam tantæ confusionis tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum? Numquid non in lacum horribilem solum omne redactum est? Amputata sunt hydræ capita quinque, sed heu innumera

D d

sur-

surrexerunt! Quis reædificavit urbes flagitii? quis turpitudinis mænia dilatavit? quis extendit propagines virulentas? Væ væ, inimicus hominum sulphurei illius incendii reliquias infelices circumquaque disperfit, ex acrabili illo cinere Ecclesiæ corpus aspersit, & ipsorum quoque ministrorum ejus nonnullos sanie fædissima spurcissimaquè respersit. Heu genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis! quis inter tua illa primordia tam divina, ac spiritualibus affluentem charismatibus Christianæ religionis ortum, credere posset posse talia in te aliquando reperiri? Ingrediuntur [f] cum hac macula tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula, templum sanctum Domini polluentes: judicium multiplex accepturi, quod & tam gravissimas conscientias gerunt, & nihilominus sese ingerunt in Sanctuarium Dei. *Quicumque (g) manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini: id est, peccatum & maculam contrahet sibi. Quare? Quia ad bonum malè accedit. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, ait Apostolus. Ac si diceret: Unusquisque consideret vitam suam, & emundet cor suum ab omni malicia, ut dignè possit accedere ad tam magnum Sacramentum. Quicumque enim Corpus & Sanguinem Domini manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, scilicet causam suæ damnationis. Unde etiam Beatus Isidorus ait: Qui in Ecclesia sceleratè vivunt, & communicare non desinunt, putantes se tali communione à peccatis posse mundari; sciant*

f Ibidem n. 37. g Lib. de modo bene vivendi, cap. 28. n. 85.

sciant hi tales ad emundationem sibi non proficere, dicente Hieremia Propheta: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sancta auferent à te malitias tuas?* Qui ergo Corpus Christi vult accipere, priùs studeat in Christi fide & dilectione manere. Hinc est quod ait Dominus in Evangelio: *Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in eo.* Ac si dicert: Ille in me manet, qui bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin nisi priùs maneat in me per fidem & bonam operationem, & ego in eo: Carnem meam manducare non potest, nec Sanguinem bibere. Quid est ergo quod manducant homines? Ecce omnes frequenter Sacramentum Altaris percipiunt planè, sed alius Carnem Christi spiritualiter manducat & Sanguinem bibit, alius verò non; sed tantùm Sacramentum, idest, Corpus Christi sub Sacramento, & non rem Sacramenti. Sacramentum hoc dicitur Corpus Christi proprium de Virgine natum: res verò spiritualis, Christi charitas. Bonus igitur accipit Sacramentum, & rem Sacramenti: malus verò quia manducat indignè (sicut Apostolus ait) *judicium sibi manducat & bibit*, non probans se priùs, nec dijudicans Corpus Domini. Ergo quid manducat peccator & quid bibit? Non utique Carnem & Sanguinem spiritualiter ad suam salutem, sed iudicium ad suam damnationem, licet videatur cum cæteris Sacramentum Altaris percipere. Itaque alius accipit Corpus Domini ad salutem, alius verò ad damnationem. Ille, qui cum Juda traditore Corpus Domini accipit, cum Juda condemnatur: qui cum Petro & cæteris fidelibus devotè ac fideliter

illud sumit, sine dubio cum Petro & cæteris Apostolis in Corpore Christi sanctificatur. Audi etiam verba Beati Augustini: Qui casto corpore & mundo corde cum pura conscientia atque devota mente ad istam Altaris communionem venit, ad illud Altare qui est Christus in cælis, ante oculos Dei felici transmigratione perveniet. Ut (h) quemadmodum Dominus dicit: Ubi ipse est, ibi sit & minister suus. Fatigavimus vos prolixitate sermonis, & detinuimus ultra quàm oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati nostræ, quæ non imperat verecūdia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Pauli Apostoli, quem aliquando verbum prædicationis usque in mediam noctem legitis protraxisse. *Utinam adhuc* (ut ipsius verbis utar) *sustineatis modicum quid insipientiæ meæ. Æmulor enim vos Dei amulatione.*

C A P U T I X.

De Sermone Christi, quem habuit ad Discipulos suos post institutionem Sacramenti Eucharistiæ, exhortando illos ad mutuam dilectionem servandam

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Joan. 13.*

1. *Christus in ultima Cæna post institutionem Eucharistiæ fecit testamentum, relinquens Discipulis suis novum mandatum dilectionis, ut invicem diligerent se. 2. Christus exhortatus est Discipulos ut ipsum diligerent, præceptaque & sermones suos*

h Tract. de convers. ad Cleric. cap. 18. n. 31. & 32.

suos observarent: & promisit se missurum eis aliunde Paracletum à Patre. 3. Expenduntur verba Christi, quoniam sensu sermonem suum dixerit non esse suum. 4. Agitur de vera & falsa dilectione proximi; nec non de elogiis charitatis.

§. I.

Postquam (a) ante passionem affectuosiùs paterfamilias refectionem suis curavit domesticis exhibere: & in hoc quoque apparuit benignitas & humanitas Salvatoris. Cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, & dicebat: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Oportet Lat enim. Expetierat eos Satanas ut cribra- ret sicut triticum: opus erat prævenire refectionem. Denique qui resecti paulominùs defecerunt, quid jejuni fecissent? Hinc fuit quodd nonmodò corpora, sed etiam corda resecit, & ea quàm maximè. Neque enim corporalis passio, sed tentatio spiritualis instabat, quodd singulariter ille futurus esset donec transiret. Opportunè autem [b] & utique more suo, post exemplum operis, exhortationem sermo- nis adjunxit. Inter loquendum quoque (nam co- piosissimus extitit sermo de resurrectione sua, de adventu Paracleti, de discipulorum confirmatione, & aliquando assumptione ad seipsum) multis eos promissionibus propter instantem maximè passio- nem refovere & refocillare curavit. Postmodùm (c) Discipulis suis ait: *Filioli adhuc modicum vobi-*

D d 3 scum

a Ser. 3. in Dom. Pal. m. 3. b Ibidem m. 4. c Ser. 4. in ult. cena m. 28. tom. 6. pag. 666.

scum sum. Filios appellat, quos præ mentis tenetudine adhuc plenariè robur fidei non solidabat. Nam qui consueverant vivere lacte, nondum erant idonei ad vescendum solido pane. Et ideo filioli quia parvuli, & tanquam parvuli in Christo lacte pascabantur, non escâ. Noverant Christum secundùm humanitatem, sed caligine mentis abducti, Christi vacillantes tenebant Divinitatem. Possimus etiam dicere [d] quòd præ amoris magnitudine Discipulos suos filios appellaverit, quos iturus ad Patrem non minimo charitatis affectu dilexit. Multùm eos diligebat, quos jam filios appellabat. Qui ait: *Modicum tempus vobiscum sum*. Hoc est modicum illud tempus, quo in hac carne mortali vobiscum sum, & præsentem cernere me potestis. Sed tollam Crucis patibulum, citò solvam mortis imperium. Citò veniet tempus & hora, quâ jam non pro homine videar reputari: sed ero tanquam opprobrium hominum, & abjectio plebis. Tunc quæretis me, cupietis me sequi; sed timore mortis percussi, nondum ex alto virtute induti, animam vestram pro me ponere non poteritis. Et hoc est quod dicitur: *Quòd ego vado, nondum potestis me sequi*. Et est sensus: Vado ad Patrem, sed per foramen acûs, per angustias passionis, per dolores mortis. Sed non potestis me modò sequi, quia pavidi & timidi, veluti hædi in lacte matris ad immolandum nondum idonei: sed veniet tempus & hora, quibus penitèns timore expulso, non solùm crucis supplicium, sed quod nequius poterit excogitari tormentum, amore mei eritis subire parati. Denique ait: (e) *Mandatum*

d *Ibid.* n. 29. e *Ser. 5. in ult. cena* n. 31.

nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Qui mandatum Domini non ignorat, necesse est, ut secundum illud vivere non negligat. Nam servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Qui autem fecerit, divitiis & honoribus ditabitur multis: juxta quod Dominus omnium ait discipulis suis: *Beati eritis, si feceritis quae ego praecipio vobis.* Dulcis Dominus dulce mandatum proposuit. Ait enim: *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Mandatum nobis proponit amoris, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo. O bonum mandatum, mandatum dulce, mandatum delectabile, mandatum vitæ, mandatum salutis æternæ. In isto mandato omnis lex pendet & Prophetæ. Hoc est illud unum mandatum, de quo dictum est: *Qui omnia mandata servaverit, offendat autem in uno, id est, in charitate, factus est omnium reus.* Unde Apostolus enumeratis gradibus quibusdam virtutum, de charitate protinus addit dicens: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hæc est illa preciosa margarita, quam dum invenit sponsa dilecti, dedit omnia sua, & comparavit eam, Hæc est illa Scala, quæ in somnis Jacob apparuit, quam usque ad cælum tendi videbat: per quam quidam descendebat, & quidam ascendebant. Per hanc enim & Angeli descēdebāt, & nos ascendimus ad Angelos, quia sine hac scalā nullus scandere potest ad cælestia regna. Et in ipso nixu scalæ ipse Dominus Angelorum inventus est qui dicit: *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem,*

sicut dilexi vos. Ille inquam Dominus, qui dat præceptum fratrem amandi, qui & à servis suis ex omni corde vult amari: nec est magnum, si tantum diligit servus Dominum, quantum Dominus servum. Immo magis à servo Dominus debet amari: cum non illi servus, sed servo Dominus valeat suffragari. Servus qui ex toto corde diligit Dominum suum, illius tota virtute satagit observare præceptum. Et cujus præceptum despicitur, restat proculdubio ut ipse auctor præcepti negligatur. Nã qui non diligit proximum in veritate, despicit Christi mandatum: & qui Christi mandatum despicit, despicit & Christum auctorem mandati. Nos ergo, dilectissimi Fratres (f) & Christum diligamus, & ejus præcepta servemus. Præceptum Domini lucidum, oculos mentis illuminans. Dulciora sunt Christi præcepta super mel & fauam: & in custodientis illis retributio multa, ipse Dominus Christus. Igitur mi lector regulam præcepti serva, & securus expecta ipsum pro præmio auctorem habere mandati: bonum mandatum, unde tantum & tale provenit præmium. Istud, inquam, mandatum à nobis irrefragabiliter debet observari, cum exinde Dominum Christum non dubitamus nos promereri. Hoc est illud mandatum, quod iturus ad Patrem reliquit discipulis suis: imò istud est testamentum, quod moriturus dimisit hæredibus suis. Ait enim discipulis suis: *Mandatum novum do vobis*. Unde *novum*? Nuper inventum, non quia in veteri testamento non sit scriptum: *Diliges Dominum Deum tuum*? Quid est ergo *novum*? Novum, quia vetera ad novitatem perducit, & veteres

res homines transformat in juvenes. *Nouum*, quia exivit veterem hominem & induit nouum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & iusticia veritatis. *Nouum*, quia olim genus humanum à paradisi gaudiis expulsum, nunc & quotidie transmittit in Cælum. Sed quoniam multi se diligunt ea dilectione, quæ tramite veritatis non gaudet, ideo adjunctum est, *sicut dilexi vos*. Sed quis unquam hominum potuit (g) vel poterit tale observare mandatum? quis unquam sic dilexit proximos, sicut Christus Apostolos? Nullus unquam. Unde notandum est, quia dictio, *sicut*, non est expressiva quantitatis, sed similitudinis. Et est sensus: Quomodo dilexi vos, eo modo diligite vos invicem. Sed fortasse dicit aliquis: De hac dilectione vacillo, & quomodo diligens proximus, minùs perfectè intelligo: mori quidem non possum pro fratre, sicut Christus Dominus voluit mori pro nostra salute. Ad quem ego superius dixi, quòd dictio, *sicut*, non est expressiva quantitatis, sed qualitatis. Si non potes æquè ambulare cum Christo, saltem à longè imitare vestigia ejus. Si non vales diligere proximum tuum plusquàm teipsum, quod Christus fecit moriendo pro salute generis humani: saltem dilige eum tanquam teipsum, hoc faciendo illi quod ab eo tibi vis fieri. Sed dices fortè: Nec hoc possum, cum id non imperandi, sed consulendi modo dictum sit. Si hoc observare non potes, vide ne facias alteri, quod tibi non vis fieri. Sic enim diligendus est proximus, ut in illo semper diligatur Deus. Si sic diligis proximum, complesti mandatum: sic enim debet diligi proximus,

f Ibidem n. 32. g Ibidem n. 33. & 34.

mus, ut amoris causa sit semper Deus, non autem proximus. Si enim tantum propter seipsum diligitur, jam non erit charitas, sed amor medius, qui nec charitati connectitur, nec amore cænofo sædatur: vel fortè quod absit, amor pessimus; & qui tali amore cæcantur, nisi pænituerint, Christi amore æternaliter privabuntur.

§. I I.

Porro (h) Christus ad Discipulos ait: *Si diligitis me, mandata mea servate*. Ex isto capitulo solo conicere possumus, utrum verè diligamus Deum. Illum in veritate diligimus, si ejus mandata servamus. Et si ejus non servamus mandatum, certè non diligimus eum: non potest ex una parte diligi, & ex altera parte contemni. Ipse enim dicit: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit*. Ille cum Domino habitare meretur, qui pro suo posse ejus mandata servare conatur. Frustra enim se cum Domino habitare dicit, qui ejus mandata servare contemnit. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Hoc enim est quod Dominus dicit: *Si in veritate diligitis me, mandata mea servabitis*. Ac si dicat: Ad hoc ut perfectè vos me cognoscam diligere, mea mandata servate, & ego rogabo Patrem: hinc enim monet diligere, mandata servare, ut accipiant Spiritum Sanctum, quem nisi habeant, non possunt diligere, nec mandata servare. Unde sequitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Rogat homo, quod Deus dat: ipse pro nobis rogat, qui nobis rogata dat. Deus ipse pro nobis rogat secundum quod homo, quando

nos

h Ser. 8. in ult. cena n. 51. et 52.

nos facit se rogare Deum. Tunc enim Patrem rogat pro nobis, cum nos illum rogamus, unum cum Patre Deum esse credentes. Quod verò sequitur: *Et alium Paracletum dabit vobis*, hoc est alium quantum in persona, non quantum in natura vel in essentia, dabit vobis: non quod ipsi non haberent, sed quia habebant minus & occultè, & accepturi erant amplius & manifestè. *Ut maneat vobiscum*: hoc est, ut vos illustret & doceat prædicare regnum Dei & evangelizare, & vos credere faciat me esse Patri æqualem, quem nunc creditis esse minorem. Maneat etiam vobiscum in æternum, ut ad videntium æterni luminis claritatem introducat: & me esse unum Deum cum Patre & eodem Paracletò sicut citò creditis, facie ad faciem contemplari possitis. Porro ipsum audite: (i) *Si quis diligit me*, inquit, *sermones meos servabit*. Sed quid est, si quis diligit me, sermones meos servabit? Legi enim alibi: *Qui timet Deum, facit bona*: sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones Dei servabit. *Ubi ergo servandi sunt?* Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Sed quomodo in corde servandi? An sufficit solà eos servare memorià? At verò sic servanti dicit Apostolus: *Quoniam scientia inflat*. Denique, & memoriã facilè delet obli-vio. Sic serva sermonem Dei, quomodo meliùs servare potes cibum corporis tui. Nam & sermo Dei panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure cor-rodì, potest vetustate corrumpi. Ubi verò comederis

deris illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati enim qui custodiunt illud. Ergo traiciatur in viscera quædam animæ tuæ: transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede verbum, & delectabitur ingrassitudine anima tua. Non obliviscaris comedere panem tuum, ne exarescat cor tuum, sed adipe & pinguedine repleatur anima tua. Si sic verbum Dei servaveris, haud dubium quin ab eo serveris. Habeamus dilectissimi (k) nostri Redemptoris dilectionem. In hoc cognoscitur amator Christi, si servat præcepta Christi. Unde sequitur: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Qui habet in memoria & servat in vita: qui habet faciendo, & servat perseverando: Vel qui habet in sermonibus, & servat in moribus: vel habet audiendo, & servat faciendo: *Ille est, qui diligit me.* Multi sunt enim qui Domini mandata habent, & ea minimè tenent. Multi habent in libro, sed ea non tenent in animo: multi in voce, sed non in opere: multi in memoria, sed non in vita: multi in verbo, sed non in exemplo. Isti profectò non sunt de dilectoribus Christi. Isti, inquam, plagis vapulabunt multis. Istis erit stercus & stridor dentium, ignis, sulphur, & spiritus protellarum, pars pænæ eorum cum diabolo & Angelis ejus. Sed diligentibus Christum magnum erit gaudium, magnum erit tripudium, magna exultatio, magna gloriatio. Sequitur enim: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quid tibi videtur amator Christi de præmio amoris tui? Quid tibi mali poterit nocere, aut quid tibi

k Ser. 9. in ultim. Cana nu. 57. et 58.

tibi boni poterit deesse : si ille te diligit qui de nihilo cuncta creavit ? O nimis foelix & ultra quàm dici potest beatus , quem piè diligit Deus Pater , & Filius ejus cum Spiritu Christi & Dei . Quid , inquam , felicius , quid beatius , quàm ab eo diligi qui est Dominus paradisi , qui habet potestatem vitæ & mortis : damnare & salvare , damnare quos odit , salvare quos diligit ? Sed ò Domine Jesu , quid facies dilectoribus tuis ? Dic rogo quid facies ? Sic dic ut audiam : nam & ego sum licet peccator , qui diligo te . Quod erit præmium tuæ dilectionis , quisvè fructus tui amoris ? dic & lætifica animam meam de præmio . Qui te diligit ex toto corde suo illud attendit , illud expectat : pro eo quòd tantùm differtur , gemit & quandoque plorat . Quod est illud , dic ut fratres audiant & intelligant , intelligant & quærant , quærant & inveniant , inveniant & accipiant , accipiant & teneant , teneant & ament , ament quantum possunt . Quid dabis dilectoribus tuis ? quid manifestabis illis ? *Manifestabo eis meipsum* , ait . Ubi sunt qui gemunt , ubi sunt qui lugent pro dilectione regni æterni , pro absentia Christi ? Gaudeant & exultent , quia Jesus manifestabit se illis . Dilectori utiq ; suo (1) manifestabit seipsum . O summum gaudium , ò summa læticia ! Quid dulcius , quid gloriosius , quid beatius , quàm illum videre facie ad faciem ? cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur : quem sancti Angeli vident , & videre desiderant semper , & nunquam de ejus visione satiantur : qui est decor cæli , dulcedo paradisi , fides viventium , spes morientium , & salus omnium Jesus Christus Dominus noster .

§. III.

1 *Ibidem* nu. 59.

Sequitur: (m) *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?* Audito, quòd mundus non videbit eum, sed potius ipsi videbunt: pro omnibus quæsiturus quærit Judas causam hujus discretionis. Hæc est autem causa ex Domini responsione: dilectio, per quam solam discernitur gens sancta à non sancta. Et quòd causa sit dilectio, probatur in custodia sermonum, sicut dicit Dominus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* In hoc enim probatur dilectio Dei, scilicet in observatione & custodia mandatorum Christi: quia probatio dilectionis, exhibitio est operis. Frustra enim se Deum diligere dicit, qui mandatis ejus suis operibus contradicit: imò illum habet odio, qui ejus non obsecundat mandato. Ille tantùm diligit Christum, qui pro suo posse ipsius satagit observare mandatum. Quod verò sequitur: (n) *Et sermonem quem audistis non est meus, sic est intelligendum.* Sermo quem audistis, non est meus: & est ibi quædam figura quæ dicitur *Antiptosis*, quando casus ponitur pro casu. Rogo te, ne te moveat, ne te conturbet (qui totam spem tuam ponis in Dominum Jesum Christum, & ex toto corde diligis illum, credens illum esse verum Deum cum Patre & Spiritu Sancto) illud quod dicit: *Sermonem quem audistis, non est meus, sed Patris:* quia ego non sum à me, sed à Patre. Sum Deus de Deo, lumen de lumine, Filius de Patre. Unus sum cum illo in essentia, in majestate, in divinitate, in virtute, in potentia, in creatione rerum: non
 poste-

posterior vel prior, non major nec minor, sed omnino illi æqualis. Alius sum in persona, non alius in natura: nam alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Verba quæ ego loquor vobis, Patris mei sunt, quia ipse me misit: & ego sum ab ipso, & verba mea sunt ab ipso. Vel aliter: *Sermo quem audistis non est meus*, id est, non est assumpti hominis, sed Dei assumptis: non est filij hominis, sed est Filij Dei: non est meus secundum quod natus sum ex Virgine, sed est meus secundum quod sum genitus à Deo Patre. Non est meus in eo quod Filius Virginis, sed est meus in eo quod sum Filius Dei Patris. Superius dixit: *Qui non diligit me, sermones meos non servat*: hæc autem dicit, *Sermonem quem audistis, non est meus*. Superius dixit, *Sermones meos*: nunc autem dicit, *Sermonem quem audistis non est meus*. Valdè contraria sunt, *est, & non est: sunt, & non sunt: est meus, & non est meus: sunt mei, & non sunt mei*. Et tamen sicut Veritas loquitur, ita est. Sunt sui, inquantum Creator, non inquantum creatura: inquantum Deus, non inquantum homo. Sunt sui, *quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Non sunt sui, sed Patris, *quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Vel fortè hoc dicit (o) ut Discipuli eius qui nondum in illum perfectè credebant, firmiùs sua præcepta tenerent, & obniviùs observarent: dum scirent illa præcepta esse Dei Patris factoris & creatoris cunctorum. Majoris enim sublimitatis, majoris excellentiæ & dignitatis semper videtur Pater esse quàm Filius. Hoc enim dico in humanitate, nõ in Divini-

o Ibidem. m. 65.

vinitate: quia in divinitate Filius Patri est æqualis; nō eo posterior, non eo minor: æqualis Patri secundū divinitatem, minor Patre secundū humanitatem. Ut ergo illius verba clariùs tenerent audita Discipuli sui, et eorum sequaces, dixit illa esse sui Patris. Ac si diceret: Ea quæ præcipio vobis, irrefragabiliter debent observari, nec in totum, nec in partem ratio ulla permittit convelli, quia non sunt mea, sed Patris mei: nam ego à Patre sum Filius. Unde verba mea & opera mea non sunt mea, sed Patris mei. *Pater in me manens facit opera sua*, per me dat vobis præcepta. Homo de terra terrenus trabeâ mortalitatis indutus in hac valle lachrymarum, à gaudiis paradisi expulsus Deum loquentem non merebatur audire in hoc ærumnoso exilio, cujus præcepta contempsit adhuc positus in paradiso: & quæ via sibi remansisset redeundi ad patriam, nec miser jam excogitare valebat. Sed illius misertus Dominus suus, quærere venit errantem, consolari dolentem, sanare infirmum, relevare dejectum, patriam restituere exuli, & mortuo vitam sine fine mensuram. Unde venit Verbum in carnem, Deus ad hominem, & Verbum factum est caro, & Deus factus est homo. Et Verbum per carnem, & Deus per hominem, ore ad os loquitur ad ipsū hominem, & secundū hominem dat homini vitæ præceptum: ut homo homini obediat, & per ipsum hominem Deum, ad ipsum Deum hominem redeat, à quo scilicet Deo miser per inobedientiam recesserat. Unde Deus homo apud homines manens mortalis, mortalibus dat vitæ mandatum: ut immortales per ipsum jam facti, cum ipso immortali æternaliter vivere possint beati. Unde

rectè

rectè sequitur: (p) *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Ac si diceret: *Idèd præcipio vobis, & moneo vos mea observare præcepta, & manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium meum de vobis adimpleatur: ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere, & illud gaudium quod in retributione præmiorum electi sunt perceptui, percipere & possidere possitis.* Igitur, fratres charissimi, maneat in vobis gaudium Christi, sive sit actuum sive passivum, sive sit diligentis sive dilecti: idest, sive sit gaudium quo Christus gaudet de nobis, sive sit gaudium quo nos gaudemus de Christo. Christi observemus præcepta, ut ipse gaudere possit de nobis, & nos de ipso gaudere possimus. Maneat in nobis gaudium beatitudinis ejus, non solum quâ beat vel beatificat de seipso gaudentes; sed etiam quâ clarificatus est à Patre, ut nos cum illo in æternitate mereamur regnare. Denique hoc est illud præceptum (q) quod Jesus præcepit, quod statuit Discipulis suis, præceptum scilicet charitatis, præceptum dilectionis, quod sic habet: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Dulcis & suavis Dominus, dulce & suave mandatum proponit. Dulce & suave illud esse videtur, quod præcipit dilectio & allicit amor. Nam nulla ibi apparet difficultas, ubi est charitas: nullus ibi labor est, ubi verus amor est. Cuncti amanti libenter obediunt, & ejus jugo colla submitunt; perversi

E e

perver-

perverso, lubrici lubrico, sancti sancto, casti casto, quilibet in desiderio suo. Ideo Dominus dat præceptum amoris, præceptum dilectionis, ut suo præcepto omnes obediant, & cervicem superbiæ suæ, sub jugo suæ humilitatis edomare festinent. Igitur fratres mei, tanquam boni discipuli Christi ad audiendum estote parati, & præceptum Christi quod Evangelica tuba vobis intonat, libenter accipite, & efficaciter in omnibus & per omnia adimplete: ut ad illum possitis per amorem redire, à quo per tumorem superbiæ recessistis. Nunc etiam intendat charitas vestra (r) quid vobis præcipiat charitas vera, charitas exquisita, charitas inaudita, charitas pia, charitas bona, charitas tota dulcis, tota delectabilis; charitas Sponsus speciosus, decorus, candidus, rubicundus, electus ex millibus, Christus futuri sæculi Judex, Princeps pacis, & Dominus vitæ. Ait Dominus Jesus per omnia tempora benedictus: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Leve præceptum, suave præceptum, & dulce præceptum. Ad portandum leve, ad amplectendum suave, ad tenendum dulce & delectabile. Quid levius, quid suavius, quid dulcius, quam diligere? Hoc potest omnis homo sanus & æger, dives & pauper, stultus & sapiens, nobilis & ignobilis, servus & liber. Nemo se excuset, nemo se in hac parte apologizet. Cuilibet homini est possibilitas ista communis, amare videlicet. Sequitur igitur ex præcepto Dominico, ut nos invicem diligere debeamus.

§. IV.

r *Ibidem* nu. 109.

Sed quoniam multi se diligunt(s) non ea dilectione quæ charitas est, sed ea quæ in Dominum est blasphemia, ut ea quæ fit pro pelle ad pellem, quæ concipit dolorem, & parit iniquitatem, ut cæca libido, prostibulosa cupido, quæ aculeum suum sic ad impetiginem calcaribus malitiæ & nequitiae ire compellit, ut baratrum inferni in quo est, prævidere & evitare non possit: adjunctum est, *sicut dilexi vos*. Quomodo Christus nos dilexit, jam supra scriptum reliquimus. Sed ut teipsum ad istud cognoscendum, reducam ad teipsum: noverit dilectio tua, quod Caro Christi & Sanguis, qui in Altari à Fidelibus sumitur & immolatur, tibi testimonium perhibet quomodo nos dilexerit Christus. Ideo noscat dilectio tua, quod utilitati proximorum utilitas propria quandoque est postponenda. Sed si aliam dilectionem Christi adhuc requiris, etiam in bonis temporalibus tibi ab ipso collatis poteris invenire. Unde notandum est, duas esse Christi dilectiones, unam temporalem, alteram spiritualem: unam communem, aliam specialem. *Primam* scilicet *temporalem* communiter justis & impiis pietas Creatoris adhibuit: *alteram* scilicet *spiritualem* vel specialem, piè & justè viventibus tantùm attribuit. Hæc scilicet specialis dilectio in bifariam spargitur. Alia est de collatione virtutum, alia de retributione meritorum. Alia est, quæ nos virtutibus contra tela hostis nequissimi roborat: alia est, quæ nos de nostro tyranno legitimè triumphantes gloriâ perpetuâ dicit. Has duas dilectiones nobis ipsa pia Christi dilectio dedit.

E e 2

quæ

quâ dilexit nos, & lavit ab omni inquinamento carnis & spiritûs in Sanguine suo. Sicut igitur nos (t) Christus duplici amore dilexit, ita nos bina charitate flagrare præcepit, scilicet dilectione sui, & dilectione proximi. Si charitatem Deo & hominibus corde puro & conscientia bona & fide non ficta exhibemus, facilè peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta reiicimus: & omnia etiam quæ difficilia sunt humanæ fragilitati vel aspera, etiam cum dilectione perficimus; si tamen Deum perfecta charitate, quæ nobis ab illo est, ex toto corde & ex tota anima diligamus. Hunc si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desideriis serviamus. Et quid est Deum diligere? Illi soli occupari, animo concipere fruendæ visionis ejus affectum, habere peccati odium, mundi fastidium: diligere proximum quem in se censuit diligendum, in ipso amore servare legitimum modum, nec pervertere dilectionis ordinem constitutum. Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt: aut corpora sua minùs diligenda plùs diligunt: aut proximos suos non sicut seipfos, aut Deum plusquàm seipfos, fortè non diligunt. Corpus nostrum à nobis est diligendum, ut salutem ejus aut fragilitati consulamus: ut spiritui ordinatè serviat suis motibus, animæ & rationi in nullo contradicat: ut in die resurrectionis gloria feliciter perenniter cum Domino vivat. Proximos nostros tunc diligimus sicut nos (u) si non propter aliquas utilitates nostras, vel speranda beneficia vel accepta,

t *Ibid.* nu. III. u *Ser.* 15. in ult. *Cena* nu. III.

ta, vel propter affinitates vel consanguinitates, sed propter hoc tantum quod sunt nostræ naturæ participes, diligamus. Proinde secundum hoc nos omnes proximos diligamus, quantum ad mores bonos, & ad vitam æternam consequendam eorum saluti sicut & nostræ pro posse consulendo, & eorum necessitatibus prout facultas suppetit subveniendo. Deum ex toto corde diligimus, si illi soli secundum nostrum posse placere contendimus: siquidem ipse solus est desiderium nostrum, spes nostra, intentio nostra, totus amor noster, tota charitas nostra. Alioquin illum non perfecte diligimus, nec charitatem tenemus: & qui charitatem non habet, jam non est ejus: nec illum habebit in præmium sui laboris, qui in hac ærumnosa solitudine rectam semitam non tenuerit charitatis. Nec est inquam semita charitatis, non solum diligentem diligere, sed etiam odientem nominus quam seipsum, sed sicut seipsum. Sed quoniam multi se diligunt ea dilectione (x) quæ tramite veritatis non gaudet, ideo adjunctum est: *sicut dilexi vos*. Inter amorem & charitatem talis est differentia, qualis inter genus & speciem. Est quidam amor bonus, & est quidam amor malus, & est amor mediocris. *Amor bonus* ipsa charitas est, quâ diligimus Deum supra nos, & supra omne quod est; & proximum nostrum, tanquam nosmetipsos. *Amor malus* est charitatis inimicus, ut puta cænosus, lubricus & fornicarius. Isti amores contrariorum ut oppositorum inter se habitudinem sortiuntur: unus meritum, alius suo possessori acquirit supplicium: alius pœnam, alius gloriam: alius mortem, alius vitam.

E e 3 alius

x Ser. 5. in ult. Cæna nu. 32.

alius paradisum, alius infernum: alius Deum, alius diabolum. *Amor mediocris* est, qui nec charitati connectitur, nec amore cænoso fædatur: sicut amor filiorum, parentum & cognatorum, & aliarum rerum quæ justè & sine periculo possidentur. Et ut isti amores duo ab illo amore qui est charitas excludantur, ideo Dominus addidit: *Sicut dilexi vos*. Nos ergo, fratres, (y) qui à Christo Christiani vocamur & sumus, spretis omnibus terrenis transitoriis atque caducis cum totis amatoribus cæcis, illi soli adhærere cupientes, in fraterna charitate fundemur: ut illius mereamur vocari & esse discipuli, qui Apostolis suis, & nobis per ipsos mandavit dicens: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. In hoc enim discernuntur filii lucis à filiis tenebrarum, discipuli Christi à discipulis diaboli, si gremium charitatis invicem & ad omnes extendunt. Extra sinum amoris, nullum valet relinquere charitas. Omnia complectitur, & continet universa: atque se erogat cunctis communem. Charitas est affectio mentis, brachiis amoris Christum astringens. Charitas est amor immensus, cælum terramquæ complectens. Charitas est invincibilis amor, qui nunquam minis vel supplicis cedere novit. Charitas est indissolubile vinculum amoris & pacis. Charitas est contemptus mundi, & amor Dei. Charitas regina virtutum ad nullius vitii pavet occursum, dotata Sanguinis Christi censu: in fronte vexillum bajulans Crucis, cunctos adversarios in fugam convertit, nec est qui possit resistere viribus ejus. Si autem inter

nos

nos (z) dominabitur hæc regina virtutum, protectò cognoscent omnes pusilli & magni, quòd verè erimus discipuli Domini. Qui non habet charitatem, jam non est ejus qui dedit mandatum charitatis. Caritas est dilectio Dei & proximi. Et qui non diligit proximum, superest ut non diligit Deum: & qui non diligit, odit. Ergo qui odit fratrem suum, odit charitatis Auctorem. Nos ergo fratres, quos amor Christi congregavit in unum, ex toto corde & ex tota mente diligamus Dominum Christum, & proximum nostrum tanquam nosmetipsos: & pro illius amore non solum amicos diligamus, sed etiam inimicos: non tantum diligentes, sed etiam odientes. Hæc est schola Christi. Hæc est doctrina Spiritus Sancti. Si quis de hac schola exierit, & in hac doctrina non perseveraverit: mihi credite fratres, in æternum peribit. Discipulis autem Christi amatoribus charitatis, dabitur ipsa multitudo dulcedinis, divitiæ æternæ beatitudinis, gaudia æternæ felicitatis. Quæ gaudia ipse nobis largiri dignetur, qui in Trinitate perfecta regnat & vivit Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C A P U T X.

De aliis Sermonibus Christi, quos habuit cum Discipulis suis, consolando eos in Cænaculo discumbentes.

1. *Christus Discipulos suos ob imminentem mortem suam anxios consolatur, dicens multas esse in do-*

E e 4 mo

z *ibid.* nu. 36.

mo Patris sui mansiones: ad quas etiam illos assumendos esse innuit. 2. Valedicendo Discipulis suis, dedit eis pacem & osculum oris sui. Ostenditur qualem pacem tunc reliquerit eis. 3. Christus terminando sermonem suum cum Discipulis, dixit Satanam tunc comparuisse, ut in eo maculam peccati inveniret. Agitur de obedientia Christi, & voluntate moriendi.

§. 1.

S Equitur. (a) *Dixit ei Simon Petrus: Domine quò vadis? Ad hoc respondit Petrus quod Dominus superius dixerat: Quò ego vado, vos non potestis venire. Hæc verba Petrus audire non potuit sine acerbò dolore, & ideo non ad præsentia, scilicet, Mandatum do vobis, &c. sed ad præterita, scilicet, Quò ego vado, vos non potestis venire, respondit dicens: Domine, quò vadis? Sicut enim manus sui corporis edocta frequenter palpat dolorem, sic lingua cordis amica celare non patitur ipsius cordis amaritudinem: & quod interiùs mens concipit in dolore, lingua exteriùs parturit in apertione. Unde nonnunquam vis doloris in mente concipitur, & per palatum vocis formatæ, lingua scilicet aperitur. Ideo lingua Petri dolorem celare non poterat, quem interiùs in corde tenebat. Audito, Quò ego vado, vos non potestis venire, vix postea Magistrum loquentem sustinuit. Unde expleto de mutua dilectione mandato, nimio circumseptus dolore de absentia futura Domini sui, statim sermonem tantæ auctoritatis inter-*

a Ser. 6. in ult. Cana. nu. 37. b Ibid. nu. 38.

terrumpit Magistri, & totus exclamat tristis in voce
 dicens: *Domine, quò vadis?* Ac si diceret: **Mu-**
 tuam charitatem, quam nobis commendas, illæ-
 sam & incontaminatam te donante servabimus, &
 quidquid aliud præceperis faciemus. Sed istud ver-
 bum quod dixisti, scilicet, *Quò ego vado, vos non po-*
testis venire, nos magnâ replevit amaritudine. Et
 quò vadis? cur nos deseris? Et cui nos desolatos
 relinquis? Jam sine te vivere nolo. Noli me dere-
 linquere. Noli me deserere. Ad quem (b) Domi-
 nus ait: *Quò ego vado, non potes me modò sequi: se-*
queris autem postea. Et est sensus: Non te desero,
 non te derelinquo: ego te præcedo, de invio faciens
 viam, de semita strata, de timore securitatem, de
 morte vitam. Pavidus es, timidus es, nondum es
 confirmatus, me modò non potes sequi, Ego te præ-
 cedam ad opprobrium, ad patibulum: morien-
 do, resurgendo, ad cœlos ascendendo. Non es
 idoneus ad præmium, quia nondum paratus es ad
 patibulum: non potes me sequi Vitam, quia non-
 dum paratus es ad mortem: *sequeris autem postea.*
 Mittam promissum Patris Spiritum Sanctum in
 vos, qui confirmabit vos, & eritis mihi testes in
 Hierusalem & in omni Judæa & Samaria, & usque
 ad ultimum terræ: & tunc me sequi eris paratus.
 Cui Petrus: Quare non possum te sequi modò? Non
 timeo pœnam, non timeo mortem: *tecum paratus*
sum & in carcerem & in mortem ire. Quid est
 quod dicis non possum te sequi modò? Animam
 meam pro te ponam. Ad quem Dominus: Ani-
 mam tuam pro me pones? Falleris Petre, nondum
 es paratus, nondum ex alto virtute vestitus. Cùm

fueris ex alto virtute vestitus, tunc animam tuam dabis in mortem. Sed nunc propè est, ut timore mortis meæ neges Vitam, & occidas animam tuam. Ut neges te meum esse discipulum, & occidas spiritum tuum; properat tempus & hora quibus me negabis, ut te salvare jam possis. *Amen amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Et est sensus Matthæi dicentis: *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Quæ negatio erit trina, sive ante primum cantum galli sive secundum. Quo dicto (c) timor et tremor & ingens dolor Discipulos omnes invasit. Nec mirum. Audierant quia dixerat Dominus Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* qui omnibus erat sanctitate præstantior, amore devotior, fide robustior, qui jam confessus fuerat Jesum esse Filium Dei, dicens ad eum: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* Et timebant nè illud idem quod Petro, sibi metipsis contingeret. Et quia tantus vir eum erat negaturus, in illo quodammodò titubabant, & quòd à mortuis tertia die resurgeret, non perfectè credebant. Necnon ideo, quia Dominum, quem in præsentì audiebant loquentem, non longè post futurum credebant moriturum. Inde mæror & luctus, vox una plangentium. Certi erant de absentia tam dulcis Magistri, de futura morte dulcissimi Domini sui: & cum adhuc in carne viventem cernabant, & tamen illum quasi jam mortuum lugebant. Tunc ad memoriam revocabant dulcissima fluentia doctrinæ, quæ ab illo acceperant: salutes, quas dederit ægris: insuper & vitam, quam reddiderat mortuis: benignissimam & dulcissimam familiaritatem,

tatem, quam semper circa illos habuit. Et videntes se ab eo tam subito deseri, tam amarissime flebant (mihi credite fratres) ut & ipsi jam consolari non possent. Quos ut Dominus vidit amarissime flentes (d) eos de sua morte consolari voluit: sed puto, quia non tum voluit, imò magis instigabat ad luctum, dum eis dicebat: *Non turbetur cor vestrum*. Miror si Dominus Jesus non infremuit spiritu, & non turbavit seipsum, dū discipulis flētibus diceret: *Non turbetur cor vestrum*. Credo propter quod & loquor, ait Dominus meus Jesus flentibus discipulis suis: *Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite*. Ac si diceret: Non turbemini absentiam meam, de morte mea. Potestatem habeo ponendi Animam meam, & iterum sumendi. Tribus diebus mortuum jacebit Corpus in tumulo, & post tres dies resurget immortale & impassibile. Tribus diebus & tribus noctibus fuit Jonas in ventre Ceti: et filius hominis tertia die resurget à mortuis. *Non turbetur cor vestrum*. Ego qui resuscitavi Lazarum, possum resuscitare hoc Corpus meum. Ego qui resuscitavi filium viduæ, ultra tres dies non detinebor à morte. *Creditis in Deum, & in me credite*: nolite timere pro morte carnis meæ. Ego sum Deus, qui suscitabo Carnem; Opera quæ ego feci, testimonium perhibent de me. Si creditis in Deum, sequitur ut in me credere debeatis, quia ego sum Deus. Et ne dubitarent se apud Deum in æterna vita cum Christo mansuros, sequitur & dicit: *In domo Patris mei (e) mansiones multæ sunt*. Et est sensus: In æterna vita vos mecum regnabitis, in qua sunt multæ mansiones,

E e 6 . . . idest,

d Ibidem n. 40. e Ibidem n. 41.

id est, multæ dignitates: quia ibi alia est claritas Sôlis, alia Lunæ, alia Stellarum. Domus Dei Patris, est ipsa prædestinatio & præscientia ejus. In hac domo unusquisque perfectus habet mansionem pro numerato denario, qui idem omnibus datur: qui denarius est una & non diversa in æternitate vivendi mensura. Et hoc est quod dicit: *Si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: et si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego & vos sitis.* Et est sensus: In domo Patris mei diversa sunt præmia meritorum. Et, *Si quominus*, id est, si non essent, *dixissem vobis* hoc, scilicet, *vado parare vobis locum*. Sed quia ibi sunt præparata per prædestinationem, non est opus, ut alias illic mansiones per prædestinationem præparem. Et quoniã nondum sunt in operatione, addit: *Sed si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum: ut ubi sum ego & vos sitis.* Ac si diceret: In domo Patris mei habetis mansionem per prædestinationem: sed vado ad Patrem, & illam vobis præparabo per operationem. In domo Patris mei habetis æternam mansionem: sed jam non potestis ad illam venire, nisi per magnum laborem. In domo Patris mei mansiones habetis tantum ex gratia Dei, & dono: sed volo ut illas jam habere debeatis ex me. A vobis recedo secundum humanitatem, non recedens à vobis secundum Divinitatem: & præparabo vobis secundum meam humanitatem, illam ineffabilem beatitudinem, quam vobis paravi ab origine mundi secundum Divinitatem. Illa ineffabilia gaudia vitæ perennis utcumque percipere non potestis, nisi prius fuerit

fuero Carne solutus, & iterum eadem Carne vestitus. Ascendam in caelum, & mittam vobis Spiritum Sanctum, qui vos sic doceat operari per operationem & gratiarum actionem: quatenus regnum aeternae felicitatis, quod vobis paratum est per praedestinationem, habere debeatis per operationem. Ego corporali praesentia vos desero [f] sed non vos praesentia Spiritus derelinquo. Corpus quod de terra suscepi, ad caelestia sublevo: sed per Spiritum meum usque ad consummationem saeculi vobiscum manebo. Pater me misit, ut apparerem in carne visibilis: sed venit hora & tempus, ut solvam debitum mortis: & resurgens a mortuis ascendam sessurus ad dexteram Patris, nec amodo in carne mortaliter mundas me videbit. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, abundantia suae dulcedinis vos consolabitur de absentia Carnis meae: & erit vester magister, non foris verba perstrepsens, sed intus in corde docens. Suggestet vobis omnia, & vos docebit omnia quaecumque per illum dixero vobis. Ipse erit doctor vester, & consolatio vestra. Non poteritis dolere de absentia Carnis meae, dum ipse Spiritus manet in cordibus vestris.*

§. I I.

Porro (g) audiant me peccatorem Christi, quos audire delectat verba ejusdem Christi. Sed rogo ut se praeparet ad lachrymas fundendum, qui verbis Christi jam praeparat auditum. Quomodo poterit jam lachrymas continere, ubi noverit jam Christum iturum ad Patrem Discipulis suis toto charitatis

am-

amplexu pacem dedisse? Ait Dominus discipulis
 suis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Dominus
 enim Jesus, ubi venit tempus quo per mortem dis-
 posuerat humanum genus salvare, & Animam suam
 dare in redemptionem pro multis, relinquere mun-
 dum & ascendere ad dexteram Patris: Discipulos
 suos quos corporali præsentia deserebat, toto cordis
 affectu intra sinum amoris non mediocriter contine-
 bat: inde velut recedens ab eis & quasi deserens il-
 los, modis quibus poterat de absentia sua eos conso-
 lari studebat. Sed quantò magis eos consolari
 volebat, tantò magis illos amarissimo mærore
 replebat. Tunc velut ultimum vale faciens illis,
 eos amplectens in eorum oscula forsitan ruit. Sed
 quantus ibi fuerit fluxus lachrymarum, quis æsti-
 mare valebit? Cujus cor etiamsi saxeum esset, tan-
 tâ abundantiam charitatis, in lachrymarum fontem
 totum non resolvisset? Ministri lachrymarum tunc
 erant amor & dolor. O quantus amor! o quantus
 dolor! Et quia multus amor, idèd multus dolor:
 nam cum magno dolore relinquebant, quem cum
 magno amore possidebant. O quantus erat ibi
 amor! nihil aliud volebant, nihil aliud quærebant,
 nihil aliud desiderabant, nisi esse cum Domino, il-
 lius perfrui visione, jucundari ejus dulcissima locutio-
 ne, satiari ejus melliflua conversatione. Cùm hæc om-
 nia cogitabant, & ô quàm citò his omnibus essent
 carituri, ad memoriam revocabant; tunc per fluxus
 lachrymarum emanabant dolores amarissimi cor-
 diam. Quanta erat ibi suavitas amoris (h) & quan-

ta

ta suavitatis charitas, dum discipulorum labiis imprimerentur labia Redemptoris! Tunc in veritate illi dicere poterant: *Mel & lac sub lingua tua, & fœnus distillans sunt labia tua*. Odor tuus omnem balsami odorem excedit, & quidquid in odoribus continetur. Et verè sic erat. O quanta erat ibi odoris fragrantia, ubi erat tanta amoris abundantia! & quanta erat ibi tristitia, de tanta odoris & dulcedinis futura absentia! Quibus singultibus existimabo discipulorum corda fuisse vexata, dum audirent: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis?* Ibi mæror erat & luctus, omnes erant una voce plangentes. *Pacem* (inquit Dominus Jesus Discipulis suis) *meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Ego iturus ad Patrem, pacem relinquo vobis: & vos perducturus ad Patrem, pacem meam do vobis. Hoc est quod Propheta dicit: *Pacem super pacem*. Et alibi: *Domine dabis pacem nobis, pacem, quia speravimus in te*. Sed forrè admirabitur noster auditor (i) cum in hoc libello servuli Christi, ipsū invenerit Christū pacem dedisse discipulis suis? Ad quem ego peccator Christi: Quid miraris? quid turbaris? Hoc non est magnum quod audis. Quid putas esse abjectius, an flexis genibus Discipulorum pedes lavisse, an eos in pacis osculo suscepisse? Illis non horruit pacis osculum dare, pro quibus non timuit patibulum Crucis subire. Sed fortè dicis: Ego in Evangelio lego, quod Christus Discipulis suis dixerit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: sed non lego, quod sua sanctissima labia Discipulorum impreffert labiis?

i Ibid. n. 70.

hiis? Cui ego : Si ore Veritatis constat esse prolatum, cur constare non debet esse completum? Non est periculosum sic credere, non est damnabile sic sentire, non est contra fidem. Sequitur : (k) *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Qualem pacem dat mundus iste? Pacem falsam, pacem fictam, pacem sophisticam, pacem palliatam. Pax est vinculum amoris, & indissolubilis compago charitatis. Sed quid amat mundus? Prorsus utique nihil. Nihil amat, nihil diligit; cuncta odit, cuncta perimit & occidit. Dicitur etiam aliter *mundus*, scilicet rerum transeuntium amatores. Sed qualis sit pax inter illos, sapiens quisque advertere facile potest. Igitur spreta hujus mundi pace & concordia, adhuc ad pacem Domini Nostri Jesu Christi redeamus, quam ejus dilectionem esse & credere (quâ dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo) videtur non esse absurdum. Hæc est illa dilectio, quâ Deus mundum sic dilexit, ut se mundo hominem daret : ut omnis qui credit in illam, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc pacem, scilicet charitatem illis reliquit. cùm animam suam pro illorum salute dedit, Unde (l) non immeritò plorant discipuli pro Magistro, servi pro Domino, ab illis quodammodò per mortem recessuro. Nec mirum. Videbant unde dolere poterant : sed non credebant unde gaudere debebant. Lugebant, quia Christum moriturum sciebant : sed illum resurrecturum & ad Cælos ascensurum, adhuc non perfectè credebant. Poterat unusquisque illorum veraciter dicere, si tamen præ dolore loqui valebat : Idcirco ego ploro,

&

k *Ibid.* n. 71. l *Ibidem* n. 72. & 73.

& oculus meus deducit aquam, quia me deserit consolator meus, consolans animam meam. Quos ut Dominus amarissimè flere respexit, credo quòd lachrymas secundum hominem continere non potuit. Sed modis quibus valuit eos consolari non distulit, dicens: *Non turbetur cor vestrum*, quia vos in pace relinquo: *Neque formidet* quasi vos lupus invadat per Pastoris absentiam, quia sicut homo vado, sed sicut Deus sum præsens. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet* de morte mea, quia post tres dies resurgam, & veniam ad vos: & videbitis me Vitam, in quem quicumque crediderit, mortis imperio subjacere non poterit. *Vado, sed iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego & vos sitis*. Non debetis turbari, non debetis constiteri de abscessu meo, unde mihi tantus provenit honor & gloria tanta: potius inde gaudere debetis. Non me diligitis: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem: quia Pater major me est*. Jam imperate lachrymis, quia de meo abscessu gaudere debetis. Nolite fletibus indulgere, quia ad Patrè vado, nec vos relinquo. Ad Patrè vado secundum Carnem: nec vos relinquo secundum Divinitatem: Ad Patrem vadit homo assumptus: sed vobiscum remanebit Patris assumens Filius. Corpus, quod de virginea terra suscepi, supra choros Angelorum exalto: ut filius hominis ibi sedeat in dextera Patris, & habeat per gratiam, quicquid ipse Deus habet per naturam. Ad Patrem vado, ut genus humanum diabolica fraude deceptum, aculeo antiqui serpentis occisum, in hac valle lachrymarum sepultum, in cælo collocem; & ad gregem Angelorum reportem centesimam.

nam ovem perditam, per longum tempus errantem. Et ideo rogo, ne turbetur cor vestrum de morte mea: quia sic fieri oportet. Expedi, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Tantum tribus diebus & tribus noctibus ero in corde terræ: postea die tertia resurgam perempto principe mundi: & videbitis me, & gaudebit cor vestrum. Quadragesimo die ascendam in Cælum, sessurus ad dexteram Patris: & illuc traham vos ad meipsum, mecum feliciter regnuros. Et ideo rogo, gaudete. O bone Jesu Domine Deus, Vita mea. Reposita est hæc spes mea in mente mea. Ego interim gaudens gaudebo, & sæper anima mea exultabit de Jesu Salvatore meo, qui ascensurus ad Patrem dolentibus discipulis dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem.* Cum ægrè ferrent discipuli [m] quod de ascensuri Magistri discessu ab eodem ipso audierant, audierunt: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem.* Quid est ergo? Non diligebant de cuius discessu dolebant? Sed diligebant quodammodo, & non diligebant. Diligebant dulciter, sed minùs prudenter. Diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. Denique diligebant toto corde, non autem totâ animâ: Dilectio eorum contra salutem eorum. Unde & agebat: *Expedi vobis ut ego vadam, culpans consilium, non affectum.*

§. I I I.

Sequitur: (n) *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factū fuerit, credatis.* Jam nunc dico vobis priusquam fiat: Vado ad Patrem, ut postquam ascendero,

per-

perfectè credatis quia ego sum Filius Dei. *Ut credatis*, inquit. Credatis, non quod factum vidistis, quia hæc non est laus vel meritum fidei: imò non est fides de eo, quod videtur. Sed credatis me Filium Dei, non nova fide, quia & priùs credidistis: sed aucta & referta. Modò cùm hæc diceret, erat fides illorum parva, & cùm moreretur fait nulla. Sequitur: *Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*. Imminet tempus & hora, ut solvam debitum mortis; & in hac mortali carne jam non multa loquar vobiscum. Venit diabolus, non princeps creaturarum, sed peccatorum: non lucis, sed tenebrarum: non vitæ, sed mortis: non gaudij, sed meroris. *Et in me non habet quidquam*: id est, nihil est in me quod ad eum pertineat. Ipse enim peccatum non fecit, nec unquam volvit: sed nec peccare unquam potuit. Noluit habere Deus quod perderet. Pauper venit, ne diabolus haberet quod auferret. Venit enim princeps superbix, princeps invidix, princeps livoris & dolositatis, princeps rancoris & cujuslibet malæ voluntatis: venit ad Principem humilitatis, patientix & benignitatis, Principem vitæ & resurrectionis, Principem gloriæ & beatitudinis sempiternæ. Ad eum venit ut videret, si in eo maculam peccati aliquam inveniret: viderat eum trabeâ nostræ mortalitatis indutum, morti vicinum, & in eo se credidit aliquid invenire, quod ei in morte posset obiicere. Sed miser ille deceptus est, quia in eo nihil invenit propriû: sed per ipsum, jus quod habebat in aliis amisit antiquum. In eo itaque auctor mortis peccatum nullum invenit, sicut ipsa veritas dicit:

Tenit

Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed fortè(o) posset dicere aliquis: Cur ergo morieris, si peccatū non habes, cū mors ex peccato tantū sit consecuta? Ipse respondet huic tacitæ quæstioni, & dicit: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & hoc mandatum dedit mihi Pater ut facerem.* Ac si diceret: Verum est, quòd adhuc mors non esset, si peccatum non fuisset: & ideo veni moriturus in mundum, ut morte mea delerem peccatum. Hæc est enim voluntas Patris mei, ut pro salute generis humani sumam supplicium crucis. Ut ergo mundus cognoscat quia diligo Patrem, quod mihi mandatum dedit, facio illud. Hoc est quod Beatus Paulus dixit: *Christus factus est obediens Patri usq; ad mortem, mortē autem Crucis.* Unde(p) & ipse Christus dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Et in alio loco: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris.* Denique fideli reconciliatori Christo(q) nec *timoris* spiritus de fuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam ejus quæreret: nec spiritus *pietatis*, quo misericorditer compateretur hominibus. In terris visus(r) & cum hominibus conuersatus medius nostrū quem nesciebamus stetit, verus quidē Emmanuel nobiscum Deus, nobiscum stans, sed pro Patre. Quòd enim nobiscum stetit, adiutorium: quòd pro Patre stetit, zelum designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Proinde & ipse dicit(s) *Surgite, eamus hinc.* Adhuc erat

o *Ibidem n. 75. p. Ser. 2. in cena Dom. n. 2. q. Ser. 2. in Annunt. B. M. n. 3. r. Ser. 5. de verb. Esai. n. 3. s. Ser. 10. in ult. Cena n. 75.*

erat in loco ubi discumbebat cum discipulis suis ; unde discumbentibus dixit: *Surgite eamus hinc*, ad locum in quo tradendus sum in mortem. Non est hinc ulterius jam sedendum : præterit tempus requietionis , & ecce tempus festinat Passionis . Surgite , & venite post me . Me enim præcedentem ad passionem sequi debetis quia ego sum Vitis , & vos palmitēs . Ego sum Caput vestrum ejusdem naturæ vobiscum : & Capite languente , cætera membra condolent languenti . Secundum quod sum homo , sum Caput Ecclesiæ : & ideo vobiscum ejusdem naturæ . Pater diligit Filium(t) & singulari dilectione amplectitur , summus æqualem , æternus coæternum , unus Unicum . Sed enim non minori ipse à Filio affectione astringitur : quippè pro cujus amore & moritur , ipso attestante cum ait : *Ut sciant omnes quia diligo Patrem , surgite eamus* : haud dubium quin ad Passionem . Sciens autem (u) quodd venerit hora ejus , tanquam potestatem habens , spontaneus se obtulit passioni . *Oblatus est (x) quia ipse voluit* : quando & quantum voluit , passus est , utpote verus quidem homo , sed verus nihilominus Deus . Oblatus est (y) quia sic decrevit ipsius erga hominem inæstimabilis dilectio : oblati sunt , quia sic homo indigni . *Oblatus est , quia ipse voluit* . Et ante in templo oblati sunt (z) non quia opus habuit , non quia sub legis edicto fuit ; & in cruce nihilominus oblati sunt , non quia meruit , non quia Judæus prævaluit : sed quia ipse voluit . Voluntariè sacrificabo tibi

Do-

† Ser. 8. in Cant. n. 1. u Ser. 3. in Dom. Palm. n. 1. x Ser. de S. Mart. n. 8. y Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 16. z Ser. 3. in Purificat. B. M. n. 2.

Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Fuit quidem cum mortuis (a) sed jam non est: fuit inter mortuos, sed & tunc liber fuit. Siquidem ipse sese turbavit, ipse animam suam posuit: quia ipse volvit oblatus est. Omnis enim ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Solus namque (b) inter filios Adam libertatem sibi vindicat à peccato, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Porro & à miseriâ, quæ est pœna peccati, habuit nihilominus libertatem, sed potentiâ, non actu. Nemo quippe tollebat animam ejus ab eo, sed ipse ponebat eam. Denique teste Esaia Propheta: *Oblatus est, quia ipse volvit*: sicut & cum volvit natus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Fuit quidè & ipse sub lege miseriæ, sed fuit quia volvit, ut liber inter miseros & peccatores utrumque jugum fraternis à cervibus excuteret. Habuit utique tres libertates, primam ex humana simul & Divina natura, reliquas ex Divina potentia. Quia ergo volvit (c) oblatus est. Non modò volvit & oblatus est, sed quia volvit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Videtur quidem (d) & in nostris aliquando tribulationibus esse non nulla libertas, cum videlicet pro peccatis proximorum libera & liberali charitate laborem pœnitentiæ sustinemus, legentes pro eis, jejunantes pro eis, vapulantes pro eis, & quæ non rapuimus exolventes. Unde & Paulus: *Cum liber essem, inquit, ex omnibus, omnium me servum feci*. Cæterùm nihil

hoc

a Ser. 34. diu. nu. 2. b Tract. de grat. & lib. arb. cap. 3. nu. 8.
c Ser. in ser. 1. Heb. san. n. 8. d Serm. 34. diver. n. 2. & 3.

hoc ad libertatem illius qui nihil proprij delicti habuit, qui nihil morti debuit, nihil meruit tribulationis. Nam à & nobis quidem voluntarias illas tribulationes, etsi proximus exigere forsan ex jure non potest, exigit tamen Deus. Etsi proximo fortè videtur quis reddere plusquam debeat, Deo tamen nemo unquam totum reddit quod debeat. Porrò (e) in nostra quidem vitas multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa ex necessitate: sed Christus Dei Virtus, & Dei Sapiencia neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei Virtutem necessitas cogeret, aut quid ageret Dei Sapiencia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena Sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audientium est tanquam si inventitium quidpiam proferamus; sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret sine causâ fuisse. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur (f) non solum tenere memoriter, sed & ardentè diligere, & efficaciter adimplere, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,
ET BEATO BERNARDO.

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

e Ser. 4. de Ascen. Dom. n. 2. f Ser. 77. in Cant. n. 1.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

I N D E X

Partium , Capitulorum , & Paragrapho-
rum : quæ in hoc Primo Tomo
Philosophiæ Christianæ
continentur .

Numerus indicat paginam .

P A R S I.

DE creatione , & prævaricatione primi homi-
nis , malisque inde secutis . *pag. 1.*

C A P U T I.

De dignitate hominis , creati ad imaginem & simi-
litudinem Dei . *pag. 6.*

§. 1. Ostenditur, Animam hominis habere affinita-
tem cum Deo , secundum ejus imaginem & simi-
litudinem , ad quam creata est . *6.*

§. 2. Secundum simplicitatem substantiæ . *9.*

§. 3. Secundum immortalitatem vitæ naturalis . *12.*

§. 4. Secundum libertatem arbitrii . *14.*

§. 5. Ostenditur, Animam nostram à Sancta Trini-
tate creatam habere quandam trinitatem , scilicet
Memoriam , Rationem , & Voluntatem : nec-
non Dignitatem , Sapientiam , & Virtutem . *16.*

C A P U T II.

De creatione hominis ex limo terræ . *pag. 21.*

§. 1. Demonstratur mira bonitas Dei , tam in
creatione hominis , *21.*

Ff

Quam

Index Capitulum

- §. 2. Quam in ejus conservatione . 25.
§. 3. Proponitur nobis doctrina videndi sive contemplandi Deum in creaturis hujus mundi . 30.

C A P U T I I I .

De mirabili felicitate primi hominis , ac ejus infelicitate miserabili , quam promeruit pro transgressionem præcepti divini . pag. 34.

- §. 1. Felicitas primi hominis Adam positi in Paradiso erat , ut haberet actionem sine passione , contemplationem sine labore . 34.
§. 2. Infelicitas tunc ipsi successit , dum gratiam contemplationis divinæ peccando amisit . 37.
§. 3. Adam per inobedientiam transgressus est præceptum Dei , comedens fructum de ligno vetito . 42.

C A P U T I V .

De admiranda contemplatione Adæ , in qua cum obdormivisset , sublata est de latere ejus costa ad ædificandum mulierem Evam . pag. 46.

- §. 1. Contemplatio extatica , in qua soporato Adæ sublata est costa , significat magnum illud Sacramentum , quod subsecutum est in Christo & Ecclesia . 47.
§. 2. De prærogativa vitæ contemplativæ , quæ licet quibusdam in præsentis vita donatur , satietas tamen ejus præservatur futuræ vitæ . 50.
§. 3. Ostenditur Adam ideo peccavisse , quia à circumspeditione Dei sive contéplatione deflexit . 54.

C A P U T V .

De calliditate serpentis quâ decepit Evam , ut comederet de ligno vetito . pag. 58.

- §. 1. Per serpentem callidum intelligitur Angelus ille

Et Paragraphorum .

Ille superbus, qui prætendebat sibi ponere sedem
in celo ad Aquilonem . 58.

§. 2. Per Aquilonem intelliguntur reprobi homi-
nes: per sedem autem intelligitur potestas dia-
boli vsurpata in illos . 62.

§. 3. Lucifer invidens homini æqualitatem gloriæ,
molitus est habere eum sibi subiectum, focium
dedignans: & suavit ei ut comederet de ligno
vitæ . 66.

C A P U T V I.

De modo & origine prævaricationis Adæ & Evæ,
qui comederunt fructum de ligno vetito. pag. 70.

§. 1. Evæ curiositas perstringitur propterea, quòd
curiosè intuebatur lignum scientiæ boni & mali.
pag. 71.

§. 2. Exponuntur tres dies parentum nostrorum,
scilicet inspirans, conspirans, expirans . 75.

§. 3. Adam in paradiso positus peccando perdi-
dit circumspèctionem Dei, ob elationem quæ
præcessit in ejus anima: Justitiam, obediendo
vxo-ri voci potius quàm Divinæ: Judicium,
cùm per mulierem retorfit propriam culpam in
Deum . 79.

C A P U T V I I.

De malis successis Adæ & Evæ ex manducatione
pomi de ligno vetito. pag. 82.

§. 1. Adam & Eva parentes nostri erant quidem in-
duti quatuor virtutibus, sed eisdem postquam
peccârunt despoliati sunt . 82.

§. 2. Agitur de triplici lapsu primorum parentum
nostrorum, secundùm triplicem potentiam Ani-
mæ . 85.

Index Capitulorum ,

- §. 3. Ostenditur Animam nostram triplici vanitati subiectam, debere sperare se liberandam ab hac vanitate post hanc vitam miseram. 88.

C A P U T V I I I.

De scrutinio Dei factò in paradiso cum Adam & Eva, statim ac comederunt fructum de ligno vetito. pag. 91.

- §. 1. Adam excusando se in peccato, & retorquendo illud in mulierem, magis auxit quàm delevit culpam. 92.

- §. 2. Ostenditur, quanta in vno Adæ & Evæ peccato commissa sint peccata. 96.

- §. 3. Tres sunt inimici nostri, diabolus, mundus, & corpus: qui continuò impellunt nos in ruinam, sed non evertunt nisi consentientes. 99.

C A P U T I X.

De sententia pœnæ corporalis, quam Deus pronuntiavit contra Adam & Evam prævaricatores. pag. 102.

- §. 1. Sententia pronuntiata à Deo contra prævaricatores sui præcepti, continet varias pœnas maledictionum: quarum triplici malédictioni subjacet serpens, Eva duplici, Adam uni. 103.

- §. 2. De labore & dolore, aliisque miseriis primorum parentum, ac totius generis humani. 108.

- §. 3. De multiplici calamitate, quam incurrit & patitur genus humanum, propter peccatum originale primorum parentum Evæ & Adam. 113.

C A P U T X.

De sententia mortis, quâ Dominus Deus declarat morituros esse primos parentes nostros, quos & de paradiso expulit. pag. 117.

Osten-

Et Paragraphorum .

- §. 1. Ostenditur, primum hominem Adam per inobedientiam causavisse & sibi & toti generi humano mortem . 118.
- §. 2. Quæritur, utrum Adam antequam peccasset, habuerit tres libertates, à necessitate, à peccato, à miseria . 121.
- §. 3. Ostenditur, qualiter in his tribus contineatur imago & similitudo Dei, ad quam creatus fuit Adam . 127.
- §. 4. Agitur de expulsiōe Adæ ex paradiso, pariter & de miseria ejus, quæ consistit in amissione contemplationis divinæ, & in appetentia rerum terrenarum . 132.

P A R S I I.

DE exordio crucis, quam Christus jugiter portavit in suo corpore, pro reparatione ruinæ generis humani . *pag. 139.*

C A P U T I.

De concilio Dei coacto cum Angelis suis, in quo agebatur de modo redimendi genus humanum. 139.

- §. 1. Ostenditur, qualiter editâ in lucem Mariâ, coactum fuit Concilium divinum de modo redimendi hominem: in quo comparentes quatuor virtutes, Veritas, Iustitia, Pax, & Misericordia, magnam excitaverant controversiam . 140.
- §. 2. Afferuntur rationes pro & contra, allegatæ à virtutibus Misericordia & Iustitia . 143.
- §. 3. Deciditur eadem controversia ad favorem Misericordiæ, quòd non ab alio, quàm ab ipso Filio Dei redimendus sit homo prævaricator. 145.

Index Capitulorum,

CAPUT II.

De exordio crucis, quam Christus in Nativitate sua ob infantiles necessitates pertulit. pag. 150.

§. 1. Ostenditur, Christum incarnatum statim pertulisse crucem in utero Virginis, ibi sustinendo tædia novem mensium, & operando salutem nostram. 150.

§. 2. Ex circumstantiis Nativitatis ejus desumuntur varia documenta crucis, quam infans Jesus natus hyeme, nocte, in stabulo, in præsepio jacens sustinuit. 154.

§. 3. Proponitur nobis consideratio lachrymarum ejusdem infantis Jesu vagientis in præsepio: necnon pannorum, quibus alligatus erat pro salute nostra. 160.

CAPUT III.

De Circumcisione Christi, quam sustinuit in corpore suo vulneratus pro salute nostra. pag. 165.

§. 1. Agitur de humilitate & patientia pueri Jesu, qui licet immunis esset ab omni peccato, voluit tamen cauterium peccatoris suscipere, & dolorem sustinere in sua circumcisione. 165.

§. 2. Ex occasione hujus circūcisionis desumuntur salutaria documenta morū & vitæ Christianæ. 170.

§. 3. Proponitur nobis ad considerandum mysterium, cur eodem tempore quo circumciscus erat puer, etiam vocatum est nomen ejus Jesus. 175.

CAPUT IV.

De fuga in Ægyptum, quam pertulit puer Jesus, fugendo persecutionem Herodis qui moliebatur eum occidere. pag. 180.

§. 1. Ostenditur quòd Herodes rex, qui machinabatur

Et Paragraphorum .

tur necem in puerum Jesum, ita delusus fuit ab eo, sicut longè ante Pharaon à Moyse . 180.

§. 2. De tribus gradibus spiritualis vitæ, qui desumuntur ex nativitate, persecutione, & educatione Christi . 185.

§. 3. De generibus eorum hominum, qui diuersimodè impediendo salutem animarum, persequuntur ipsum Christum . 190.

C A P U T V.

De tentationibus Christi, quas in jejunando sustinuit à diabolo pro salute nostra . pag. 196.

§. 1. Ostenditur, Christum Dominum postquam esset baptizatus à Joanne, statim profectum esse in desertum; ut ibi peractis quadraginta diebus in jejunio, tentaretur à diabolo, & sic nobis præberet exemplum resistendi tentationibus ejus . 197.

§. 2. Ostenditur, quatuor esse tentationes vitæ humanæ, quæ in Psalmo nonagesimo nominantur; timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, dæmonium meridianum: per quæ nomina significantur molestiæ carnis, vana gloria, infelix ambitio sæculi, iniquitas palliata specie boni, 201.

§. 3. Describuntur quatuor tentationes Christi, quarum tres factæ sunt in deserto, in pinnaculo templi, in vertice montis: quarta tentatio fuit tota vita ejus. Item agitur de quatuor tentationibus, quæ exprimuntur in eodem Psalmo sub totidem vocabulis, aspidis, basilisci, draconis, leonis. 206.

§. 4. Proponitur nobis ad imitandum exemplum Moyse, Eliæ, & Christi, jejunantium quadraginta diebus: nec non regula, quæ docetur non so-

Index Capitulum,

lùm gulam sed etiam sensus nostros & animam nostram debere jejuna. 212.

- §. 5. Traditur cuique Christiano modus comedendi ad evitandum vitium gulæ, cujus quinque species notantur verbis sequentibus: *Præproperè, lautè, nimis, ardentè, studiosè.* 216.

C A P U T V I.

De vigiliis in orando, quas Christus sustinere voluit pro salute nostra. pag. 221.

- §. 1. Ostenditur, Christum Dominum docuisse verbo & exemplo, orationem faciendam esse in loco solitario. 221.

- §. 2. Proponuntur nobis quatuor genera orandi Deum: quorum sunt, obsecratio, oratio, postulatio, gratiarum actio. 225.

- §. 3. Ostenditur, semper sociandum esse jejunium orationi: necnon quatuor esse impedimenta orationis, quam impedire solent, invidia diaboli, humana timiditas, temeritas, tepiditas. 231.

C A P U T V I I.

De oratione Dominica, continente petitiones septem: quam Christus Dominus instituit. pag. 235.

- §. 1. Præmittitur exordiū orationis dominicæ. 236.

- §. 2. Exponuntur verba petitionis primæ. 238.

- §. 3. Explicancantur verba petitionis secundæ. 240.

- §. 4. Interpretantur verba petitionis tertiæ. 243.

- §. 5. Declarantur verba petitionis quartæ. 246.

- §. 6. Exponuntur verba petitionis quintæ. 248.

- §. 7. Explicantur verba petitionis sextæ. 250.

- §. 8. Explanantur verba petitionis septimæ. 254.

C A P U T V I I I.

De laboribus & fatigationibus Christi, quos pertulit

Et Paragraphorum .

lit in prædicando , & in discurrendo per civitates
& castella Judæorum . *pag. 258.*

- §. 1. Ostenditur , quantos labores pertulit Christus
in prædicando & evangeligando Judæis ingra-
tis . *259.*
- §. 2. Afferuntur doctrinæ Christi , spectantes ad
commendationem septem virtutum contra toti-
dem vitia . *263.*
- §. 3. Ostenditur septem beatitudines esse , quas
Christus prædicavit in monte contra totidem pec-
cata , quæ sunt commissa in cælo pariter & in
paradiso : ut eodem ordine quo præcessit culpa ,
subsequatur etiam culpæ medicina . *268.*

C A P U T I X.

De lachrymis Christi , quas sæpè fudit compatiendò
misero generi humano . *pag. 273.*

- §. 1. Ostenditur , quanto Christus abundavit com-
passionis affectu erga salutem generis humani : &
quanta infirmitate exterminatum fuit corpus ejus,
ob crebras compassionem . *274.*
- §. 2. Legitur Christum ter flevisse , scilicet in nati-
vitate sua , super Lazarum mortuum , & super
civitatem Jerusalem ruituram . *278.*
- §. 3. Proponuntur nobis exempla eorum , qui ex
affectu compassionis plangebant miseras homi-
num , ut & nos pariter tam nostra quàm proximi
peccata diluamus lachrymis : quarum magna est
virtus , & copiosa remuneratio apud Deum . *282.*

C A P U T X.

De insidiis & conviciis , quæ Christus pertulit in col-
loquendo ab ingratis Judæis . *pag. 288.*

- §. 1. Christus passus est insidias & dolos à Judæis
ingra-

Index Capitulorum,

- ingratis, dum mulierem in adulterio deprehensam accusabant. 288.
- §. 2. Dum tentabant Jesum super censu reddendo Cæsari. 293.
- §. 3. Monemur ad imitandum patientiam & tolerantiam Christi, qui innumera opprobia & calumnias sustinuit pro salute nostra. 297.

P A R S I I I.

DE gestis in ultima cæna Domini: præsertim de institutione Sacramenti Eucharistiæ. pag. 303.

C A P U T I.

- De gestis in cæna apud Bethaniam habita ante sex dies Paschæ: & de occasione venditionis Christi. 303.
- §. 1. Ostenditur, quod Christus licet unicus sit à Deo Patre suo, desideravit tamen ungi Caput suum à nobis: uti etiam voluit ut super Caput ejus effunderetur unguentum preciosum à Maria Magdalena. 304.
- §. 2. Demonstratur tria esse genera unguentorum, contritionis, devotionis, pietatis. Primum unguentum docemur effundere super pedes Christi, alterum super Caput ejus, tertium super corpus ejus, quo designatur Ecclesia sua. 308.
- §. 3. Agitur de apostasia & avaritia Judæ Iscariotus, qui indignè ferens effusionem unguenti preciosi, statim abiit ad Judæos, eisquæ vendidit Christum pro triginta argenteis. 315.

Et Paragraphorum .

C A P U T I I .

De lotionem pedum , quam Christus fecit suis Apostolis , post cœnam habitam pridie quàm pateretur ,
pag. 322.

§. 1. Christus factâ cœnâ illâ , in qua manducavit Agnam legalem cum suis Discipulis , surgens à cœna exiit se vestimentis , & præcinctus linteo misit aquam in peluim , & lavit pedes discipulorum . Hæc nomina , scilicet vestimenta , linteum , aqua , pelvis , lotio pedum , denotant mysticum intellectum . 323.

§. 2. Recusantem sibi lavari pedes Petrum Christus induxit salutaribus argumentis , ut permitteret sibi lavari pedes . 328.

§. 3. Ostenditur sacramentum esse lotionem pedum , quæ denotat remissionem peccatorum venialium . 333.

C A P U T I I I .

De sermone Christi , quem habuit ad suos Discipulos statim ac lavit pedes eorum . *pag.* 338.

§. 1. Christus postquam lavit pedes Discipulorum , exhortatur eos ad condonandum injuriam lædentibus se . 339.

§. 2. Exhortatur eos ad imitandam humilitatem suam , docendo non esse servum majorem domino suo , nec discipulum magistro . 342.

§. 3. Christus exhortatur quemque Christianum ad exhibendam charitatem & hospitalitatem pauperibus , affirmando quòd ipse & ejus Pater recipitur in illis , qui pro illius amore recipiuntur , & liberaliter reficiuntur , 344.

Index Capitulorum,

C A P U T I V.

De alio sermone Christi, in quo indicavit Discipulis traditorem Judam, porrigendo ei panem intinctum. *pag. 348.*

§. 1. Christus postquam monstravit se esse turbatum spiritu, indicavit quidem suis Discipulis traditorem suum, sed non statim designavit ejus personam, nisi interrogatus esset à Joanne, qui recubuit super pectus Jesu. *348.*

§. 2. Christus soli Joanni specialiter indicavit traditorem suum, porrigendo Judæ panem intinctum, quo significatur ejus factio. *351.*

§. 3. *Quæritur, quonam sensu Christus statim ac Judas exivit de cænaculo, dixerit de se: Nunc clarificatus est filius hominis.* *354.*

C A P U T V.

De institutione Sacramenti Eucharistiæ, facta à Christo in memoriam Passionis suæ. *pag. 357.*

§. 1. Præmittitur doctrina de excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in qua Christus Carnem suam & Sanguinem dedit nobis in cibum & potum, ne deficiamus in via. *358.*

§. 2. Agitur de materia Eucharistiæ, quæ est panis & vinum, eorumquè conversione in Corpus & Sanguinem Christi: nec non de forma, quâ conficitur Eucharistia. *363.*

§. 3. Expenduntur verba Christi, in quibus mandavit celebrare Sacrificium Eucharistiæ pro salute animarum nostrarum: meritorumquè exigit à nobis, ut pro tam singulari amore suo diligamus Deum. *367.*

Et Paragraphorum.

C A P U T VI.

De triplici manducatione Corporis Christi Domini. *pag. 372.*

§. 1. Manducatio Corporis Christi est sacramentalis simul & spiritualis, quæ sanctificat utroque modo manducantem Corpus Dominicum : ac proinde ministri Altaris incontinentes tanguntur, & ad puritatem vitæ commonentur. 373.

§. 2. Manducatio Sacramenti Eucharistiæ est tantum spiritualis, quæ gratiam confert, virtutesquæ auget. Et ostenditur, quod dum Christus pascit nos Corpore suo, etiam ipse vicissim pascatur spirituali profectu nostro, pænitiâ scilicet nostrâ, & salute nostra. 378.

§. 3. Manducatio Sanctæ Eucharistiæ est tantum sacramentalis, quæ indignè sumentibus magis præstat damnationem quam salutem. Et ostenditur, Sacramentum Eucharistiæ datum esse in pignus futuræ gloriæ nostræ. 383.

C A P U T VII.

De vera & reali existentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ : & de ritu & apparatu Sacrificii Missæ. *pag. 387.*

§. 1. Ostenditur, quanta sit excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in qua verè & realiter existit Christus per suam divinâ & humanam substantiam. 388.

§. 2. Ostenditur, Christum existere in Eucharistia cum eadem divinitate, in qua manet in cælis, sedens ad dexteram Dei Patris. 392.

§. 3. Exponitur apparatus & ritus Sacrificii Missæ : & quæritur, cur sit institutum sub speciebus panis & vini. 397.

Index Capitulorum,
CAPUT VIII.

De dignitate Sacerdotis , & excellentia Sacrificii
Missæ . pag. 403.

§. 1. Ostenditur, quanta sit dignitas Sacerdotis , &
excellencia Sacrificii missæ, cui Sancta Trinitas
cum sua curia Angelica assistere non dubita-
tur. 403.

§. 2. Ostenditur, potestatem Sacerdotis majorem
esse , quàm sit dignitas Angelorum , juxta eorum
novem ordines : quorum etiam vocabula expo-
nuntur. 407.

§. 3. Ostenditur, quanta debeat esse sanctitas Sacer-
dotis, qui intendens celebrare Missam, tenetur
priùs reconciliari non solùm Deo, sed etiam pro-
ximo si quem offendit. 412.

§. 4. Agitur de dispositione sive præparatione Sa-
cerdotis, ut valeat dignè accedere ad celebran-
dum Missæ Sacrificium. 416.

CAPUT IX.

De sermone Christi, quem habuit ad Discipulos
suos post institutionem Sacramenti Eucharistiæ,
exhortando illos ad mutuam dilectionem servan-
dam. pag. 420.

§. 1. Christus in ultima cæna post institutionem
Eucharistiæ fecit testamentum, relinquens disci-
pulis suis novum mandatum dilectionis, ut invi-
cem diligerent se. 421.

§. 2. Christus exhortatus est discipulos ut ipsum
diligent, præceptaque & sermones suos obser-
varent: & promisit se missurum eis alium Para-
cletum à Patre. 426.

§. 3. Expenduntur verba Christi, quoniam sensu
ser-

Et Paragraphorum .

sermonem suum dixerit, non esse suum. 430.

*§. 4. Agitur de vera & falsa dilectione proximi,
nec non de elogiis charitatis. 435.*

C A P U T X.

De aliis sermonibus Christi, quos habuit cum discipulis suis, consolando eos in cænaculo discumbentes. *pag. 439.*

§. 1. Christus discipulos suos ob imminentem mortem suam anxios consolatur, dicens multas esse in domo Patris sui mansiones: ad quas etiam illos assumendos esse innuit. 440.

§. 2. Valedicendo Discipulis suis, dedit eis pacem & osculum oris sui. Ostenditur, qualem pacem tunc reliquerit eis. 445.

§. 3. Christus terminando sermonem suum cum Discipulis, dixit Satanam tunc comparuisse, ut in eo maculam peccati inveniret. Agitur de obedientia Christi, & voluntate moriendi. 450.

F I N I S.



DEO GRATIARVM ACTIO,

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

§. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

